COMMENTARIUS IN APOCALYPSIN S. IOANNIS APOSTOLI. AUCTORE ADMODUM REV. & EX. VIRO D...

Libert Froidmont




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
34 D
51

COMMENTARIVS IN APOCALYPSIN S. IOANNIS APOSTOLI.

AUCTORE
Admodum Rev. & Ex. Viro D. ac M. N.
LIBERTO FROMONDO
HACCURIANO,
S. THEOLOGIÆ DOCTORE,
SS. Litterarum in celeberrima LOVANIENSIUM Academia Regio Profess. nec non ibidem insignis Colleg. Ecclesiæ S Petri Canonico & Decano, & Leodiensium Seminarij Præside.



LOVANII,
Typis HIERONYMI NEMPÆI Anno 1657.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



Reverendo admodùm

ET ERVDITISSIMO VIRO,

DOMINO,

D. EVSTACHIO FROMONDO

SACRÆ THEOL. LICENTIATO,

Cathedralis Ecclesiæ B. MARIÆ Tornaci

CANONICO LONGE DIGNISSIMO,

DOMINO ET PATRONO SVO OBSERVANDISSIMO.



Portunè accidit, *Vir Eruditißime*, ut dùm novi anni recreamur auſpicio, ejuſdem Tibi fauſtum apprecandi decurſum, novus hic è typis noſtris emerſus Liber occaſionem adferret. Tuo igitur Nomini inſcriptum venio, quia tuus; ut & Nominis indifferentia, & Virtututum par commendatio poſthumæ

Authoris Soboli ex æquo Patrocinentur. Sic namque *Fromondum* obiisse deflemus, ut *Fromondi* Genium in Nepotibus repullulâsse lætemur. Novit enim Belgium, novit Orbis, quantos Patruus ille Tuus, Vir Sæculo suo dispar, pro fidei Christianæ veritate, quà scribendo, quà docendo exantlârit labores: qui per fragrantissimam Virtutum & Scientiarum exuberantiam bonis omnibus in delicio fuit, nunc in suspirio. Tu verò tanto Patruo non degener Nepos, qui Academiam nostram in florentissimo *Falconis* Pædagogio Philosophiam Professor Primarius summâ cum laude pluribus annis illustrasti; vix est dicere, quanto cum Academicorum luctu celeberrimum nostrum Athenæum reliqueris.

Sed

Sed bene consuluit Deus æquus.

In fatis erat, ut Scientia Tua hîc dudùm nota, etiam exteros erudiret, & tam exoptabilis advenires Nervijs, quàm amabilis exciteris Grudijs. Nimirùm hoc magnis ingenijs commune, reliquos omnes in sui venerationem, admirationemque attrahere. Vix enim annis aliquot apud Tornacenses degisti, & eorumdem Tibi animos, Virtute Pellice, in Tui amorem conciliasti. Suscipe igitur *Vir Dignissime*, quod pro debitæ observantiæ symbolo devotè offero, & placido, qui *Placidus* es, conatum nostrum affectu intuere.

ADMODVM R.dæ ET ERVDITISS. DOMINATIONIS TVÆ

Devotissimus Servus

HIERONYMVS NEMPÆVS Typog. Lovan.

Lovanij Idibus Ianuarij 1657.

VITA AVCTORIS

EX BIBLIOTHECA BELGICA

C. D. VALERII ANDREÆ

DESSELII.

LIBERTVS FROMONDVS, sive *Froidmont*, Haccurianus (qui in Eburonibus ad Mosam fluvium, Trajectum inter ac Leodicum, est pagus) nascitur anno Dom. CIↃ. IↃ. LXXXVII. III. Non. Septembris. Post hausta Leodij Studiorum, quæ ab Humanitate nomen habent, fundamenta, Philosophiam Lovanij didicit in Pædagogio Falconis, docuitque eamdem Antuerpiæ ad S. Michaelem ferè triennio, totis verò XIV. annis Lovanij, postquam artem ibidem Oratoriam quadriennio integro tradidisset. Intereà & S. Theologiæ animum adjecit, Doctorque anno CIↃ. IↃC. XXVII. renuntiatus, primùm Professor Ordinarius, deinde Regius Sacrarum Litterarum Interpres *Cornelio Ianssenio*, ad Cathedram Iprensem promoto, sufficitur. Decanus verò Ecclesiæ collegiatæ atque exemptæ eligitur anno CIↃ. IↃC. XXXIX. die IX. Septembris. Amœnissimi ac politissimi Vir ingenij, doctrinæ & lectionis omnifariæ, atque in Mathesi rerumque Cælestium indagatione non infeliciter quoque versatus. Ab eo sunt:

Cœna Saturnalitia, id est, Quæstiones varij argumenti (de quibus anno CIↃ. IↃC. XV. in Quodlibeticis, ut vocant, disseruerat) variatæ *Somno* sive *Peregrinatione Cœlesti*. Edidit Lovanij Phil. Dormalius, 1616. 8.

Dissertatio de Cometa anni CIↃ. IↃC. XVIII. Antuer. 1619. 8. cum *Thoma Fieni* Cometa.

Laudatio Funebris ALBERTI PII, Belgarum Principis, Lovanii habita, & vulgata, 1621. 8.

Meteorologicorum libri V. Antuerp. typis Plantin. 1631. 4.

Commentarij in libros Quæstionum Naturalium Senecæ, I. Lipsio intactos: & in Ἀποκολοκύντωσιν, sive *Ludum Claudij Cæsaris*, eodem *Seneca* auctore. Ibid. fol.

Anti-Aristarchus sive *De orbe terræ immobili*, adversùs *Phil. Lansbergium*. Ibid. 1631. 4.

Vesta, sive *Anti-Aristarchi Vindex*, adversùs *Iac. Lansbergium*, Philippi F.

Labyrin-

Labyrinthus, sive *De compositione continui*. Ibid. 4.

Laudatio Funebris Ioannis Drusii, Monasterij Parcensis Ord. Præmonstrat. Abbatis. Lovanii, typis Masii, 1635. 8.

Causa Desperata Gisb. Voetij adversùs spongiam D. Corn. Ianssenij, Episc. Iprensis.

Crisis: Ibid. apud Ioan. Oliverium, 1636. 4.

Sycophanta: *Epistola ad Gisb. Voetium*. Ibid. apud Iac. Zegers, 1640. 4.

Laudatio Funebris Ioan Francisci à Balneo, Tit. S. Alexij S. R. E. Card. Academiæ Lovaniensis Protectoris. Ibid. 1641. 4.

Anatomia Hominis; naturam ejus talem repræsentans, qualem D. Augustinus olim nobis descripsit. Ibid. 1641. 4.

Catechismus, Facultati Artium scriptus, etiam *Fromondum* auctorem haber.

Philosophia Christiana de Animâ, libri quatuor. Lovanij, apud Hieron. Nempe, 1649. 4

Commentaria in Canticum Canticorum. Ibid. 1653. 4.

Commentaria in Acta Apostolorum. Ibid. 1654. 4.

Aliaque editioni parata habet; atque utinam plerorumque votis faciat satis, edendo quæ in Epistolas D. *Pauli* & reliquas Canonicas ad calamum dictavit.

CENSVRA.

INfrascriptus legi Commentarium Eximij D: M. N: LIBERTI FROMONDI in Apocalypsin, eumque valdè eruditum, & prælo ac publicâ luce dignum censui. Lovanij die 26. Ianuarij 1657.

IACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctor ac Professor & Librorum Censor.

IN APOCALYPSIN
FROMONDI.

Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ hujus.
Apoc. Cap. 1. v. 3. & Cap. 22. v. 7.

HIc ô Christiades, Cælo devota Propago,
Queîs metus inferni, Superûm queîs Gloria cordi;
Quæ benè succincto Fromondus *tramite pandit,*
Mystica Iudicij cognoscite Signa futuri.
Quò tulit electam Divina Theoria Mentem?
Humanas sortes, terrasq; exosa iacentes
Despiciens, caput impavidum super Aethera tollit
Post cineres rediviva suos, post busta superstes
Fromondi *Gnesion Sacli rarissima Phœnix.*
Illic cognovit venturas Numinis iras,
Illic Cælestis didicit mysteria Vitæ,
Abdita sensa Dei. Si fas est dicere: solvit
Mystica Fromondus *Libri Signacula septem* Vide cap. 5. 1. 5. 4.
Septuplici Virtute potens, totq; Artibus unus
Eximius verè, & Sacrâ Sacer Arte Magister.
Transijt ignivomas, horrenda tonitrua, nubes,
Aligerûm Phialas, septem instrumenta furorum,
Quidquid & ira Dei ruituro destinat Orbi:
Excutiens pavidos, securâ Mente, timores
Iudicis augustum perrexit ad usque Tribunal;
Hinc scelerum pœnas, Virtutum præmia noscens,
Has amplectendas, fugiendasq; præmonet illa.
Hunc lege quisquis amas Cæli documenta fruendi,
Prospice venturos memori sub pectore casus,
Quos feret illa dies, totus quâ corruet Orbis,
Scilicet ut nunquam, memorare Novissima, pecces.

Pangebat F. I. IMPENS
Can. Reg.

PROOEMIVM.



N Apocalypsis liber Canonicus, & à S. Ioanne Euangelista compositus esset, olim dubitatum est: nam S. Hieronymus testatur suo tempore ab Ecclesijs Græcorum non suscipi, sicut nec Epistolam ad Hebræos ab Ecclesijs Latinorum. *Nos tamen utrumque suscipimus*, inquit, *nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes.* Passim etiam veteres Ecclesiæ Doctores, non tantùm Latini, sed etiam Græci, Apocalypsin ut librum Canonicum citant: imò duo Græcorum Patrum antiquissimi Iustinus, & Irenæus Commentarijs eam illustrarunt.

S. Augustinus cap. 27. de Virginit. dicit Apocalypsin *scriptam á quodam, qui præ cæteris dilectus erat Agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat, & biberat, & eructabat mirabilia super cælestia.*

Nec refert, quòd vetusti quidam codices Apocalypsin Ioannis Theologi appellent; nam S. Ioannes Euang. olim *Theologus* per excellentiam appellabatur. Nemo etiam plura de Deo & Christi Divinitate, nec magis arcana scripsit.

Inter Sectarios hodie Lutherus cum Brentio, Kemnitio, & Lutheranis negant Apocalypsin esse Scriptu-

ram Sacram: Erasmus dubitat; Calvinus, Beza, & Calvinistæ stant à parte Catholicorum, & Beza argumenta Lutheranorum, & Erasmi dubitationes prolixè & benè refellit.

Scripta est Apocalypsis à S. Ioanne circa annum XIV. seu penultimum Imperij Domitiani in Pathmo Insulâ parvâ maris Ægæi, quò in exilium ob Fidem Christianam à Domitiano missus fuerat anno Imperij ejus IX. Christi Anno 92. Pathmos autem una est ex Cycladibus, ad quas frequenter Romani eo tempore noxios in exilium mittere solebant, præsertim in Pathmum Seriphum & Cyaram, ut ex Poëtæ Juvenalis Satyra I. & X. colligitur. Vixit autem Juvenalis sub Domitiano tempore S. Ioannis Euang.


Hinc colligitur, Apocalypsin scriptam esse post excidium urbis Ierosolymitanæ, quod accidit anno primo Vespasiani Imperatoris, qui fuit Domitiani pater.

An autem scripta sit ante S. Ioannis Euangelium, dubitatur. Plures cum S. Hieronymo Euangelium postea scriptum dicunt, quando scilicet ex Pathmo redierat in Asiam. Turrianus tamen & Bartholomæus Petrus conjectant Euangelium scriptum esse ante exilium in Pathmo, & consequenter ante Apocalypsin; quia Dogma Ebionitarum, contra quos scripsit Euangelium, jam aliquamdiu spargi cæptum fuerat, antequam S. Ioannes exularet: quæ tamen ratio non multum convincit. Argu-

Argumentum hujus libri à varijs Interpretibus maximè varium ſtatuitur; ſed nihil verius dici poteſt, quàm eſſe Prophetiam rerum maximè notabilium in Eccleſia gerendarum, à primo Chriſti adventu uſque ad finem ſæculi, ut S. Auguſtinus lib. 20. c. 8. de Civit. Dei teſtatur. Præcipuè tamen narrantur ea, quæ in fine ſæculi, tempore Anti-Chriſti & præcurſorum ejus, eventura ſunt, ut fideles, telis jam ante prævi-ſis, lenius feriantur, & ad patientiam conſtantiamque animentur.

Tria tamen prima capita de præſenti rerum ſtatu, tanquam futurorum veſtibulo agunt. Sequuntur deinde Prophetiæ, & viſiones futurorum ænigmaticæ & obſcuriſſimæ, quas Interpretes in varios ſenſus pro uniuſcujuſque imaginatione diſtrahunt, & quarum veritatem ſine divina luce & revelatione nemo certò aſſequi poteſt: *Habet enim tot Sacramenta quot verba, & in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ*, ait S. Hieronymus epiſt. ad Paulinum, & S. Dionyſ. Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 20. Hiſtoriæ, *In ſingulis prope ſententijs* ait, *ſenſum quemdam myſterijs involutum deliteſcere, & licet*, inquit, *intelligere non valeam, admiror tamen & veneror quod non comprehendo.* Hinc ingenioſus Caietanus, poſtquam breves in totam Scripturam commentarios edidiſſet, & ad Apocalypſin ſenex anno ætatis ſuæ 61. perveniſſet: *Apocalypſin*, inquit, *fateor me neſcire exponere juxta ſenſum litteralem, exponat cui Deus conceſſerit.*

concesserit. Vnde ad assequendum, aut proximè saltem attingendum verum Scripturæ tam tenebrosæ sensum nihil tutius est, quàm SS. Patrum, quorum mens sublimior, & ad capiendum divinæ illustrationis radium purior, potius quàm recentiorum quorumdam Interpretum expositiones sectari. Si enim de ullo sanctæ Scripturæ libro, de hoc maximè verum est, quod ait Sanctus Augustinus; *Gratiam Dei ad intelligentiam Scripturarum ducem oportere esse, & Scripturam eodem Spiritu, quo scripta est, interpretandam esse.*



CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

'roponitur libri titulus & elogium: dein subditur ejus dedicatio septem Asiæ Ecclesijs. Tertiò est Prologus continens narrationem primæ visionis; describit enim speciem gloriosam Christi, quem vidit in medio septem candelabrorum.

Vers. 1.



POCALYPSIS JESU CHRISTI. Hæc est Apocalypsis sive revelatio rerum abditarum facta à Jesu Christo. Nomen græcum *Apocalypsis*, fictum esse à LXX. Interpretibus, nec usurpatum à sæculi sapientibus, dicit S. Hieronymus cap. 1. ad Gal. Videntur autem LXX. Interpretes respexisse ad velum Tabernaculi seu Templi, quod Arcæ Testamenti & Sancto Sanctorum oppansum erat, quod cum fuisset reductum, ait S. Hieronymus, ea quæ anteà abscondita fuerant, prodebantur, & ablato velo :velabantur.

Incipit autem S. Joannes suam Prophetiam more veterum Propheiarum, ut, *Verbum Domini, quod factum est ad Osee, Micheam.*

QUAM DEDIT ILLI. Ut homini, infundendo animæ ejus à rimo instanti conceptionis scientiam rerum futurarum; hæc enim :ientia fuit pars illius scientiæ & veritatis infusæ, quâ Anima Christi atim à principio plena fuit. Vocat autem scientiam istam *Apocalypsin*, ıetonymicè, quia ex scientiâ rerum futurarum Christo infusâ, reveıtio facta est Joanni & alijs. DEUS. Pater, & tota simul SS. Trinis, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. PALAM FACERE. ræcè, *Demonstrare*. Ut demonstraret & palam faceret per ænigmata, ıæ in suis quidem signis satis palam demonstrantur, sed quorum siıificatio admodum est obscura, ad excitandum studium Fidelium, & : cunctis manifesta vilesceret, inquit Beda: obscuritatem enim Scriurarum divinitus provisam esse, non dubito, ait S. Augustinus lib. . cap. 6. de doctr. Christ. ad edomandam labore superbiam, & in-

tellectum à fastidio liberandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.

SERVIS SUIS. Ecclesiæ sive fidelibus Christianis præsentibus & futuris. QUÆ OPORTET FIERI CITO. Necesse est, supposito Dei decreto, aut certè futurorum prævisione, ut post paucum temporis fieri incipiant. Nam licèt rerum istarum catena usque ad finem sæculi successivè decurrat, citò tamen incipiet: vel etiam ea, quæ tantum in fine sæculi futura sunt, citò tamen fient, quia non tardabit Deus promissionem suam, cum unus dies sit apud eum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus, 2. Petri 3. v. 8. Nam totum tempus Ecclesiæ à morte Christi usque ad finem mundi, est sicut hora una diei novissima, 1. Joan. 2. v. 18. ET SIGNIFICAVIT. Nuntiavit Ecclesiæ istam Apocalypsin, sive ea, quæ Apocalypsi continentur. MITTENS Eam. PER ANGELUM. Aliquem, non unicum, sed per hunc vel illum. Nam non unicus Angelus est, qui omnia Joanni revelat, ut patebit in progressu. SERVO SUO JOANNI. Unde Apocalypsis ista à Deo Patre tanquam primo auctore per Christum, & deinde per Angelum Christi nuntium ad S. Joannem pervenit.

2. QUI TESTIMONIUM PERHIBUIT VERBO DEI. Græcè, *Qui testatus est verbum Dei*. Qui deinde Joannes per hanc Apocalypsin à se scriptam testatus est fidelibus verbum Dei, & revelationes istas quas ab Angelo accepit. Loquitur autem in præterito, *Qui perhibuit*, respiciens non ad tempus præsens, quo hæc scribebat, sed ad tempus futurum, quo fideles lecturi erant, quæ ipse scripserat.

Beda cum alijs multis, *Verbum Dei*, intelligit Christum, quem Joannes testificatus est esse Verbum Dei increatum, quando initio Euangelij sui dicit, *In principio erat Verbum: & vidimus gloriam eius quasi unigeniti à patre &c.* Sed verius est, ut superius cum SS. Hieronymo & Augustino monuimus, Euangelium S. Joannis nondum scriptum fuisse, quando scripsit Apocalypsin. Unde probabilius intelligeretur de testificatione Divinitatis Christi per prædicationem Evangelij, quod per Asiam & alibi multis annis vivâ voce disseminaverat.

ET TESTIMONIUM JESU CHRISTI. Et etiam testatus est testimonium de Jesu Christo, qui est præcipua persona, de qua in hac Apocalypsi plurima vidit. Vox, *Testimonium*, est accusativi casus, & regitur à verbo *Perhibuit*, ut ex Græco patet. QUÆCUMQUE VIDIT. Quæcumque sibi ostensa sunt in hac Apocalypsi de Jesu Christo, & vidit visione imaginariâ vel intellectuali. Græcè, *Et Quæcumque vidit*.

Et denique

Et denique testatus est alia quæque, sive de Christo, sive de Anti-christo, & tot alijs rebus sibi ab Angelo demonstratis.

3. BEATUS. Jam est spe & merito, posteà verò futurus re & præmio beatus, si nempe nihil cæterarum rerum ad salutem & beatitudinem necessariarum desit. QUI LEGIT. Hoc dicit pro doctis, qui legendi sunt periti. ET AUDIT. Aut certè audit, sicuti à Verbi Dei præconibus audire possunt, etiam qui legere nesciunt. Conjunctio copulativa, *&*, non copulativè, sed disjunctivè hîc sumitur, nec enim necesse est, ut quispiam legat simul & audiat. VERBA PROPHETIÆ HUIUS: Apocalypsin *Prophetiam* vocat, quia multa, licet non omnia, rerum futurarum Prophetica continet. Sed quia ad beatitudinem non est satis, characteres verborum legere, aut sonum verborum audire, subdit: ET SERVAT EA. Opere explet præcepta fidei & morum. QUÆ IN EA SCRIPTA SUNT. Præter enim obscura illa rerum futurarum enigmata, Apocalypsis miscet multa præcepta & exhortationes ad fidei constantiam & malorum tolerantiam. Deinde terror regni Antichristi, & instantium temporum inauditæ calamitates sancto terrore lectores & auditores concutiunt, etiamsi, quales futuræ sint, non satis distinctè intelligatur.

Sicuti autem beati & felices sunt, qui hanc Apocalypsin legunt, & servant ea, quæ in ipsa scripta sunt: ita felicissimi, qui in tota Scriptura Sacra die ac nocte meditantur, & virtutes ac vitia, non in statera dolosa humanarum consuetudinum & opinionum, sed in statera æqua divinarum Scripturarum pensant, ut S. Augustinus lib. 3. cap. 2. contra Parmenian. loquitur. Hi enim non periculosè per semitas ab hominibus inventas, sed per viam Domini & Sanctorum securè, & inter non carnales, sed spirituales delicias, quas Scripturæ sanctæ subministrant, dilatato corde, ad futuram & æternam felicitatem currunt. Inde S. Augustinus ad delicias istas, & sacrarum Scripturarum intelligentiam anhelans; *Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ*, inquit lib. 11. c. .. Confess. *Nec fallar in eis, nec alios fallam ex eis. Largire inde spatium meditationibus nostris in abdita Legis tuæ, neque adversus pulsantes claudas eam. Neque enim frustrà scribi voluisti tot paginarum opaca secreta, aut non habent illæ sylvæ cervos suos recipientes se in eas, & resumentes, & ambulantes, & pascentes, recumbentes & ruminantes; ô Domine perfice me, & revela mihi eas.*

TEMPUS ENIM PROPE EST. Articulus temporis, quo mala ista ventura, & Christus ad iudicium venturus est reddere unicuique secundum opera sua, appropinquat, unde festinandum est, ut servemus ea, quæ in hoc libro scripta sunt. Vox græca, quam Interpres hîc vertit *tempus*

tit *tempus*, propriè temporis articulum aut momentum, ſive opportunitatem, quâ aliquid agendum eſt, ſignificat; unde alibi, *momentum*, vertit, Act. 1. v. 7.

Dies autem Judicij univerſalis dicitur eſſe prope, quia quodlibet tempus finitum eſt inſtar momenti, ſi cum æternitate comparetur: aut certè quia iudicium univerſale in iudicio particulari mortis uniuſcujuſque hominis quodammodo inchoatur, cum judicium univerſale non ſit aliud, quam ſolemnis quædam omnium judiciorum particularium recapitulatio.

4. JOANNES SEPTEM ECCLESIIS. Scribit hæc. Licet autem una ſit Eccleſia toto Orbe diffuſa, ſæpe tamen Eccleſiæ pluraliter apellantur multifaria Fidelium conventicula, varijs tribubus, linguis & populis diſcreta, ait Beda, 1. Petri 2. v. 8. In ſeptem verò iſtis Eccleſijs ſcribit etiam ad Eccleſiam univerſalem, quia numerus ſeptenarius in Scripturis eſt numerus univerſitatis, & pro qualibet numeroſa multitudine poni ſolet, quia Annus, & univerſum tempus ſeptenario dierum numero circumcurrit. Deinde numerus iſte univerſalem Eccleſiam aptè ſignificat, quæ ſeptiformi Spiritus Sancti gratiâ & magiſterio regitur: ideo etiam in S. Joannis Apocalypſi per ſeptem Eccleſiarum numerum univerſalis Eccleſia deſignatur, ait S. Gregor. cap. 8. præfat. Moral. Unde, *Septies in die laudem dixi tibi* Pſal. 118. nihil eſt aliud, quam, *ſemper laus eius in ore meo*, Pſal. 33. ait S. Auguſtinus lib. 3. cap. 35. Doctr. Chriſt. Et ubi in Cantico Annæ legimus, *Donec ſterilis, peperit plurimos*; in Hebræo habetur, *Donec ſterilis peperit ſeptem*, 1. Reg. 2. v. 5. quia, *ſeptem*, & *plurimi*, ab Hebræis pro eodem habentur.

QUÆ SUNT IN ASIA. Minori, quæ Ponto Euxino, Propontide, mari Ægæo, & parte maris mediterranei ambitur, inſtar peninſulæ, cujus Iſthmus à ſinu Iſcico ad Pontum Euxinum protenditur. Hæc Aſia minor hodie Natolia appellatur, cujus pars eſt Aſia ſpecaliſſimè dicta, quæ aliter Jonia nominatur, cujus præcipuæ civitates ſunt Epheſus & Miletus. Non poſſe autem hoc loco Aſiam accipi pro Jonia patet, quia non omnes ſeptem Eccleſiæ ſunt in Jonia, ſive Aſiâ ſpecialiſſimè dictâ. Unde Aſia triplex diſtingui debet, magna, minor, minima. Magna eſt quarta pars Orbis terræ, minor eſt Natolia, minima verò eſt Jonia.

GRATIA VOBIS ſit, & in dies multiplicetur. Gratiam autem apprecatur tam habitualem, quæ animas ſanctificat, quàm actualem, quæ concupiſcentias pravas debellat, & opera bona inſpirat.

ET PAX.

ET PAX. Tranquillitas mentis, & quies in Deo, quâ post debellatas concupiscentias soli fruuntur justi: nec enim talis *est pax impijs, dicit Dominus.* Isa. 57. v. ult. AB EO QUI EST. A Deo Trino & Uno, qui à seipso esse incommutabile & æternum habet: unde rogatus nomen suum à Moyse respondit, *Ego, sum qui sum*, Exodi 3. v. 14. quod LXX. verterunt, *Ego sum ille ens* sive, *ille qui est.* Ad quæ verba S. Joannes sine dubio hîc respexit. ET QUI ERAT. Et consequenter cujus esse in principio temporis, quando mundus creabatur jam erat: non enim incommutabile illud ens, quod cæterorum entium fundamentum est, potuit cum alijs Entibus incipere esse. ET QUI VENTURUS EST. Ad judicium universale; non enim solus Filius, sed & Pater & Spiritus S. ad judicium venient, & per Christum hominem mundum judicabunt.

Beda cum alijs multis, omnia ista tria, *Qui est, qui erat &c.* tribuit soli Patri, sequentia verò duabus alijs Personis. Sed melius singulis Personis, sive Deo uni & Trino tribuuntur, sicut infra Apocal. 4. v. 8. ET A SEPTEM SPIRITIBUS. Gratia & pax quoque vobis à septem Angelis. Hi enim septem Spiritus vocantur septem Angeli infra Apocal. 8. v. 2. & septem oculi, Apocal. 5. v. 5. Zachar 4. v. 10. Nomina septem istorum Angelorum S. Amadæo revelata fuisse, narrat Galatinus, nempe ista; Michaël, Gabriel, Raphaël, Uriel, Sealthiel, Jehudiel, Barachiel: sed solum trium priorum fit mentio in Scripturis Canonicis; nam liber quartus Esdræ, in quo fit mentio Angeli Urielis, est apocryphus.

Nomina autem ista sunt à quibusdam effectibus, quos vel ipsi immediatè operantur, vel inspirant hominibus. Michaël, *Quis ut Deus*; Gabriel, *Fortitudo Dei*: Raphaël, *Medicina Dei*; Uriel, *Lux Dei*; Sealthiel, *Oratio Dei*: Jehudiel, *Confessio Dei*: Barachiel, *Benedictio Dei.*

Multi tamen cum Beda, non septem Spiritus creatos, sed Spiritum S. essentiâ quidem unicum, sed munere septiformem, interpretantur. Quod tamen non satis quadrat, cum septem isti Spiritus missi dicantur in omnem terram, Apocal. 5. v. 6. deinde vocantur Angeli Apocal. 8. v. 2. quod Spiritui S. nequaquam convenit.

Gratia autem & pax à Spiritibus istis postulatur tanquam ministris, qui & Deum pro gratia & pace Electorum orare non cessant, & inspirationibus eam promovent, & Ecclesiæ ministros dirigunt, qui per Sacramenta gratiam infundunt.

QUI IN CONSPECTU THRONI EJUS SUNT. Qui thronum ejus, qui est, qui erat, & qui venturus est, circumstant, tanquam satellites & ministri

ministri veloces parati ad mandatum Domini sui, qui ad salutem Electorum eos mittit in omnem terram: sunt enim septem oculi Domini, qui discurrunt per universam terram Zachar. 4. v. 10. S. Raphaël dicit se esse unum ex istis septem Spiritibus, qui adstant ante Dominum, Tob. 12. v. 15. Non quasi sint ex superioribus ordinibus assistentium, qui ad homines mitti non solent; sed quia adstant more satellitum accincti & attenti, ut Domini accipiant & exequantur mandatum.

Vocantur ergo septem Principes Angeli ex ordine Principatuum, qui est supremus infimæ Hierarchiæ, quos Deus huc & illuc mittere solet, ad communem salutem Electorum promovendam, & vindictam peccatorum exequendam. Non sunt autem ex supremo ordine Seraphinorum, qui ordinariè mitti non solent, juxta S. Dionysij Theologiam.

5. ET A JESU CHRISTO. Cujus Sanguis fons est & scaturigo omnis gratiæ & pacis, Pater enim *gratificavit nos in dilecto filio suo*, ad Ephes. 1. v. 6 & *ipse est pax nostra*, ad Ephes. 2. v. 14. Hæc est pax, quam Christus moriens reliquit Apostolis dicens, *Pacem meam do vobis*, Joan. 14. v. 27. Unde quidam eam hæreditariam virorum Apostolicorum appellant. Hæc verò nihil est aliud, quàm, Serenitas mentis, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis.

Sanctus Joannes postponit Christum septem Spiritibus, quia secundùm naturam humanam minutus est paulò minus ab Angelis. Deindè quia plura de Christo dicturus erat, noluit, postponendo ei septem Spiritus, contextum sermonis abrumpere, & posteà iterum ad Christi mentionem redire.

QUI EST TESTIS FIDELIS. Qui testificando nec fallitur, nec fallit: non enim fabulas, sed quos biberat apud Patrem sermones loquebatur, & venerat in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, Joan. 18. v. 27. Unde ut Græcus excellentiam & certitudinem testimonij ejus indicaret, duplicem articulum addidit, *Qui est ille testis, ille fidelis*. Hoc verò Christi elogium interserit S. Joannes ut indicet, quæ in hac Apocalypsi à Christo testificante accepit, fidelissima & certissima esse. PRIMOGENITUS MORTUORUM. Græcè, *Primogenitus ex mortuis*. Qui primus ex omnibus mortuis per resurrectionem ad vitam immortalem est. Quicumque enim ante Christum ex mortuis surrexerunt, ut filius viduæ Sarephtanæ, 3. Reg. 17. v. 22. item filius Sunamitidis, 4. Reg. 4. v. 35. Lazarus, Joan. 11. v. 44. & quidam alij iterum morituri revixerunt. Si autem Christus primogenitus mortuorum est, & primitiæ

primitiæ dormientium 1. ad Cor. 15. v. 20. ergo etiam nos aliando resurgemus, cum simus membra ejus, membra enim sequuntur im caput. Et sic tacitè S. Joannes monet Electos, ut per tribulaones & mortes, quas hic liber ipsis denuntiat, ad beatam resurrectiom, & Christi capitis sui similitudinem aspirent.

Et Princeps regum terræ. Qui principatum & imperium hat supra reges terræ, quorum proinde potentiam ita moderatur & enat, ut nobis amplius nocere non possint, quam ipse permittat. ic autem Christi supra reges terræ principatus, non tantum ei ut Deo d etiam ut homini competit: nam Humanitati per unionem hypoticam deificatæ debetur omnis potestas in cælo & in terra. Matt. . v. 18. Unde quando dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. . v. 36. solùm significat, regnum suum non habet originem ex hoc undo, sive ex hominibus, nec eo modo administrandum esse, sicut gna hujus mundi. Haymo, *Reges terræ* interpretatur Electos, qui ter- suæ dominantur, cum terrenos affectus per adjutorium gratiæ hristi spiritui suo subijciunt. Horum ergo Christus est Princeps, quia r gratiam suam spiritum Electorum regit, spiritus verò terrenarum carnalium rerum concupiscentiam frænat.

Qui dilexit nos. Qui ut Deus nos ab æterno dilexit, & per m dilectionem è communi damnationis massa ad gratiam & gloriam s elegit. Deinde homo factus humanâ voluntate etiam nos dilexit, bisque eadem bona voluit & confirmavit, ad quæ divinâ suâ volunte nos ab æterno prædestinaverat. Loquitur autem S. Joannes seem Ecclesijs, tanquam si omnes essent dilecti & electi.

* Et lavit nos. Turpes anteà & maculosos per gratiam sanctifintem illius dilectionis dilexit, ergo adhuc deformes, sed ut forosos faceret, sicut faber lignum in Sylva non dolatum amat, amans n illud quod est, sed quod inde facturus est, ait S. Augustinus Tract. in Epist. 3. Joan. A peccatis nostris. Hinc patet, peccata reiquere in anima aliquas maculas, in quibus manent habitu, licèt anseant actu.

In Sanguine suo. Per sanguinem suum, sive per merita sanguix Passionis, quâ gratiam peccatorum deletricem nobis promeris est.

6. Et fecit nos regnum. Et per gratiam suam congregavit nos unam ecclesiam, in qua ipse & Pater regnat, regens Electorum orum animas & ad pacem felicitatemque æternam perducens. Ecsia ergo dicitur Regnum Christi & Dei, sicut populus subditus, ut

Hispani aut Galli, Regnum sui Regis appellantur. Plurima tamen hodie exemplaria græca habent, *Et fecit nos reges*; quia nempe Spiritus Electorum gratiâ Christi adiutus carni imperat, & terrenos affectus regit, ac in ordinem redigit, juxta illud, *Et regnabimus super terram*, Apocal. 5. v. 10. ET SACERDOTES. Et subditi ejus in hoc regno non qualescumque, sed omnes sacerdotes sunt ad offerendas *spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*, 1. Pet. 2. v. 5.

Omnes ergo verè Christiani dicuntur metaphoricè Sacerdotes, quia per pænitentiam offerunt Deo Sacrificium spiritus contribulati, Psal. 50. & per concupiscentiæ mortificationes exhibent *corpora sua hostiam viventem, sanctam Deo placentem*, Rom. 12. v. 1. Immolantque Deo sacrificium laudis, Psal. 49. Unde Deus, Exodi 19. v. 6. ad cujus verba S. Joannes hîc respexit, universum populum Israëliticum alloquens, *Vos eritis mihi*, inquit, *in regnum sacerdotale, & gens sancta*.

Verumtamen licèt hoc loco & alibi omnes Christiani dicantur metaphoricè tantùm Sacerdotes, non sequitur tamen, quod contendunt Sectarij, nullos in Ecclesia esse alios Sacerdotes propriè dictos, qui non tantum metaphoricè, sed propria sacrificia Deo in missa offerant; sicut in populo Judaico erant Aaronici, & propriè dicti Sacerdotes, licèt singuli de populo illo dicantur illo loco Exodi Sacerdotes metaphoricè propter sacrificia laudis, vitulos labiorum, & alia sacrificia impropriè dicta, quæ unusquisque Deo offerre poterat. Quidam tamen interpretes accipiunt hîc, *Sacerdotes*, non metaphoricè, sed propriè, & ista verba, *Fecit nos Sacerdotes*, exponunt; Constituit in regno nostro, sive in Ecclesia Christianorũ veros summi Dei Sacerdotes, qui quotidie hostiam incruentam Deo in missæ Sacrificio offerant; non autem, quasi singuli Christiani vocentur Sacerdotes.

DEO ET PATRI suo. Qui sacrificia offerant Deo, qui est Pater ejus. Sed quia ipse & Spiritus S. idem Deus sunt cum Patre, etiam Christo & Spiritui S. eadem Sacrificia offeruntur. IPSI GLORIA. Christo gloria sit apud omnes Angelos & homines in cælo & in terra, propter illa beneficia humano generi præstita. ET IMPERIUM. Quod habet in omnem creaturam, quia constitutus est ad dexteram Patris in cælestibus supra omnem principatum & potestatem, ad Ephes. 1. v. 21. IN SECULA SECULORUM. Nec qualis est gloria & Imperium Principum hujus mundi, quæ cum vita extinguuntur, sed quæ durent in omnem æternitatem. AMEN. O ita sit, & omnes ei hanc gloriam & Imperium ex affectu amoris congratulentur.

7. ECCE VENIT. In proximo est adventus ejus ad Judicium. Nam

particula,

particula, *Ecce*, rem præsentem, & oculis subditam demonstrat; & verbum, *venit*, hîc est præsentis temporis. Sic autem loquitur S. Joannes, quia oculis propheticis rem post multa sæcula futuram quasi præsentem cernebat. CUM NUBIBUS Christus enim cinctus nubibus ex superiori aëris regione proprius ad terram descendet, ac in aëre supra vallem Iosaphat in nube, tanquam Iudicis throno sedebit. Nubes vero illæ Angelorum ministerio conformabuntur, & lumine corporis gloriosi Christi & Sanctorum perfusæ, majestatem Iudici & assessoribus ejus addent. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate*, Matth. 24. v. 30. Sicut enim nubes euntem in cælum sucepit ab oculis Discipulorum, ita nube amictus ad judicium veniet.

Blasius Viegas & Sotus in 4. d. 47. q. 2. a. 1. dicunt nubes illas fore miraculosas, quia tempore Iudicij cælorum motus cessabunt ideoque nulli nubium vapores poterunt à sole naturaliter amplius elevari. Sed licèt hoc daremus, poterunt tamen ex vaporibus anteà elevatis nubes ab Angelis congregari, & in throni formam conglobari.

ET VIDEBIT EUM OMNIS OCULUS. Omnium hominum tam electorum quàm reproborum corporei oculi Humanitatem ejus videbunt, quæ blanda electis terribilis reprobis apparebit. Hæc autem diversitas non tantum orietur ex videntium diversis conscientijs, sed etiam ex parte subjecti, & facie ipsa Iudicis, quæ diversimodè oculos videntium immutabit, inquit Carthusianus. ET QUI EUM PUPUGERUNT. Græcè, *Transfixerunt*: quomodo Interpres idem verbum græcum vertit Ioan. 19. v. 37. Illi enim pavidi & trementes videbunt eum in nubibus venientem, & judicem gloriosum, qui illum in Passione sua plagis & lanceâ, tanquam infamem latronem, in Cruce transfixerunt; quod olim etiam prophetatum Zachar. 12. v. 10. ET PLANGENT SE. Sua pectora plangendo & tundendo deplorabunt suam infelicitatem. SUPER EUM. Propter eum. OMNES TRIBUS TERRÆ. Reprobi ex omni tribu & natione Orbis terræ, quia vel in eum credere noluerunt vel fidem sine dilectione & operibus informem, veritatemque Dei in injustitia detinuerunt, Rom. 1. v. 18. magnitudinem verò & acerbitatem hujus planctus exprimens Zacharias, *Plangent eum*, inquit; *quasi super unigenitum*. Zach. 12. v. 10. parentes enim mortem unigenitorum in quibus spes familiæ, & posteritatis semen erat luctuosissimè deplorant.

Tantus tamen damnatorum planctus infructuosus erit, quia non ex amore Conditoris, sed ex solo horrore pœnarum expressus; *peni-*

quod superius versu 4. Deo Trino tribuerat, jam specialiter Christo tribuit, ut non solum hominem, Sed Deum esse ostendat, ut Nazianzenus Orat. 35. notat. OMNIPOTENS. Alij vertunt, *Ille omnipotens*, propter articulum græcum. Christus enim est Deus ille omnipotens, idem cum Patre & Spiritu S. Si autem omnipotens, nemo eum impedire potest, quo minus, quando cum millibus ad Iudicium veniet, hostes suos humiliet, & amicos exaltet.

9. EGO IOANNES. Finitâ præfatione, incipit narrare mysteria sibi in hâc Apocalypsi revelata, designando personam, locum, tempus, causam hujus visionis. FRATER VESTER. Fide Christi, & adoptione in filium Dei. ET PARTICEPS IN TRIBULATIONE. Ut proindè animum despondere non debeatis, qui me Apostolum Christi, socium tribulationis & persecutionis habetis. ET REGNO. Quod nobis paratum est in cælis. Hâc spe regni cælestis obiter interjectâ, eos ad tolerantiam tribulationum animat. ET PATIENTIA IN CHRISTO IESU. Et particeps in tolerantiâ earumdem tribulationum propter Iesum Christum. Rectè addit, *In Christo Iesu*; quia etiam mali multas tribulationes sustinent in hoc mundo, quæ quidem habent supplicium, ait Richardus de S. Vict. sed non perducunt ad regnum. Carthusianus, *In Iesu Christo*, exponit, Per gratiam Iesu Christi, à quo omnis vera patientia donatur, juxta illud; *Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, Psal. 61. FUI IN INSULA. Missus eò ab Imp. Domitiano, alterâ post Neronem persecutione, circa annum Christi XCII. postquàm S. Ioannes ex Asia Romam ad Domitianum perductus fuisset, & in dolium ferventis olei missus, ut Tertullianus & S. Hieronymus narrant. QUÆ APPELLATUR PATHMOS. Non procul ab Insula Samo in mari Myrtoo, quod est pars maris Egæi, alluens Asiæ littus, in qua Ephesus, & S. Ioannis habitatio. Unde non procul à domicilio suo in illam insulam relegatus est. Dicitur etiam ad metallum ibi fuisse damnatus. Abundat autem illa insula venis metallicis, ad quas eruendas rei olim, pœnâ leniore quam mortis, sæpè damnabantur, ut hodie ad triremes. Pathmos hodie vocatur Pathmosam, nobilis adhuc monasterio S. Ioannis quod monachi S. Basilij inhabitant. PROPTER VERBUM DEI, ET TESTIMONIUM IESU. Propter prædicationem Euangelicam Verbi Dei in Asia, quæ provincia S. Ioanni obtigerat in divisione orbis terrarum, & quò ex Iudæa migraverat, cum Virgine Matre, cujus à Domino constitutus erat custos. Virgo autèm jam dudum ante hoc S. Ioannis exilium obierat, & in cælum assumpta erat, circa annum Christi 48. cùm esset ætatis 63.

10. Fui

Et propter testimonium Jesu Christi. Quo per Asiam testabar Christum esse Verbum Dei Incarnatum, Messiam & Salvatorem mundi. Maximè autem tunc temporis prædicationi S. Joannis Ephesi resistebat Apollonius Tyanæus Philosophus, & magus, quem Ephesini propter Miracula & præstigias diabolicas pro Deo colebant. Unde hic Tyanæus putatur fuisse potissima causa cur S. Joan. Ephæso in vinculis missus fuerit Romam ad dicendam causam coram Imperatore Domitiano.

10. Fui in spiritu. In ecstasi, quâ spiritus ejus à sensibus alienatus, & à Spiritu S. docente assumptus est, ut alta & mystica posset intueri, ait Haymo. Narrat S. Ioannes se hæc spiritu vidisse, ne à carnali phantasmate lusus esse putaretur, ait Beda. In Dominica die. Hinc patet, antiquissimam, & ab Apostolis consecratam esse Dominicam diem propter Domini resurrectionem. Unde verosimile est, quod notat Estius, diem Dominicam appellatam à Christianis fuisse, antequam à Gentilibus, dies solis, appellaretur, quia Dio Cassius, qui circa annum Christi 200. vivebat, lib. 37. testatur, non ita pridem ab Ægyptijs dies septimanæ nominibus Planetarum, ut Solis Lunæ, martis, &c. appellatos, nec veteres Græcos tali nomenclaturâ usos fuisse.

Locum autem, scilicet insulam Pathmum, & tempus, nempe diem Dominicam, quando hæc visio ei ostensa fuit, exprimit S. Ioannes, ut solitudinem insulæ & diei otium sanctitatemque divinæ contemplationi maximè idoneam esse significet: Ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus, Osee 2. v. 14. solitudo enim & otium à temporalibus est doctrinæ cælestis schola, negotiationum cælestium apotheca, ubi Moyses accepit Decalogum, Elias vidit pertranseuntem Deum, Eliseus duplicem magistri sortitus est spiritum, ait S. Basilius. Et audivi. Non auribus corporis, sed spiritali auditu: sicut enim in spiritu positus spiritualia vidit, ita postquam audivit, spiritualis fuit. Post me vocem magnam. Hæc vox post tergum audita, significat eum à contemplatione rerum divinarum, quas ante se quodammodo intuebatur, revocari à Deo ad considerandа pericula instantium temporum, & alia quæ retro erant, quæ ipsum latebant. Vel, ut Richardus à S. Vict. S. Ioannes à strepitu mundi abstractus, quieti deditus omnem pastoralem sollicitudinem, cunctaque visibilia post se reliquerat, solisq; supernis & invisibilibus intendebat. Unde ad subditorum eruditionem reducitur, & de ijs, quæ scribenda erant, per sensibilium similitudines edocetur, & quasi de anterioribus ad posteriora revocatur. Prælati enim

im Ecclesiæ non ita inhærere debent dulcedini contemplationis, ut ferant cogitationem & curam sui gregis. Unde cum Sponsa petijsset sponso, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, Cant. 1. v. 6. ut mpe suavi contemplationis osculo eum dissuaviare posset; respondet onsus, versu 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*; id est, pientiam cum eloquentia ad prædicationis officium dabimus tibi, ut erpretatur S. Bernardus Serm. 41. in Cant. *Ex quo sanè docemur*, init, *intermittenda esse dulcia oscula propter lactentia ubera*, quorum scilicet te Pastores filios suos spirituales nutriunt: Ideo sponsus versu 1. it, *meliora sunt ubera tua vino*, & sitienti Sponsi præsentiam, filiorum nso pariendorum alendorumque sollicitudo injungitur. Unde illud Augustini lib. 19. Civit. Dei, cap. 19. *Locus superior, sine quo regi ulus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet; tamen indecenappetitur: quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iun suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ ue intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter ritatis necessitatem.*

TANQVAM TUBÆ. Qualis erat vox tubarum, quibus Judæi ad sonnitates & publicos cœtus populum convocare solebant, sicut hosonitu campanæ solemus, ut patet num. 10. v. 2. & alibi. Vox em ista magna instar tubæ clangentis significat magnitudinem ren & mysteriorum, quæ Deus per Angelum vult S. Joanni revelare. 11. Dicentis. Igitur vox erat articulata, non confusa, ut sonitus æ. Dicitur ergo, *tanquam tubæ*, quia magnitudine & clangore von tubæ imitabatur. QUOD VIDES. Quod statim visurus es in spiritu revelationem. SCRIBE IN LIBRO. Non tantum in memoriæ tuæ ro, ut Haymo interpretatur non benè, sed in hoc libro Apocaly: unde sequitur, ET MITTE, tanquam epistolam quamdam, SEEM ECCLESIIS. Septenarius est numerus universitatis, ut versu irto diximus. Unde septem istarum civitatum Ecclesiæ, sunt fia universalis Ecclesiæ septiformis, ait Beda. Ideo etiam S. Paulus tem scripsit Ecclesijs (licèt non iisdem, quibus S. Joannes) in qui- Ecclesiam universalem toto orbe diffusam erudit, ad Romanos, rinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, & Thesnicenses; unde versus:

Roma, Corinthe duplex; Galata, Ephesus atque Philippi,
Colossus simplex est, Thessalonica gemella,
Timotheus queq; non tu Tite, Philemon & Heber.

C Cæteræ

Cæteræ enim ejus epistolæ ad personas singulares, ultima ad totam nationem Hebræorum per varias Ecclesias dispersas destinantur.

Quæ sunt in Asia. Minori, cujus regionis Apostolus specialiter & Patriacha erat S. Joannes. Epheso. Primo loco Ephesum ponit, quia Asiæ metropolis, in qua Proconsul Asiam gubernans, & ipse Patriarcha S. Joannes residebat; Academia etiam ibi Philosophorum erat, & magicarum artium famosissima. Unde cum primum à S. Paulo Fides ibi annuntiata esset, multi magicos libros ad eum attulerunt & combusserunt, Act. 19. v. 19. Et quæ hodie vocamus alta nomina, quibus homines arte dæmonis redduntur quodammodo invulnerabiles, olim vocabantur, *litteræ Ephesiæ*: Ephesus enim clarissima erat templo illo Dianæ, quod inter septem miracula mundi unum fuit, stabatque hoc adhuc Apostolorum tempore, ut Act. 19. v. 27. patet.

Et Smyrnæ. Quæ altera Asiæ sive Joniæ clarissima civitas, ab Amazonibus cum Epheso ibi ædificata ad littus maris Ægæi, fœcunda olim ingeniorum mater, in qua erat celebre gymnasium cum Homeri Templo & statuâ, quia inter civitates contendentes Homerum civem suum esse, Smyrnæi sibi maximè vendicant. Portus etiam erat commodissimus, quò ex tota Asia & Græcia ad studia Philosophiæ & artis Oratoriæ plurimi confluebant.

Et Pergamo. Pergamum urbs Troadis est, mediterranea, patria Galeni Medicorum Principis, olim Regia Attali Regis, qui nobilissimam toto orbe Bibliothecam ibi instituit, libris in pellibus hædinis scriptis, quod anteà insolitum erat fieri: ideoque hodie adhuc charta ex pellibus animalium confecta *Pergamena* vocatur.

Et Thyatiræ. Quæ est Mysiæ ciuitas, aut Lydiæ, de qua Act. 16. v. 14. Et Sardis. Hæc urbs est Lydiæ præcipua, olim Crœsi, Regumque Lydorum Regia, prope montem Tinolon, ex quo Pactolus fluit, aureas arenas vehens, unde putatur divitiæ illæ Crœso advenisse, quæ in proverbium abierunt. Et Philadelphiæ. Hæc urbs in Mydiæ & Lydiæ finibus sita est, ideoque de imperio ejus inter Mysos & Lydos olim certatum. Ab Attalo Philadelpho Rege nomen habet. Est & alia Philadelphia in Syria trans Jordanem, Metropolis terræ Ammonitarum, quæ ab Hebræis vocatur Rabba, in cujus obsidione occisus est Urias Hethæus, gladijs filiorum Ammon expositus à Joab jussu Davidis 2. Reg 11. v. 17.

Et Laodiciæ. Urbs est minoris Phrygiæ, quæ olim erat parva, sed nostrâ, & Patrum ætate maximum accepit incrementum, ait Strabo lib. 12. Strabo autem sub Tiberio Cæsare, cum Christo Domino,

& S.

S. Joanne vixit. Unde tempore scriptæ hujus Apocalypsis Laodicia ..issima erat civitas, & Phrigiarum urbium facilè maxima; terræ nen motibus maximè subjecta.

12. ET CONVERSUS SUM. Verti aciem mentis, non oculos corris: intellectu enim, non sensu videre volebat. UT VIDEREM VO-M. Ut cognoscerem, cujus esset vox. QUÆ LOQUEBATUR MECUM. .à quispiam post me loqui ad me videbatur. Quia visus primus & bilissimus est omnium sensuum, ideo, *videre*, ad intellectum transtur, & quidquid intellectu cognoscimus, videre dicimur. Unde intellectum non tam auditur vox, quàm videtur. ET CONVERSUS, DI. Spirituali visione. SEPTEM CANDELABRA AUREA. Quæ erant e dubio similia candelabro, quod Deus jussit fabricari pro Tabersulo, Exodi 25. v. 31. & quale vidit Zacharias, cap. 4. v. 2. od totum erat ex auro mundissimo, habebatque sex calamos ex tili uno egredientes, ac in summitatibus totidem lucernas. Unde n majori lampade, quæ erat super caput hastilis, erant in unoquo: candelabro lucernæ septem.

Cum autem S. Joannes ignoraret quid septem ista candelabra desirent, Angelus Christi personam gerens infra v. ult. ei revelat, sem candelabra significare septem Ecclesias jam supra memoratas, ad is scribere jubebatur. Rectè autem per candelabra Ecclesiæ defiintur, inquit Arethas, quia candelabra sunt tanquam basis & vehium lucernarum, quæ lumen non à se, sed à lucernis sibi impositis hait: sic etiam Ecclesiæ non à se, sed ab igne, quem Christus venit tere in terram, lumen sapientiæ, & ardorem charitatis aciunt.

Aurea vero sunt candelabra, propter doctrinæ Ecclesiæ soliditai, sicut aurum omnium metallorum est solidissimum & gravissim. Sunt etiam aurea tota, & ex auro mundissimo, ut illud Exodi v. 31. & alterum Zach. 4. v. 2. quia doctrina Christiana non est ilis Doctrinæ Philosophorum, & Sapientum hujus mundi, qui o suo plurimum scoriæ, id est, veris multa falsa permiscent.

3. ET IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORUM. Tanquam Solem nedio Planetarum, lumine & calore suo accendens. Ecclesiarum n candelabra, sine isto sole lucernas eorum accendente, extincta it. Nec in medio istorum candelabrorum quiescit, sed ambulat, licet infra cap. 2. v. 1 o satagens, & quasi discurrens inter suos ctos, ad protegendum & opitulandum, quibus ait, *Ecce ego vobiscum usque ad consummationem sæculi*, Matth. ult. v. ult. SIMILEM

C 2 FILIO

Filio hominis. Similem homini cuicumque ex cæteris hominibus. Unde non negat, eum esse vere hominem, sicut dicitur *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ad Philipp. 2. v. 7. Apud Hebræos, *Filius hominis*, idem significat quod homo, quia homo quilibet ab alio homine generari solet. Quâ etiam simili phrasi Græci Medicos vocant, Filios Medicorum, quia Medicus est filius eruditionis Medici magistri, à quo artem accepit.

Filius hominis hoc loco non pro Christo particulariter, sed pro homine quolibet indifferenter accipitur, sicut in illo Psal. 35. *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt:* nomen enim, *filius*, hoc loco articulum græcum præfixum non habet, sicut habet in Euangelio, ubicumque Christus *Filius hominis* vocatur, propter excellentiam personæ in communione ejusdem naturæ.

Beda & Haymo interpretantur Christum, jam post Resurrectionem gloriosum, dici similem filio hominis, quia figurâ & formâ hominibus mortalibus similis tantum non homo mortalis amplius fuit, juxta illud, *Si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus*, 2. ad Cor. 5. v. 16.

Ad similitudinem Christi in medio septem istorum candelabrorum ambulantis, Romano Pontifice solemniter missam celebrante, septem candelabra ponuntur in altari, quæ significant ipsum, septem, id est, omnium Ecclesiarum Pontificem esse.

Vestitum podere. Veste talari usque ad pedes demissâ: unde & Græcus hoc nomen habet. Erat etiam manicata, ut testatur S. Hieronymus, cinguloque adstringebatur; erat ergo Sutanæ nostræ simillima, nisi quòd corpori tam arctè esset obstricta, ut nullam rugam haberet. Fuit etiam hæc vestis olim quorumdam Philosophorum; nam Laërtius narrat, Menedemum Cynicum in podêre fuscâ, cingulo puniceo succinctâ, incessisse.

Verisimile autem est, podêrem, quâ S. Joannes Christum vidit amictum, hyacinthini, sive violacei coloris fuisse, qualis erat podêres summi Pontificis, quæ describitur Exodi 28. v. 31 in cujus etiam extrema ora juxta pedes pendebant 72. tintinnabula aurea cum totidem malis punicis. Christus enim in habitu isto, tanquam summus Pontifex, septem, id est, omnium Ecclesiarum curam gerens, apparebat.

Color autem podêris hyacinthinus, qui plus in cælo sereno apparet, significat summum Sacerdotem in omnibus cogitationibus & actionibus suis debere cælum & Deum aspicere: unde etiam in hyacinthinis,

cinthinis vittis, quæ pallijs Judæorum inserebantur, significatur cælestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adjungi, ait S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. ad 7. Eadem de causâ Episcopi hodie hyacintheâ veste utuntur, ut cogitent se Angelos esse terrestres, quorum licèt corpora sint in terris, animus tamen & conversatio sit in cælis, ad Philipp. 3. v. 20.

Præter autem podêrem hyacinthinam summi pontificis, erat etiam podêres linea minorum Sacerdotum, Exodi 28. v. 40. de qua multi hunc locum Apocalypseos interpretantur. Sed verius est, Christum hîc apparuisse in podêre hyacinthina, linea summi Sacerdotis, non tantum in linea Sacerdotum minorum.

Et præcinctum ad mamillas. Proximè infrà mamillas. Pontifex enim Aaronicus, & minores Sacerdotes super podêre sua cingebantur balteo, sive zonâ satis altè inter umbilicum & pectus, ut ait S. Hieronymus Epist. 128. ad Fabiolam; quod videtur esse idem ac præcingi ad mamillas. Præcingitur autem Christus & Sacerdos Aaronicus Christi figuram gerens, non circa lumbos, ut cæteri hominum, sed ad mamillas, quia in lumbis Christi nulla erat concupiscentia prava, quæ cingulo coërceri deberet: sed succingit mamillas, ut charitas iram divinam in corde ejus contineat, inquit Arethas. Vel, ut alij, quia Lex Christi non tantum concupiscentiam lumborum, quæ in actum externum prodit, sed etiam concupiscentiam cordis, quod sub mamillis latet, prohibendo restringit. Unde, *Audistis*, inquit, *quia dictum est Antiquis, non mæchaberis: ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Hinc Angelus, qui Danieli in V. Testamento apparet, non ad mamillas, ut hic Novi Testamenti Angelus, sed ad renes auro obrizo accinctus fuit, Dan. 10. v. 5. quia Lex vetus per pœnæ sententiam non peccata cogitationis, sed operis resecavit, ait S. Gregorius; & ut Hugo ait, *Lex prohibuit manum, non animum.*

Zona aurea. Quod est vinculum charitatis: aurum enim tam colore flammeo, quàm metalli præstantiâ, charitatem virtutum reginam significat. Zonæ autem quibus Sacerdotum podêres cingebantur, similitudine pellis colubri, quâ senectutem exuit, in rotundum sic contextæ erant, ut marsupium longum putares, ait S. Hieronymus Epist. citatâ ad Fabiol. Tales etiam erant militum & viatorum olim Zonæ, ideoque pecuniam suam in eis abscondebant, erantque ipsis marsupij loco. Unde jam illud Christi intelligimus, *Nolite possidere pecuniam in Zonis vestris,* Matth. 10. v. 9. In aureâ etiam istâ charitatis zona, quâ Christus mamillas suas succingit, non tantum ira Divina coërcetur



cetur, sed nostræ redemptionis pretium etiam continetur.

14. CAPUT AUTEM EIUS. Divinitas ejus, quia *Caput Christi Deus*, 1. ad Cor. 11. v. 3. ET CAPILLI EIUS. In quibus residet color capitis. ERANT CANDIDI. Candore non deficientis senectutis, sed longævæ æternitatis. TANQUAM LANA ALBA. Imo, quod amplius est, ET TANQUAM NIX. Ne quis scilicet Filium Patre suo æterno juniorem putaret, quem Daniel *Antiquum dierum* appellat, *cuius capilli capitis tanquam lana munda*, Dan. 7. v. 9. Nullus ergo capillitij in Christo Filio pilus, nisi simillimus Patri, & pari æternitate candidissimus. ET OCULI EIUS. quibus impios respicit, TANQUAM FLAMMA IGNIS. Præ ira scilicet, quæ in horribilem vindictam aliquando exibit: valde enim irati ardenti spiritu aliquo suos inflammant oculos; unde de Turno irato & furibundo Virgilius.

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Hanc autem Christi Judicis tam ardentem iram septem Ecclesijs scribere jubetur S. Ioannes, ad terrorem impiorum, qui in illis erant.

15. ET PEDES EIUS. Humanitas ejus, quæ est natura infima in Christo, sicut caput sive Divinitas est suprema. SIMILES AURICHALCO. Æri sive cupro præstantissimo: nam aurichalcum inter omnia genera æris præcipuam bonitatem admirationemq; diu obtinuit: nec reperitur longo jam tempore effœta tellure, ait Plinius lib. 34. cap. 2. Aliter vocatur orichalcum, quasi æs montanum, quia ex montibus, ut Libano & quibusdam alijs olim eruebatur: ideò hic græcè, *similes chalcolibano*, sive, æri Libani. Vocatur autem aurichalcum, vel quia aliquid aureæ venæ à natura admixtum habet, vel quia in fornacibus ad splendorem auri producitur, ut alijs placet. Unde sequitur, SICUT IN CAMINO ARDENTI. Græcè, *sicut in camino ardentes*. Quale est aurichalcum, quando in fornace ardet, & ab igne elaboratur; caminus enim græcè, fornacem latinè propriè significat.

Pedes igitur, sive Humanitas Christi, per unionem hypostaticam ad caput, quod est aurum optimum, Cant. 5. v. 11. hoc est, ad naturam ejus divinam, aurum imitantur, & similes sunt aurichalco splendenti: deinde in camino tribulationis, & igne Crucis excocti gloriam illam Corporis meruerunt, quam Christus in monte Thabor tribus Discipulis ostendit. Pedibus etiam istis ardentibus hostes suos in fine sæculi conculcabit, & in ignes sempiternos detrudet. Beda tamen per *Pedes* Ecclesiam novissimi temporis, tamquam Corporis Christi mystici extremam partem, intelligit, quæ sub Antichristo sævissimis exa-

minanda & probanda est pressuris. Ioachimus Abbas per *oculos tanquam flammam ignis*, vitam contemplativam per *pedes similes aurichalco in camino ardenti*, vitam activam tropologicè significari dicit. Nam licet gratia Spiritus Sancti per utramque vitam diffusa sit, aliter tamen vita contemplativa, aliter activa eam recipit: nam vita contemplativa, sicut luculenta & tranquilla flamma ardet; activa, sicut aurichalcum in fornace agitatum & ignitum, fervet.

ET VOX ILLIVS, Quâ mecum loquebatur. TANQVAM VOX AQVARVM MVLTARVM, Non ampliùs tanquam vox simplicis tubæ, quali me ad se videndum vocaverat supra versu 10. sed plenior, & tanquam vox aquarum multarum, ex loco altiori in præceps ruentium: quo significatur vox illa Christi terribilis, quâ reprobos in pœnas æternas mittet, postquam tubâ ex sepulchris excitatos ad tribunal suum ad audiendam sententiam Judicis convocaverit. Opus enim est voce plenissimâ & latissimâ, ut ad innumeros reproborum populos per vallem Iosaphat, & latissimè circa dispersos perveniat, & audiri possit. Sæpè autem in Scripturis vox talis lata & sonora comparatur voci aquarum multarum, vt Isa. 17. v. 12. Ezech. 1. v. 24. aut voci multitudinis, ut Ezech. eodem, & Dan. 10. v. 6.

Alij cum Beda per vocem *aquarum multarum*, malunt significari vocem Christi per Apostolos prædicatione Euangelicâ toto Orbe sonantem & sparsam. Quæ primò tanquam simplex tuba in Judæa sonuit, ait Haymo, quando Christus dicebat, *Messis quidem multa, operarij autem pauci*, Matt. 9. v. 37. posteà verò per Apostolos, & plurimos alios Christi Discipulos in omnem terram exivit sonus eorum, ad Rom. 10. v. 18.

16. ET HABEBAT IN DEXTERA SUA. Quâ in nobiliori, & hierarchico Ecclesiæ ordine eas singulari tutelâ protegit: *Dexterâ suâ teget eos, & brachio suo sancto defendet eos*, Sap. 5. v. 17. Deinde sunt in dextera Christi, quia majora per eas Christus in Ecclesia operatur. STELLAS SEPTEM. Angelos, sive Episcopos septem Ecclesiarum, ut ipse interpretatur infra v. ult.

Episcopi autem & Pastores Ecclesiæ vocantur stellæ, propter lucis abundantiam, inquit Arethas, quâ à Christo illuminantur, sicut stellæ à Sole: lumen deinde & influentias ab eo susceptas deorsum in subditos reflectunt, quando verbo & exemplo eos docent: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Matth. 5. v. 16. Stellæ autem illæ septem non in manu Christi clausa, sed in expansa videntur apparuisse, ut eas S. Ioannes posset numerare. In vola ergo

cetur, sed nostræ redemptionis pretium etiam continetur.

14. CAPUT AUTEM EIUS. Divinitas ejus, quia *Caput Christi Deus*, 1. ad Cor. 11. v. 3. ET CAPILLI EIUS. In quibus residet color capitis. ERANT CANDIDI. Candore non deficientis senectutis, sed longævæ æternitatis. TANQUAM LANA ALBA. Imo, quod amplius est, ET TANQUAM NIX. Ne quis scilicet Filium Patre suo æterno juniorem putaret, quem Daniel *Antiquum dierum* appellat, *cuius capilli capitis tanquam lana munda*, Dan. 7. v. 9. Nullus ergo capillitij in Christo Filio pilus, nisi simillimus Patri, & pari æternitate candidissimus. ET OCULI EIUS. quibus impios respicit, TANQUAM FLAMMA IGNIS. Præ ira scilicet, quæ in horribilem vindictam aliquando exibit: valde enim irati ardenti spiritu aliquo suos inflammant oculos; unde de Turno irato & furibundo Virgilius.

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Hanc autem Christi Judicis tam ardentem iram septem Ecclesijs scribere jubetur S. Ioannes, ad terrorem impiorum, qui in illis erant.

15. ET PEDES EIUS. Humanitas ejus, quæ est natura infima in Christo, sicut caput sive Divinitas est suprema. SIMILES AURICHALCO. Æri sive cupro præstantissimo: nam aurichalcum inter omnia genera æris præcipuam bonitatem admirationemq; qui obtinuit: nec reperitur longo jam tempore effœta tellure, ait Plinius lib. 34. cap. 2. Aliter vocatur orichalcum, quasi æs montanum, quia ex montibus, ut Libano & quibusdam alijs olim eruebatur: ideò hîc græcè, *similes chalcol bano*, sive, æri Libani. Vocatur autem aurichalcum, vel quia aliquid aureæ venæ à natura admixtum habet, vel quia in fornacibus ad splendorem auri producitur, ut alijs placet. Unde sequitur, SICUT IN CAMINO ARDENTI. Græcè, *sicut in camino ardentes*. Quale est aurichalcum, quando in fornace ardet, & ab igne elaboratur; caminus enim græcè, fornacem latinè propriè significat.

Pedes igitur, sive Humanitas Christi, per unionem hypostaticam ad caput, quod est aurum optimum, Cant. 5. v. 11. hoc est, ad naturam ejus divinam, aurum imitantur, & similes sunt aurichalco splendenti: deinde in camino tribulationis, & igne Crucis excocti gloriam illam Corporis meruerunt, quam Christus in monte Thabor tribus Discipulis ostendit. Pedibus etiam istis ardentibus hostes suos in fine sæculi conculcabit, & in ignes sempiternos detrudet. Beda tamen per *Pedes* Ecclesiam novissimi temporis, tamquam Corporis Christi mystici extremam partem, intelligit, quæ sub Antichristo sævissimis examinanda

minanda & probanda est pressuris. Ioachimus Abbas per *oculos tanquam flammam ignis*, vitam contemplativam per *pedes similes aurichalco in camino ardenti*, vitam activam tropologicè significari dicit. Nam licet gratia Spiritus Sancti per utramque vitam diffusa sit, aliter tamen vita contemplativa, aliter activa eam recipit: nam vita contemplativa, sicut luculenta & tranquilla flamma ardet; activa, sicut aurichalcum in fornace agitatum & ignitum, fervet.

Et vox illius, Quâ mecum loquebatur. Tanquam vox aquarum multarum, Non ampliùs tanquam vox simplicis tubæ, quali me ad se videndum vocaverat supra versu 10. sed plenior, & tanquam vox aquarum multarum, ex loco altiori in præceps ruentium: quo significatur vox illa Christi terribilis, quâ reprobos in pænas æternas mittet, postquam tubâ ex sepulchris excitatos ad tribunal suum ad audiendam sententiam Judicis convocaverit. Opus enim est voce plenissimâ & latissimâ, ut ad innumeros reproborum populos per vallem Josaphat,& latissimè circa dispersos perveniat, & audiri possit. Sæpè autem in Scripturis vox talis lata & sonora comparatur voci aquarum multarum, vt Isa. 17. v. 12. Ezech. 1. v. 24. aut voci multitudinis, ut Ezech. eodem, & Dan. 10. v. 6.

Alij cum Beda per vocem *aquarum multarum*, malunt significari vocem Christi per Apostolos prædicatione Euangelicâ toto Orbe sonantem & sparsam. Quæ primò tanquam simplex tuba in Judæa sonuit, ait Haymo, quando Christus dicebat, *Messis quidem multa, operarij autem pauci*, Matt. 9. v. 37. posteà verò per Apostolos, & plurimos alios Christi Discipulos in omnem terram exivit sonus eorum, ad Rom. 10. v. 18.

16. Et habebat in dextera sua. Quâ in nobiliori, & hierarchico Ecclesiæ ordine eas singulari tutelâ protegit: *Dexterâ suâ teget eos, & brachio suo sancto defendet eos*, Sap. 5. v. 17. Deinde sunt in dextera Christi, quia majora per eas Christus in Ecclesia operatur. Stellas septem. Angelos, sive Episcopos septem Ecclesiarum, ut ipse interpretatur infra v. ult.

Episcopi autem & Pastores Ecclesiæ vocantur stellæ, propter lucis abundantiam, inquit Arethas, quâ à Christo illuminantur, sicut stellæ à Sole: lumen deinde & influentias ab eo susceptas deorsum in subditos reflectunt, quando verbo & exemplo eos docent: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Matth. 5. v. 16.

Stellæ autem illæ septem non in manu Christi clausa, sed in expansa videntur apparuisse, ut eas S. Ioannes posset numerare. In vola ergo

ergò aut palma dexteræ manus insculptæ, tanquam cælo infixæ, apparuerunt. Glutinum autem, quo Prælati Christo, ut stellæ firmamento, insculpuntur & infiguntur, est excellens Dei & proximi charitas, quâ Christo assimilantur.

ET DE ORE EIUS GLADIUS. Sententia, quam in extremo judicio vibrabit in impios. Significatur ergo potentia Iudicis, qui ad executionem sententiæ mortis non eget alio gladio quàm sententiâ oris sui: *ipse enim dixit & facta sunt:* Psalm. 148. UTRAQUE PARTE ACUTUS. Græcè, *duplici ore acutus:* more Hebræorum, qui aciem gladij vocant, os gladij, quia acie, tanquam ore & dentibus mordet. Unde tam sæpè in Historijs V. Testamenti, *percutere in ore gladij*, pro, acie gladij interficere; seu ut Galli loquuntur, *Au fil de l'espee.*

Eâdem de causâ, Latini gladium utraque parte acutum, vocant, *ancipitem*, quasi duo capita & ora, quibus mordeat, habentem; & interpres latinus Prov. 5. v. 4. vertit, *bicipitem*, quem Hebræus textus vocat *gladium orium* sive *gladium acierum* ut Arias vertit. Talis autem gladius punctim profundissimè penetrat, quia viam ad penetrandum utrimque sibi dilatat, non sic ille, qui alterâ parte est obtusus. Quis verò gladius penetrabilior, quàm ista sententia Judicis, *Ite maledicti in ignem æternum*?

Ex his patet, Christum Joanni sub figura summi sacerdotis, & simul Judicis apparuisse: podêres enim ad Sacerdotem, gladius ad Judicem spectat. Beda & Haymo ideò gladium istum utraque parte acutum esse dicunt, quia Christus de visibilibus & invisibilibus judicat, & culpas tam operis, quàm cogitationis resecat. Gagnæus tamen, & plurimi alij gladium Verbi Dei hîc intelligunt, quod ab Apostolis toto orbe prædicatum est, quia *sermo Dei est efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens usque ad divisionem animæ & Spiritus, compagum quoque ac medullarum &c.* Hebr. 4 v. 12. & *assumite gladium spiritus, quod est Verbum Dei*, ad Ephes. 6. v. 17. Scriptura etiam sermonem Dei vocat gladium bis acutum, propter aciem geminam duorum Testamẽtorum, ait S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 21. Verbum enim Dei ex utroque Testamento depromptum, si Spiritus S. aciem ejus acuat, & impetum addat, altissimè in corda hominum penetrat: ideoq; e hoc unicum est instrumentum & telum, quo Pastores & Prædicatores corda subditorum ferire debent.

EXIBAT. Tanquam eum ore evomeret & in hostes excuteret. ET FACIES EIUS, tam lucida erat, SICUT SOL LUCET. Et multo amplius: sed nihil lucidius sole in mundo erat, cui faciem illam comparare posset, ait S. Hilarius. IN VIRTUTE SUA. Quando maxima est ejus

virtus

virtus & potentia, in meridie scilicet sudo & sereno cælo. Talis autem erit facies Christi Judicis ad reproborum terrorem, & Sanctorum gaudium.

Splendor autem tantus faciei Christi non statim ab initio apparuit S. Joanni, quia aliàs in tanta luce non potuisset distinguere oculos ejus scintillantes tanquam flammam ignis v. 14. Hac autem mutatione flammantium oculorum in splendorem faciei amœnissimum, Alcazar significari putat, conversionem Imperij Rom. ab idololatria, quam Christus iratis oculis anteà aspexerat, in gloriam illam Ecclesiæ, quæ ei à Constantino Magno & deinceps contigit.

Non solùm autem Christus, sed omnes etiam Justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum, Matth. 13. v. 43. Sed non semper est idem Solis splendor: mane enim & vesperi minus splendet, quàm in meridie, quando est in virtute sua. Soli autem meridiano, non matutino aut vespertino Christi facies hic assimilatur. Undè alij sancti stellis Firmamenti potius quàm Soli comparantur Dan. 12. v. 3. aut etiam scintillis in arundineto, Sap. 3. v. 7.

Rectissimè autem Christus assimilatur Soli, qui Ecclesiam tanquam Lunam illuminat: Ecclesia enim lumen non à se, sed à Sole suo Christo habet, lucetque ex parte spirituali, qua ipsum respicit, ex parte verò carnali obscura est, quâ à Christo avertitur, ut Psalm. 10. Augustinus disserit.

17. ET CVM VIDISSEM EVM. Spirituali intuitu; nam omnia in spiritu repræsentabantur & agebantur, supra v. 10. CECIDI. Timore tanti splendoris & majestatis perterritus. Sic etiam Daniel cap. 10. v. 9. & Ezechiel cap. 2 v. 1. simili visione exterriti, viribus corporis deficientibus, cadunt in facies suas. AD PEDES EIVS. Unde proximè ante S. Joannem, & tanquam pedibus terram calcans, figura illa filij hominis apparuit. TANQVAM MORTVVS. In magno enim pavore, spiritus ad cor retracti ipsum quodammodò suffocant, nervos corporis destituunt, & totum hominem ferè exanimant: *Non remansit in me fortitudo, emarcui, nec habui quidquam virium*, Dan. 10. v. 8. Non solùm enim mali, sed etiam boni Angeli hominibus apparentes, eos consternare primum solent, ut in Daniele, Ezechiele, & alijs patet; hoc tamen discrimine, quod boni Angeli mox consternatorum animos blando sermone erigere soleant: *noli metuere*, Dan. 10. v. 12. *Fili hominis sta super pedes*, Ezech. 2. v. 1. Undè hîc sequitur: ET POSVIT DEXTERAM SVAM SVPER ME. Ut me animaret, & in pedes erigeret. Non enim fuit simplex contactus dexteræ, sed qualis

Danielis; *Ecce manus*, inquit, *tetigit me, & erexit me super genua mea.* Dan. 10. v. 10. DICENS, NOLI TIMERE. Hinc patet, malè eos interpretari hunc locum, qui dicunt, S. Ioannem ex humilitate ad pedes Angeli cecidisse, ut eum adoraret, sicut infra cap. 19. v. 20. Non enim stupor propriæ vilitatis, ex comparatione divinæ Majestatis, quæ in Angelo relucebat, sed rei tam augustæ & insolitæ timor eum exanimaverat. Verum ergo est: sed huic loco non convenit, quod ait Joachimus, Nunquam melius tenebras suas mens humana dijudicat; quàm cum Divinæ sapientiæ lucem, & Summæ Justitiæ veritatem agnoscit. EGO SUM PRIMUS. Principium omnium creaturarum efficiens & exemplare; per Verbum enim omnia facta sunt & sine ipso factum est nihil. ET NOVISSIMUS. Et finis ultimus, in quem omnia recurrere & referri debent. Noli ergo timere sub manu tanti protectoris.

Loquitur autem Angelus non in sua, sed Christi, quam gerebat, persona, sicut Exodi 3. v. 6. dicit ad Moysen, *Ego sum Deus patris tui*, cum tamen S. Stephanus Act. 7. v. 30. dicat, non Deum, sed Angelum fuisse, qui loquebatur.

18. ET VIVUS. Sum vitâ corporali per resurrectionem. ET FUI MORTUUS. Quod nosti tu Joannes, qui morienti adstitisti. Non oportet igitur timere mori pro me, qui mortuos possum resuscitare. ET ECCE SUM VIVENS. Non sicut Lazarus, aut illi qui olim sic suscitati sunt à mortuis, ut postea iterum morerentur, sed IN SÆCULA SÆCULORUM. Vitâ immortali & æternâ: nam *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur,* ad Rom 6. v. 9. ET HABEO CLAVES MORTIS. Potestatem, quâ possum vivos morti tradere, & mortuos à morte eripere, & clausa eorum sepulchra aperire: *Dominus enim mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit* 1. Reg. 2. v. 6. Quid ergo times, qui tanti Domini servus, tanti Magistri es discipulus?

Multi Interpretes mortem spiritualem hîc intelligunt, cujus claves seu potestatem Christus habet, quia quos vult, à morte peccati eripit, alios verò justè deserit, & in peccatum labi permittit.

ET INFERNI. Et habeo etiam potentiam mittendi homines in infernum, & potentiam inde eos iterum educendi. Misit enim olim Patres in limbum, & mittit quotidie multos ad Purgatorium, aut locum damnatorum, & deinde apertis quasi inferni claustris omnes educit, præter eos, qui sempiternis supplicijs sunt addicti.

Haymo, & alij multi, *infernum*, diabolum inferni incolam interpretantur

pretantur, quem Deus conclusum tenet, & subindè dat ei clavem, ut exeat suos'que Electos exerceat, mox in carcerem retrahendus, & sub eadem clavi iterum recludendus, quia fidelis Deus non sinit suos tentari supra id quod possunt, 1. Corinth. 10. v. 13. Hanc clavem acceperat Satanas, quando, data ei potestate tentandi Jobum, dixit ei Dominus, *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt.* Job. 1. 12.

19. SCRIBE ERGO. Dixerat versu 11. *Quod vides, scribe in libro:* jam iterùm idem inculcat, ut significet, excutiendum esse torporem ijs, qui vivâ voce vel scripto Dei verbum alijs annuntiare debent, inquit Haymo. QUÆ VIDISTI. Visionem hanc primam hujus capitis, quomodo scilicet videris similem filio hominis in medio septem candelabrorum, sic vestitum, & sic adornatum, qui primum se & novissimum esse diceret, &c. ut nempe, & septem, & omnium Ecclesiarum fideles revereantur tam augusti Pontificis majestatem, timeant tam tremendi Judicis severitatem. ET QUÆ SUNT. Quæ hoc tempore præsenti in septem Asiæ Ecclesijs geruntur, & quæ Angelus cap. 2. & 3. narrabit. ET QUÆ OPORTET FIERI. Quæ enim Deus fieri decrevit, aut futura prævidit, oportet & necesse est fieri necessitate saltem consequentiæ, si non consequentis. POST HÆC. Futuris ab hinc Ecclesiæ temporibus usque ad mundi finem: quæ à capite 4. incipit narrare Angelus.

20. SACRAMENTUM SEPTEM STELLARUM. Scribe arcanam significationem septem stellarum. Nomen, *Sacramentum* & nomen *candelabra* quod mox sequitur, esse accusativi casus, & regi à verbo, *scribe*, patet ex Græco. Sacramentum dicitur græcè *Μυστήριον*, à verbo *Μύειν*, id est, *claudere*: unde propriè rem arcanam, & velut in arca clausam significat. Capitur tamen etiam vox metonymicè, pro ipso signo & significatione, sub qua res arcana clauditur & latet. Undè de matrimonio Adæ, quod erat signum arcani mysterij Incarnationis, *Sacramentum* (græcè, *mysterium*) *hoc magnum est*, ait Apostolus ad Ephes. 5. v. 32. Et septem Ecclesiæ mysteria sive Sacramenta ideò vocantur, quia sunt signa rei arcanæ & sacræ, nempe gratiæ invisibilis, quam sub signo visibili claudunt & continent. Sacramentum enim est mysterium, ubi aliud videtur, & aliud intelligitur: sicut v. g. in Christi Corpore, ubi licet videatur panis, vera tamen est caro, ait Haymo Episcopus Halberstadiensis, qui anno Christi 830. vixit. Undè patet, qualis fides de Sacramento Corporis Domini, ante tempora Berengarij, ab octingentis jam amplius annis in Ecclesia fuerit. Hinc ipsi Sacerdotes, addit ibidem Haymo, dicunt; *Sacramenta, quæ sumpsimus, Domine*

Domine, proficiant nobis ad salutem corporis & animæ. Quæ est ferè oratio, quam adhuc hodie post Communionem legimus in missa Festi SS. Trinitatis. Ex quo proinde etiam patet antiquitas ritus Missæ, & orationum, quas post Communionem recitant Sacerdotes.

QUAS VIDISTI IN DEXTERA MEA. Fortassis in palmo extensæ dexteræ sic insculptæ erant istæ septem stellæ, ut singuli digiti suam stellam, & planities manus binas haberet. ET SEPTEM CANDELABRA AUREA. Et scribe etiam septem candelabra, de quibus supra v. 12. Deinde istarum rerum interpretationem subijciens Angelus, ait: SEPTEM STELLÆ, ANGELI SVNT. Significant Episcopos, qui Angeli quidam terrestres cælestibus similes esse debent, scientiâ, contemplatione, castitate, charitate, agilitate, quâ Dei mandata exequuntur, & subditis suis, tanquam nuntij Dei ea annuntiant. Angelus autem græcè, *nuntium*, latinè significat: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem*, Psalm. 103. Talis debet esse Episcopus, talis Pastor & Sacerdos, *quia Angelus Domini exercituum est*, Malach. 2. v. 7. Unde aiebat Paulus 2. ad Corinth. 10. v. 3. *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Denique Episcopi Angeli vocantur, quia in Ecclesiæ hierarchia sunt supremi: Angeli verò in cælesti hierarchia sunt infimi: infimum autem supremi, & supremum infimi propter propinquitatem, nomina sua invicem sæpè commutant, ut ait S. Dionysius.

Episcopi etiam per stellas aptè significantur, quia in tenebris ignorantiæ sæculi hujus lucent, tanquàm stellæ firmamenti: *Sitis sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*, ad Philipp. 2. v. 15. Sancti Hieronymus & Ambrosius, Origenem aliquando secuti, hunc locum de Angelis cælestibus illarum Ecclesiarum custodibus videntur exponere. Quibus tamen, quod mox sequitur cap. 2. v. 5. *Age pœnitentiam, & prima opera fac*; item versu 10. *Esto fidelis usque ad mortem*, non possunt convenire.

SEPTEM ECCLESIARVM. Asiæ: sed in septem istarum Ecclesiarum Episcopis, omnium Ecclesiarum Episcopi officij sui admonentur; septenarius enim est numerus universitatis, ut ante versu 4. cum Beda diximus. ET CANDELABRA SEPTEM. Quæ versu 12. dixit esse aurea propter fidei dignitatem & puritatem, ait Arethas. SEPTEM ECCLESIÆ SVNT. Rectè Ecclesiæ candelabra vocantur, quia facultatibus suis Prælatos & Pastores suos sustentant, sicut candelabra candelas & lucernas, quæ in ipsis lucent.

Ne autem hic liber totus esset clausus, & tæderet nos legere; ideò pauca

pauca quædam exposuit Angelus, ut per ea daretur ingressus ad intelligentiam cæterorum. Non omnia tamen exposuit, nè vilescerent, & minus attentè legerentur. Altitudo enim & obscuritas mysteriorum excitat studium legentium, & ut Spiritus Sancti illuminationem ad intelligendum jugiter efflagitent, ut Haymo & Carthusianus notant.

CAPVT II

SYNOPSIS CAPITIS.

Dictat Angelus Sancto Ioanni, quid velit scribi quatuor primis septem Ecclesiarum Episcopis, scilicet Ephesino à versu primo, Smyrnensi v.8. Pergamensi v.12. & Thyatirensi v.18.

vers. 1.

ANGELO EPHESI ECCLESIÆ SCRIBE. Prima epistola ad Archiepiscopum Ephesinum scribitur, quia Ephesus Metropolis erat septem civitatum. Deinde inter septem civitates Ephesus proxima erat Pathmo, unde S. Ioannes scribebat. Quis autem tunc fuerit Episcopus Ephesinus, incertum est. Lyranus ex sententia communi, ut ait, putat fuisse Timotheum, qui primus ibi Episcopus fuerat constitutus à S. Paulo, 1. ad Tim. 1. v. 3. Sed incredibile est, inquiunt quidam alij, S. Timotheum primam charitatem reliquisse, & alios defectus ei convenire, qui narrantur infra v. 4 & 5. Verùm magni etiam Sancti inter persecutiones & pressuras tædio affecti, Deo hoc ad eorum humiliationem, & gratiæ suæ commendationem permittente, de fervore charitatis aliquid quandoque remittunt. Quale fortasse etiam acciderat ipsi Paulo, quando loquens de tribulatione, quæ ei acciderat in hac ipsa civitate Ephesina, ait: *Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere*, 2. ad Cor. 1. v. 8. Nam Apostoli etiam post missionem Spiritus S. peccabant quandoque, saltem venialiter; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: 1. Ioan. 1. v. 8. Potuit etiam S. Timotheus facilè ad hæc usque tempora supervixisse, quia admodum juvenis fuerat creatus Episcopus, uti colligitur ex 1. ad Tim. 4. v. 12.

Verumtamen, si vera sunt, quæ in Martyrologio ad diem 16. Februarij, Baronius scribit, S. Onesimum, de quo mentio in Epistola ad Philemonem, creatum esse à S. Paulo Episcopum Ephesinum post

Timotheum, non vivebat amplius hoc tempore Domitiani Imperatoris S. Timotheus, martyrio jam pridem ante affectus sub Nerone ante ipsum S. Paulum. Unde Angelus Ephesi, de quo hic fit mentio, erit S. Onesimus discipulus & filius S. Pauli, ut eum vocat ad Philem. v. 10. Vixisse enim S. Onesimum usque ad tempra Trajani Imper. ex epistolis S. Ignatij ad Ephesios & Antiochenos colligitur.

HÆC DICIT. Quæ paulò post subijciemus. QUI TENET SEPTEM STELLAS. Septem Angelos seu septem Episcopos septem Ecclesiarum, ut paulò ante interpretatus est. Verbum græcum, *κρατεῖν*, quod Interpres, *tenere*, vertit, propriè significat, aliquid vi aut fortiter tenere. Unde cum anteà ostendisset S. Joanni septem stellas in dextera sua expansa, sic ut numerare posset, fortasse jam dexteram in pugnum constringit, ut vi & fortiter, ne excidant, se eas tenere & complecti significet. IN DEXTERA SUA. Quâ eas peculiari sollicitudine protegit & regit: Deus enim, sicut Episcopos & Pastores abundantiori lumine gratiæ, ut Sol stellas minores, perfundit; ita majori curâ, & speciali providentiâ dexterâ suæ potentiæ eos defendit & gubernat.

Hoc autem elogio & periphrasi, loco sui nominis Christus utitur in principio epistolæ ad Episcopum Ephesinum, ne desperaret, cum auditurus esset infra v. 4. *Habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti:* cùm enim nihilominus Christus adhuc eum teneat in dextera sua, videt se nondùm abjectum esse, nec à gratia penitus excidisse, ut Richardus de S. Victore notat.

QUI AMBULAT. Tanquam curam gerens eorum, inspiciendo opera uniuscujusque, animando bonos, increpando malos, & varia Spiritus S. charismata in eos spargendo & dividendo singulis prout vult 1. ad Cor. 12. v. 11. IN MEDIO. Sicut Sol in medio planetarum, quos lumine & influentijs suis afflat & infundit. SEPTEM CANDELABRORUM AUREORUM. Septem Ecclesiarum, ut cap. præcedenti v. ult. interpretatus est.

2. SCIO. Per scientiam & approbationem. OPERA TUA. Bona, quæ etiamnum operaris. Si enim in operibus bonis non perseverasset, bona præterita fuissent mortificata, ut notat Carthus. unde omnes justitiæ, quas olim fecerat, jam non recordarentur, Ezech. 18. v. 24. ET LABOREM. In Episcopatus tui sedula & molesta administratione: nomen enim græcum non simplicem laborem, sed valde gravem & molestum significat. ET PATIENTIAM TUAM. Perseverantiam in laborum & molestiarum tolerantia. Richardus de S. Victore

Victore tria illa sic distinguit: opera bona in necessitate exhibita proximis, laborem in afflictione corporis, patientiam in tolerantia cordis. ET QUIA NON POTES SUSTINERE MALOS. Non dissimulas malorum hominum vitia, sed Zelo justitiæ accensus liberè eos increpas, & præsertim hæreticos, qui fidem, commune Ecclesiæ bonum, conantur corrumpere; Episcoporum enim & Pastorum est, lupos, tam linguâ quàm manu à gregibus suis abigere.

Cæteri quoque peccatores à Prælatis corripiendi sunt, quando speratur correctio. Sed tamen etiam quandoque patienter sustinendi, ut quos severitas non frangit & emendat, patientia ad emendationem flectat. Sunt autem quidam Prælati Zelum se habere putantes, si subditos, à quibus sunt aversi, pro minimis culpis, impatienter corripiant, alios verò sibi placentes, in majoribus deprehensos, totâ virtute defendant. ô infelix amicitia, exclamat post Berengandum Carthusianus, quæ defendendo illum, quem diligit, diabolo tradit; & cui iratus est, corripiendo, diabolo eripit.

ET TENTASTI EOS. Experimentum cepisti de ijs, disputando nempe cum ipsis, & in eorum conversationem & mores inquirendo, ut ipsorum hypocrisim detegeres. QUI SE DICUNT APOSTOLOS ESSE. Missos esse à Christo, aut proximè, sicuti missus erat Paulus, aut remotè, sicuti Timotheus vel Titus. ET NON SUNT. Non enim legitimam missionem ad docendam Ecclesiam habere poterant, qui verorum Christi Apostolorum doctrinam oppugnabant. ET INVENISTI EOS MENDACES. Tam doctrinæ falsitate, quàm morum hypocrisi. Tales eo tempore Cerinthus, Ebion, Basilides, & tota Gnosticorum Natio, qui sub specioso scientiæ pallio (à scientia enim Gnosticos se appellabant) obscænissimos mores tegebant.

3. ET PATIENTIAM HABES. Tolerando patienter mala & opprobria, quibus illi hæretici te, & veros Christi Apostolos divexant. ET SUSTINUISTI PROPTER NOMEN MEUM. Non propter gloriam tuam, aut præmium temporale, sed propter me, & gloriam meam. ET NON DEFECISTI. Animum non despondisti præ labore & fatigatione, ut vox græca sonat. Has autem Episcopi Ephesini laudes præmittit, ut mollius & æquo animo exciperet reprehensionis aculeum, quem mox ei infigit. Sic S. Paulus objurgaturus schismaticos Corinthios, ab eorum laudibus auspicatur, 1. ad Cor. 1. à versu 4. usque ad v. 10. Medicus enim, antequam secet vulnus, timidum ægrotum diu palpat, ut semel & subitò feriat, ut ait S. Gregorius.

4. SED

4. SED HABEO ADVERSUM TE. Aliqui codices latini addunt, *pauca*, ut increpatio, quam comminatur, reddatur minus formidabilis. Sed Græcus eâ particulâ caret, eamque Romani Bibliorum correctores omiserunt. QUOD CHARITATEM TUAM. Non tamen absolutè & simpliciter, sed, PRIMAM RELIQUISTI. Primum illum fervorem charitatis, quo ardebas in principio Episcopatus tui.

Plerique interpretes, excepto Haymone, & paucis alijs, non existimant hunc Episcopum per peccatum mortale à charitate omnino excidisse, sed pristinum solùm fervorem reliquisse. Nam opera ejus bona, laborem, patientiam, Zelum dicit se scire & approbare Christus, & non defecisse. Ad hoc existimandum moventur etiam Pererius, Alcazar, Viegas, A Lapide, & alij, quia putant hunc Episcopum esse S. Timotheum, tam sæpè à S. Paulo & præsertim ad Philipp. 2. v. 20. laudatum, quem lapsum fuisse in peccatum mortale, verosimile non est. Ex martyrologio tamen Rom. ad 16. Febr. magis antea probavimus, hunc Episcopum esse S. Onezimum S. Timothei successorem. Verba autem martyrologij sunt: *Natalis B. Onezimi, de quo S. Paulus ad Philemonem scribit; quem etiam post S. Timotheum Ephesiorum Episcopum ordinavit.*

Nec oppositum colligi potest ex libris S. Dionysij Areopag. S Timotheo inscriptis, ut ad Annum Christi 109. num. 55. advertit Baronius: licèt idem Baronius, Rom. Martyrologij immemor, scribat S. Timotheum sub Imp. Traiano demùm Martyrio affectum, & Sancto Joanni superstitem fuisse. Carthusianus quoque reprehendit Lyranum, dum ait, expositores communiter existimare, Angelum istum Ephesi fuisse S. Tnimotheum: nam in nullo expositore id legi, inquit Carthusianus.

5. MEMOR ESTO ITAQUE UNDE EXCIDERIS. Ex quo charitatis fervore in teporem, ex quam alto culmine perfectionis in inferiorem communium Christianorum ordinem decideris. Scilicet, charitatem erga indigentes contrahendo, ut putat Arethas: aut studium prædicationis remittendo, cum videret se parùm proficere, ut Hugo credit: vel potiùs generaliter, sicuti multi in principio susceptæ curæ pastoralis, aut in ingressu Religionis, in omnibus charitatis officijs ardent & volant; posteà, subducente se abundantiâ gratiæ, & crescente molestiâ paulatim tepescunt, & segniores fiunt. Tale quid videtur accidisse illi Episcopo. ET AGE PŒNITENTIAM. Pro negligentijs & tepore tuo. Non enim ex illo culmine perfectionis deciderat sine multis peccatis venialibus, quæ non extinguunt quidem

quidem charitatem, sed refrigerant ejus fervorem. Hinc patet, pro peccatis, etiam venialibus, agendum esse pœnitentiam.

Malè autem Beza & Sectarij vertunt, *& resipisce*, quia nullam præteritorum peccatorum pœnitentiam agendam esse putant, sed pœnitentiam, quæ nobis in Sacra Scriptura præcipitur esse solùm *resipiscentiam*, & mutationem vitæ in posterum. Sed sanè est aliud *pœnitere*, & aliud, *resipiscere*: pœnitentia enim respicit præterita, resipiscentia verò in futurum spectat. Unde de resipiscentia sequitur, Et prima opera fac. Omnia pietatis opera eodem fervore, quo in principio Episcopatus, operare, & si quæ fortasse omiseris, jam resume. Sin autem. Si autem id non egeris. Græcè, *Si verò non.* Addit ergo minas, quia tepidi & remissi sæpè magis comminatione, quàm blandâ admonitione corriguntur, ait Carthus.

Hinc patet, quàm parùm valeant homines, etiam sanctissimi, ut Sanctus Timotheus, aut Sanctus Onezymus, quando divinæ gratiæ fervore destituuntur; quandoquidem necesse sit, ut officio suo fungantur, minas interdum etiam adhibere.

Venio tibi. Græcè, *Venio tibi citò*. Jam jam veniam in pœnam & malum tuum. Deus, qui ubique præsens est, loco non potest moveri, sed dicitur venire, ubi aliquid in bonum vel in malum nostrum operatur. Addidit, *citò*, inquit Richardus, ut festinatione adventus sui majorem timorem incuteret negligenti. Et movebo candelabrum tuum. Ecclesiam Ephesinam, cujus tu es Episcopus: nam per candelabra Ecclesias significari, cap. 1. v. ult. dixit. De loco suo. De manu tua, ne amplius eam manu teneas, nec custodias, ait optimè Richardus. Ecclesia enim dicitur moveri de loco, quando ab uno aufertur, & alteri Episcopo gubernanda in manus traditur. Non est ergo necesse, candelabrum hoc aliter accipere, quàm cap. 1. sed pro dignitate Episcopali, ut Ribera & quidam alij faciunt.

Quidam autem, ut Arethas narrat, hunc locum sic interpretantur, ut velint continere prophetiam de translatione Sedis Archiepiscopalis Ephesinæ Constantinopolim.

Nisi pœnitentiam egeris. Beza iterum vertit, *nisi resipueris*, conformiter ad suam hæresin. Ex hac autem increpatione & comminatione, perpendite, inquit Richardus, quanta sit culpa, post acceptam gratiam agere negligenter, nec in ipsa proficere, sed magis deficere.

6. Sed hoc habes. Nempe boni. Unde licèt tam severè te increpem, noli ideò desperare. Sicut increpationem à laudibus ejus inchoa-

inchoaverat, ita nunc iterum laudibus concludit, ut hilarem & spe bonâ plenum à se dimittat. Cælestis enim medicus, hominum, quos sanare vult, infirmitati se accommodat: primùm molliter palpat, deinde ulcus incidit, & rursus aperto vulneri oleum infundit. QUIA ODISTI FACTA NICOLAÏTARUM. Hæreticorum, qui uxores habuerunt communes, & omnibus libidinum turpitudinibus se polluere licitum esse dicebant, & idolothyta cum idololatris sine scrupulo edebant.

Origo eorum à Nicolao Antiocheno, uno ex septem primis Diaconis, Act. 6. v. 5. Hunc SS Epiphanius & Hieronymus tanquam hæresiarcham accusant: sed Clemens Alexand. Theodoretus, Augustinus, alijque excusant, nec hæresin docuisse, sed homines ventri & turpitudinibus anteà deditos, ex facto imprudenti ejus occasionem hæreseos arripuisse. Cum enim Nicolaus de Zelótypia pulcherrimæ suæ conjugis culparetur, ait S. Augustinus, velut purgandi se causâ permisisse fertur, ut qui vellet eâ uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens fœminarum. Non ergo ipse videtur docuisse hæresim, sed cum de Zelotypia accusatus, fortasse ex indignatione dixisset, en uxor mea, utimini, si libet, ut intelligatis, quam parum sim zelotypus: homines quidam alij ad libidines proni, rapuerunt inde occasionem docendi promiscuum uxorum & fæminarum usum, quasi ex sententia Diaconi Spiritu Sancto pleni id foret licitum. Undè S. Ignatius, qui eo tempore vivebat, falsum Nicolaïtarum nomen sibi sumpsisse dicit: ideòque paulò post, mutato nomine, pro Nicolaïtis, Gnosticos se appellarunt, ut scribit Eusebius. Imò addit Hyppolitus, Nicolaum posteà ex Diacono Episcopum Samaritanorum creatum fuisse.

QUÆ ET EGO ODI. Facta enim peccatorum, quæ non facit, odit Deus, licèt peccatores & omnia opera manuum suarum, quia bona sunt, diligat.

7. QUI HABET AUREM. Cordis interiorem per gratiam Dei apertam. Indicat, non omnes hanc aurem habere; est enim gratiæ Dei donum, quod non omnibus datur. Undè Christus non *aures* simpliciter, sed *aures audiendi* appellat, Matth. 13. v. 9. *Aures autem audiendi, est ipsum donum obediendi*, ait S. Augustinus cap. 14. de dono perseverantiæ. AUDIAT. Per intelligentiam intellectus, & obedientiam voluntatis. QUID SPIRITUS. Sanctus, qui in Angelo loquebatur. DICAT ECCLESIIS. Loquitur in plurali, quia in una Ecclesia omnes orbis Ecclesias alloquitur: quia enim præmium promissum omnibus

omnibus erat commune, inquit Richardus, in hac & singulis sequentibus admonitionibus, non unam tantùm, sed omnes Ecclesias debuit comprehendere, ut dum omnes communem audirent promissionem, festinarent ad retributionem. Dicit autem Spiritus S. id quod sequitur: VINCENTI. Diabolum, mundum, carnem, adversus quos hostes *militia est vita hominis super terram*, Job 7. v. 1. Arma autem militiæ nostræ, quibus vincimus, *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, 2. ad Cor. 10. v. 4. Unde cum hæc arma solùm ex virtute Dei potentia & valida sint ad victoriam, jubemur sine intermissione orare, 1. ad Thess. 5. v. 17. & post victoriam, perpetuas victori in nobis Deo gratias agere. Unde in Sulamite & anima devota armis divinis pugnante & vincente, non videmus, *nisi choros castrorum*, Cant. 7. v. 1. *Castra* sunt, in quibus pugnat; *chori castrorum*, in quibus post victorias singulas Deo laudes & gratias cantat. DABO EDERE DE LIGNO VITÆ. Vitam immortalem & æternam ei dabo, sicuti fructum ligni vitæ edentes, victuri erant in æternum, Gen. 3. v. 22. Dicit, *Dabo*, etiamsi sit merces, & corona justitiæ, quia nihilominus *gratia Dei vita æterna*. Ad Rom. 6. v. ult. QVOD EST IN PARADISO. In cælo empyreo, cujus figura fuit paradisus ille terrestris, in cujus medio plantatum fuit lignum vitæ, Gen. 2. v. 9.

Licèt autem hoc lignum vitæ, sive Christus, unde omnis vita gratiæ & gloriæ in electos manat, sit ubique per Divinitatem, & in Ecclesia militante per Sacramentalem præsentiam, inquit Carthusianus; in regno tamen cælesti propriè & apertè esse dicitur, ubi facie ad faciem cernitur.

DEI MEI. Christus Deum suum vocat propter humanitatem, quâ minor est Patre, ait Richardus. Lignum vitæ in Scriptura appellatur, quidquid alteri dat vitam, ut patet Prov. 3. v. 18. & cap. 11. v. 30. & alibi. Sed præcipuè lignum vitæ est Crux Christi, in qua ipse tanquam fructus ex arbore pendens, gratiæ & gloriæ vitam hominibus tribuit. Hic enim fructus ligni vitæ fideles in præsenti satiat suo Corpore, in futuro satiabit suâ contemplatione, inquit Haymo.

8. ET ANGELO SMYRNÆ ECCLESIAE. Plerique existimant, hunc Angelum esse S. Polycarpum, quem S. Ioannes Episcopum Smyrnensem ordinaverat. Et sanè virtutes ejus, quæ hîc laudantur sine ulla reprehensione intermixta, sicut Angelum Ephesi reprehensum jam audivimus, indicant magnum & præclarum Episcopum fuisse.

Si autem hoc tempore S. Polycarpus erat Smyrnensis Episcopus, oportet eum per annos ut minimùm 72. Episcopatum illum rexisse:

itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, & non sub divitiarum onere suspirat. Undè qui Dei amore perituras divitias plus spernit, ait Carthusianus, eo amplius ditescit; & quanto diligentiùs temporales divitias quærit, eo pauperior fit.

Et blasphemaris. Malediceris: nam cœtui malorum semper est odiosa vita bonorum, & quem Deus commendat, sermo pravorum blasphemat, ait Richardus. *Blasphemia* græcè idem est, ac latinè *maledictum*, seu convitium, quo famæ aut honori alterius nocetur. Solet autem frequentius accipi pro maledicto jacto in Deum aut Sanctos ejus: interdum tamen generaliter pro convitio illato homini cuicumque, ad Tit. 3. v. 2. Ab his qvi se dicvnt Jvdæos esse. Qui gloriantur in nomine Iudæi, quod hebraicè confitentem & laudantem Deum significat; quasi ipsi verè confiterentur & laudarent Deum, qui Christum Dei Filium, & Messiam in Lege & Prophetis promissum, & servos ejus sævissimè persequebantur.

Judæi nomen derivatur à radice *Iadach*, quod confiteri & laudare significat. Ideoque Lia quartum filium Judam appellans; *modo confitebor Domino*, inquit, *& ob hoc vocavit eum Iudam*, Gen. 29. v. ult. A Tribu autem Juda, postquam ex captivitate Babylonica cum Tribu Benjamin rediit, pars illa terræ sanctæ, quam circa Jerosolymam inhabitaverunt, vocata est Judæa, & ipsi appellati Judæi.

Et non svnt. Veri enim Judæi & Confitentes sunt Christiani: *Non enim qui in manifesto, sed qui in abscondito, Iudæus est*, ad Rom. 2. v. ult. Veri enim Israëlitæ sumus, & verum semen Abrahæ, cui Deus promisit futurum patrem multarum gentium per Christum Abrahæ filium, omnium Christianorum toto orbe spiritualem Patrem. Sed svnt Synagoga Satanae. Congregatio satanica, à spiritu satanæ ad expugnandam Christi Fidem & Religionem congregata. Alludit enim ad Synagogas Judæorum, quas non solùm Smyrnæ, ubi hic Episcopus residebat, sed in omnibus ferè Asiæ, Macedoniæ, Græciæ, Achaiæ, civitatibus habebant, ut ex Actis Apostolorum patet. Variis enim olim cladibus Judæi afflicti tempore Machabæorum, & posteà à Pompeio Magno Romanorum Duce, aliasque sæpius, multi Iudæam & Palæstinam deserebant; & per Asiam ac Europam dispersi, in plurimis civitatibus mercimonia & usuras, ut hodie, exercentes, suas etiam synagogas ad Religionis suæ cultum habebant. Synagogæ autem nomen convenit Iudæis, nomen Ecclesiæ Christianis: unde nostram Apostoli nunquam Synogogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causâ; sive quod inter congregationem, unde dicitur Synagoga, & convocationem, unde dicitur Ecclesia, differt

aliquid: quia scilicet congregari & pecora solent, quorum propriè *greges* dicimus; convocari autem est utentium ratione, sicut sunt homines, inquit S. Augustinus Psalm. 81.

10. NIHIL HORUM TIMEAS, QUAE PASSURUS ES. Nam *ego ipse consolabor te: quis tu ut timeres ab homine mortali, qui quasi fœnum ita arescet*, Isa. 51. v. 12. Tales enim affligunt & occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, Matth. 10. v. 28. ECCE MISSURUS EST DIABOLUS. Quod enim ministri ejus eo instigante faciunt, ipse diabolus facere dicitur, ait Richardus. ALIQUOS EX VOBIS Ex Ecclesiæ tuæ Smyrnensis subditis. Ecclesiam ergo per Episcopum futurorum periculorum admonet, ut colligant spiritum ad resistendum, & ut prævisa minus feriant. IN CARCEREM. Et deinde in mortem propter Christi fidem: quod paulò post accidit, initio nempe Imp. Trajani Anno Christi 100. aut 101. triennio circiter post scriptam hanc Apocalypsin. Et particula, *ecce*, quæ rem quasi præsentem ostendit, non longo post tempore id evenisse significat, ut Haymo notat. UT TENTEMINI. Ut fides & constantia vestra probetur, an usque ad sanguinem possitis resistere. ET HABEBITIS TRIBULATIONEM DIEBUS DECEM. Multis diebus: nam, *decem*, in Scripturis multitudinem aliquam insignem significare solet, ut 1. Reg 1. v. 8. & alibi. Unde etiam vulgari sermone, cùm valdè sæpè nos aliquid dixisse, significare volumus, *Iam decies tibi dixi*, dicere solemus.

Quia tamen dies in scriptura non raro pro anno accipitur, ut Exodi 13. v. 10. Levit. 25. v. 29. ubi qui in Hebraico vocatur dies, latinus interpres vertit annum: ideò decem istos dies accipere possumus pro decem annis (maximè in Apocalypsi, ubi plurimæ sunt locutiones symbolicæ & obscurissimæ) quibus proxima Trajani persecutio in Asia maximè sævijt. Nam Edictum illud Trajani mitius propter litteras Plinij II. Asiæ Proconsulis, quo vetuit inquiri in Christianos, sed tantùm ultrò oblatos puniri (quo ardor acerrimæ persecutionis quodammodo extinctus fuit, ait lib. 3. cap. 27. Eusebius) in chronico Eusebij in Annum Trajani XI. incidit. Undè ardor persecutionis decem circiter annos durasse colligitur.

Haymo & quidam alij volunt hîc esse prophetiam decem principalium persecutionum quibus Martyres Christi à decem Romanis Imperatoribus sunt exagitati, quas ordine recenset S. Augustinus lib. 18. cap. 52. Civit. Prima anno Christi 67. sub Nerone. Secunda anno 93. sub Domitiano. Tertia anno 101. sub Traiano; & hæc est, de qua jam loquitur S. Joannes. Quarta anno 143. sub Antonino Pio.

Quinta

Quinta anno 203. ſub Severo. Sexta anno 237. ſub Maximino. Septima anno 253. ſub Decio. Octava anno 259. ſub Valeriano. Nona anno 273. ſub Aureliano Decima, & omnium ſæviſſima anno 285. ſub Diocletiano & Maximiano, in qua putaverunt Gentiles totam Religionem Chriſtianam extinctam fuiſſe, cum tamen planè contrarium acciderit. Nam paulò poſt Conſtantino Magno in Imperium ſuccedente, & Fidem Chriſti amplectente, Religio Chriſtiana magis, quàm unquàm ante, refloruit.

ESTO FIDELIS. Conſtans in fide. USQUE AD MORTEM. Non tantùm uſque ad carcerem. Mors autem & Martyrium S. Polycarpo, dudum poſteà, id eſt, pluſquàm 70. annis obtigit, quando anno Chriſti 169. ſub Marco Aurelio Imp. à Proconſule Aſiæ Smyrnæ in ſuo Epiſcopatu vivus combuſtus eſt in decrepita ſenectute, & ut apparet, centenario major. ET DABO TIBI CORONAM VITAE. Reddam tibi fidelitatis & certaminis tui uſque ad mortem præmium, quod erit vita æterna. Spectat hîc S. Joannes antitheſin inter mortem & vitam: pro morte temporali dabitur vita æterna. Alludit etiam ad certamen athletarum, in quibus victores, loco præmij, lauro vel oleâ, vel quercu, vel myrto &c. coronabantur. Ad quem etiam morem S. Paulus 1. ad Cor. 9. v. 25. & 2. ad Tim. 2. v. 5. & alibi reſpicit. Hinc autem patet, quòd ſicuti corona illa erat ex juſtitia victoribus athletis debita, ita vita æterna debita Martyrio, & bonis operibus Juſtorum, quidquid noſtri temporis ſectarij contradicant. Unde S. Paulus *Coronam juſtitiæ* vocat 2. ad Tim. 4. v. 8.

11. QUI HABET AUREM, AUDIAT, QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS. Verbis iiſdem, quibus Angelum Epheſi, & Eccleſiam ejus monuit v. 7. & ſpe æternæ vitæ animavit, nunc Angelum Smyrnę, ad ſpem ſimilem excitandam, admonet audire, quid Spiritus S. dicat Eccleſijs, hoc nempe: QUI VICERIT. In certamine adverſus diabolum, mundum, carnem, & hoc uſque ad finem: athleta enim non coronatur, nec propriè dicitur viciſſe, niſi in fine certaminis victor permanſerit. NON LÆDETUR A MORTE SECUNDA. Ab inferni tormentis: nam ipſe S. Joannes Apoc. 20. v. 14. & cap. 21. v. 8. mortem ſecundam interpretatur *ſtagnum ignis*. Mors prima eſt in ſeparatione animæ & corporis, à qua omnes læduntur, quia hac morte ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, ad Hebr. 9. v. 27. Mors ſecunda in æterna cruciatione animæ & corporis conſiſtit, ait S. Fulgentius lib. 1. c. 6. ad Monimum. *In tormentis enim vivere non eſt vita, ſed mors perpetua: non enim eſt vera vita, niſi ubi feliciter vivitur*, ait S. Auguſtinus cap. 92. Enchir.

Enchir. *Vnde ubi infelix mori non finitur*, inquit, *ut ita dicam, mors ipsa non moritur.*

Peccatum autem ipsum, licèt tam propriè mors secunda dici non possit, quia non sequitur post mortem corporis, sed eam præcedit, est tamen mors quædam spiritualis, quia separat animam à vita sua spirituali, quæ Deus est; & hoc sensu, os quod mentitur, dicitur animam occidere, Sap. 1. v. 11. Peccatum etiam magnam aliquam similitudinem habet cum morte corporali, ut piè & ingeniosè contemplatur Carthusianus. Nam corpus primò distemperatur, inquit, deinde infirmatur, tertiò moritur, quartò domo effertur, quintò sepelitur, sextò lapide contegitur, septimò & novissimè à vermibus consumitur. Sic anima peccatrix primò distemperatur per malam concupiscentiæ affectionem, deindè infirmatur per noxiam delectationem; tertiò moritur per consensum, quartò effertur domo per malum opus externum; quintò sepelitur per malam consuetudinem: sextò tegitur lapide per obdurationem; ultimò vermibus & ignibus gehennæ torquetur in finem.

12. ET ANGELO PERGAMI ECCLESIÆ SCRIBE. Quis iste Angelus, sive Episcopus Pergamensis fuerit ignoratur. Lyranus ait Doctores communiter existimare, fuisse S. Carpum. Sed licèt hic Sanctus sit Pergami martyrio affectus, non tamen Pergamensis, sed Thyatirensis fuit Episcopus, ut martyrologium Rom. ad diem 13. Aprilis habet. HÆC DICIT, QUI HABET, de ore suo exeuntem RHOMPHÆAM. Gladium: vocem enim græcam hîc reliquit interpres, quam Apoc. 1. v. 16. *gladium* vertit. UTRAQUE PARTE ACUTAM. ideoque profundissimè penetrantem, ut loco jam citato exposuimus. Hac autem periphrasi jam se describit Christus, ut Episcopum, & totam Ecclesiam Pergamensem severitate judicij sui terreat. Licèt enim Episcopus ille vir bonus & Sanctus esset, non satis tamen magno Zelo adversus malos accendebatur. Et hoc fortasse ex nimia quadam prudentia, quæ humanas rationes sæpè nimis ponderat, ne pax aut conscientia subditorum turbentur: ideòque Episcopi tales in nimiam & noxiam conniventiam facilè incidunt, remissiusque oves suas castigant, & lupos timidiùs arcent, quàm oporteret. Qualis etiam humanæ prudentiæ nimietas, ut quidam interpretes notant, fuisse videtur causa, cur Angelus Ephesi primæ charitatis fervorem reliquerit suprà v. 4. Nam in isto Ephesino Episcopo magnæ prudentiæ opus fuit, quod Pseudo-apostolos ita tentaverit, ut eorum mendacium & hypocrisin detexerit, ut narratur v. 2.

13. Scio

13. SCIO, VBI HABITAS. Græcè, *Scio opera tua, & ubi habitas.* Novi & approbo opera tua bona, ut v. 2. Angelo Ephesi etiam dixit: & scio quoque, ac approbo, in qua civitate habites, fide & virtute firmus ac immobilis in medio nationis pravæ. UBI SEDES EST SATANÆ. Græcè, *ubi thronus.* Quæ est regia sedes, & solium regnantis satanæ. Non dixit, *ubi est via,* sed, *ubi est sedes satana*, inquit Richardus, quia satanas per quosdam tantùm transit, quos obiter & subitò in peccatum præcipitat, sed quia mox resurgunt, jus in eos regnandi amittit. In aliis verò per pravam peccandi consuetudinem sedem ad regnandum locat.

Vocat autem Pergamum *sedem satanæ*, quia Pergamenses supra omnes alias civitates Asiæ idololatriæ dediti erant, ait Arethas; aut certè propter pessimos ibi Judæos, similes aut pejores Smyrnensibus, quos v. 9. *Synagogam satanæ* appellavit. *Satanas* enim latinè *adversarium* significat. In omnibus autem civitatibus primaria instrumenta satanæ adversus Apostolos & fideles, erant Judæi, qui zelo Mosaicæ legis, cui putabant Euangelium contrariari, sævissimas excitabant persecutiones, & gentiles, inter quos habitabant, trahebant in conspirationem, ut patet Act. 17. v. 5. & 13. & cap. 18. v. 12. & alibi.

ET TENES NOMEN MEVM. Et nihilominùs mente & opere fortiter retines (hoc enim propriè significat verbum græcum) professionem nominis Christiani. ET NON NEGASTI FIDEM MEAM. Et quamvis persecutionibus tentatus & exagitatus, in fide tamen immobilis mansisti. ET IN DIEBVS ILLIS. Quando non negasti fidem. ANTIPAS TESTIS MEVS FIDELIS. Fuit. Græcè clariùs: *Et in diebus, in quibus Antipas ille testis meus, ille fidelis.* Et quidem in tempore illo sævissimæ persecutionis non negasti fidem meam, quando Antipas excellens ille martyr, & testis fidei meæ fuit: qui enim latinè *testis*, græcè, *martyr*, dicitur. Ex isto autem Christi testimonio, & articuli græci geminatione, *ille testis*, *ille fidelis*, colligitur, Antipam illustrissimum Martyrem fuisse.

QVI OCCISVS EST APVD VOS. Martyrologium Rom. die 11. Aprilis narrat, S. Antipam Pergami æneo bovi candenti sub Domitiano inclusum, & simili martyrio, quo non dudùm posteà S. Eustachius sub Adriano, consumptum esse. Tauri autem ænei ad cruciandum Martyres exemplum acceperant à Phalaride tyranno quondam Agrigenti in Sicilia; unde Ovidius:

Sævior es tristi Busir de, sævior illo,
Qui falsum lento torruit igne bovem.

Ubi satanas habitat. Tanquam in regni sui sede & solio. Unde sicut Pergamum olim Regum Attalicorum, qui totius Asiæ minoris Imperio potiebantur, Regia fuerat, ita nunc satanæ & idololatriæ Regia erat.

Postquàm verò Christus, commemoratis Angeli Pergami virtutibus, eum, sicut anteà Angelum Ephesi, parumper palpavit, & quasi ulcus delinivit, reprehensionis aculeum ei infigit.

14. Sed habeo adversus te. Et tamen, ne nimiùm reprehensionem formides, Pauca. tanquam nævum aut ulcus parvum in pulchro corpore & sano. Quia habes illic. Pergami, & eos nimis indulgenter & dissimulanter toleras. Tenentes doctrinam Balaam. Qui docent,& opere exequuntur,quod olim docuit & suasit Balaam Ariolus, num. 25, v. 1. ubi dicitur populus fornicatus cum filiabus Moab, & per eas vocatus ad sacrificia Beelphegor, sive Priapi. Quod factum fuisse ex consilio pseudoprophetæ Balaam, colligitur ex num. 31. v. 16. & Josephus lib. 4. cap. 9. Antiq. fusè narrat. Qui docebat Balac. Regem Moabitarum. Mittere scandalum. Occasionem peccandi, & quasi lapidem offensionis in via. Coram filiis Israel. Ut impingerent & ruerent in peccatum. Edere. Græcus addit, *idolothyta.* ut ederent cibos idolo Beelphegor immolatos. Et fornicari. Et ut fornicarentur cum Moabitarum puellis.

Balaam enim, cùm videret se non posse, Deo resistente, maledicere populo Israëlitico, ad quod tamen fuerat à Rege Moabitarum Balac mercede conductus: ne pretio suo frustraretur, ut indicat S. Judas v. 11. dedit consilium Regi Balac, quo Deus averteretur à populo cui benedixerat: nempè, ut formosas Moabitarum puellas in castra Hebræorum, curiositate visendi, aut specie vendendi exercitui necessaria, mitteret, quarum pulchritudine adolescentes Israëlitæ allecti, cum ijs fornicarentur: & postquam amoribus earum essent irretiti, invitarentur ad edendum cum ipsis idolothyta ex sacrificijs Beelphegor,qui in proxima valle colebatur; imò etiam ad ei sacrificandum perducerentur: nam *initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum*, Psam. 105. Cùm enim Moabitidæ illæ simularent se eos velle deserere, ut ex Hebræorum traditione narrat Josephus, & adolescentes Israëlitæ earum amore capti vellent eas in uxores retinere; dixerunt hoc non posse fieri, nisi eundem Deum Beelphegor, eandemque religionem colerent. Quod scelus stulti illi juvenes perpetrare maluerunt, quàm earum amoribus carere.

15. Ita

15. ITA HABES ET TV. In civitate & diœcesi tua, eosque ibi consistere pateris. TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARVM. Quæ simillima est doctrinæ Balaam. Nam Nicolaïtæ docebant, licitum esse fornicari, & edere cibos Idolis immolatos.

16 SIMILITER POENITENTIAM AGE. Sicut ego ante v. 5. præcepi Angelo Ephesi, ita & tu pro ista tua in corripiendis subditis tuis negligentia, age pœnitentiam. SI QVO MINVS. Græcè, *Si verò non* egeris pœnitentiam. VENIAM TIBI CITO. Ut pro meritis tuis in hac aut futura vita te castigem: cùm enim hæc vita sit tam brevis, Deus dicitur punire citò, etiamsi pœnam usque ad mortem differat.

Attendant verò hæc quarumdam Ecclesiarum Præsules & Pastores, ait Richardus, qui & ipsi malè vivunt, & alios non corrigunt: aut si circa seipsos vigilant, malè viventes castigare non curant.

Sed præcipuè vigilandum est, ne fornicationes & corruptelæ juventutis in civitatibus multiplicari sinantur. Debent enim Episcopi & Pastores hîc imitari Saram, quæ cùm vidisset Ismaëlem ludentem cum suo parvulo Isaac, & aliquid fortasse turpiculum, ut quidam interpretantur, circa eum agentem & docentem, dixit statim viro suo, *Ejice ancillam hanc, & filium eius*, Gen. 21. v. 10.

Gravissimâ quoque pœnâ mortis punitus est Heli summus Sacerdos, quia filiorũ suorũ fornicationes cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi, & alia eorum peccata nimis molliter reprehendit: *Nolite*, inquit, *filij mei, non est bona fama, quam ego audio*, 1. Reg. 2. v. 24.

ET PVGNABO. Non tantùm tecum, sed, CVM ILLIS. Nicolaitis, & perversis tuis subditis, quos tu gladio Verbi Dei corripere, & à reliquo populo rescindere negligis. IN GLADIO ORIS MEI. Illo nempe ancipiti, & utraque parte acuto, qui exibit de ore meo, quando æternæ damnationis sententiâ illos transfigam. Hæc enim est rhomphæa, quam v. 12. in capite epistolæ ad hunc Angelum Pergami posuit, ad terrendam ejus in corripiendis subditis negligentiam. Pari enim reatu tenetur, & ille qui prava docet, & Prælatus, qui prava doceri tacens permittit, inquit Haymo. Meritò autem gladio oris feriri dicuntur, qui doctrinam Balaam docent, aut eam sequuntur, sicut ipse Balaam gladio materiali olim perijt, num 31. v. 8. Deinde Israëlitarum, qui fornicati cum Moabitidibus, ad viginti quatuor millia gladio interfecti sunt, num. 25. v. 9. *In gladio* se pugnaturum dicit, phrasi Hebræorum, qui *Beth* instrumenti, sive præpositionem ponunt ante nostrum ablativum, quando instrumentũ significat.

17. QVI HABET AVREM, AVDIAT, QVID SPIRITVS DICAT

ECCLE-

Ecclesiis. Septies repetitur hic versiculus in fine septem epistolarum ad septem Ecclesiarum Episcopos. Quæ clausula, quoties in Scriptura ponitur, magnum aliquid, & memoriâ valde retinendum significat, ut notat Carthusianus. Hoc autem dicit Spiritus S. Ecclesijs; Vincenti. Omnes hostes animæ, sed præcipuè carnem, adversus quam nequidem pugnabant Nicolaitæ, sed ei obsequebantur tanquam naturali hominis corrupti inclinationi. Veri autem Christiani spiritu adversus carnem concupiscunt, & in carne ambulantes non secundùm carnem militant, 2. ad Cor. 10. v. 3. non perficiunt desideria carnis, ad Gal. 5. v. 16. sed spiritu occidunt ac mortificant facta carnis, ad Rom. 8. v. 13. Dabo manna absconditum. In fine certaminis pro præmio & coronâ victoriæ, dabo meipsum tanquam manna, & panem de cælo descendentem, Jo. 6. 59. ex quo omnis dulcedo, & deliciæ Beatorum. Illud enim Manna nobis dabit, inquit Richardus, quando gloriâ suæ divinitatis nos satiabit. Sicut ergò Christus anteà v. 7. vocavit se lignum vitæ, quia dat suis electis immortalitatem, ita jam vocat se manna, quia omnibus dat omnem, & maximè variam cælestium gaudiorum suavitatem. Veluti enim in Hebræorum manna, quod 40. annis pluit in deserto; omne delectamentum, & omnis saporis suavitas inerat, *deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat*, Sap. 16. v. 21. ita Christus in cælo visionis suæ dulcedine omnium Beatorum desideria implet. Hoc autem manna est jam absconditum, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*. 1. ad Cor. 2. v. 9. Nam *verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator*, Isa. 45. v. 15. Et *quàm magna Multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, Psalm. 30.

Hujus autem dulcedinis aliquam promulsidem & prægustum Sancti per spem & contemplationem experiuntur, etiam in hac vita, inquit Carthus. Hæc enim est dulcedo & fructus suavissimus, quem deserere non potest ficus, ut inter ligna promoveatur, Judic 9. v. 11. hoc est, inquit Hugo, Religiosus, qui gustavit dulcedinem Spiritus Sancti in vita contemplativa & humili, non vult eam dimittere pro prælatura, vel dignitate terrena.

Humanitas quoque Christi in Eucharistia est manna, quo spiritualiter pascimur & recreamur in hoc vitæ & peregrinationis deserto, usque dum ad terram promissionis perveniamus, ubi non ampliùs per fidem & spem, sed per speciem vivitur. Unde de Sacramento Eucharistiæ * Tichonius, & multi Interpretes hunc locum accipiunt. Christus

* Comment. in Apocal. inter opera Augustini, non est Augustini, sed Tichonij.

Christus autem in hoc Sacramento est reverà manna absconditissimum, quia nec oculo corporeo, nec ullo intellectu creato Humanitas ejus ibi latens comprehendi potest. Hujus figura fuit gomor illud mannæ, quod Dominus jussit abscondi in Arca Exodi 16. v. 33. ita ut summus Sacerdos semel in anno ingrediens Sancta Sanctorum illud non posset videre. Datur autem experientia dulcedinis hujus mannæ ijs, qui carnales voluptates vincunt, & ab illis animum ad spiritualia convertunt. Unde tales optimè dispositi sunt, ut frequentius quàm cæteri ad sacratissimam hujus mannæ mensam accedant.

Et dabo illi calculum candidum. Suffragium favorabile, quo à pœna æternæ mortis absolvatur. Solent enim tam Romani quàm Græci Judices, quando sententiam vitæ aut mortis ferebant, calculos sive lapillos albos aut nigros in unam urnam concijcere: si superabant albi, reus absolvebatur, si plures erant nigri, damnabatur. Minus ergo benè, qui per calculum candidum, aut carbunculum, aut adamantem, aut alium lapidem pretiosum intelligunt: nam Christus videtur palàm allusisse ad hoc proverbium, Calculum album alicui addere, vel dare, quod significat, pro aliquo suffragari, aut ei favere. Imò hæc ipsa græca verba Apocalypseos, sunt ipsissima græci proverbij. Idem quoque nomen græcum, *psephos*, sive calculus non pro lapillo pretioso, sed pro suffragio sive sententia accipitur, & ita vertit Interpres, Actor 26. v. 10. Nec, *candidus*, hîc pro candenti seu fulgenti accipitur, quales sunt lapides pretiosi, sed pro albo simpliciter, quales sunt lapilli, aut fabæ albæ, quibus favorabile suffragium olim ferebatur, aut etiam dies faustus notabatur. Non enim in græco est *psephos lampra*. i. calculus candidus seu fulgens, sed, *psephos leuce*, i. calculus albus.

Et in calculo nomen novum. Quod rem novam, & hactenus incognitam significat: hoc autem nomen est, *Filius Dei adoptivus*, adoptione videlicet perfectâ, & per gloriam animæ & corporis consummatâ. Hinc quia Ecclesia illa filiorum Dei sine macula & sine ruga erit, ac per omnia placens divinæ voluntati, Deus promittit toti isti Ecclesiæ *nomen novum, quod os Domini nominabit*, Isa. 62. v. 2. & deinde versu 4. nomen illud exprimit voce compositâ, *bephsiba*. i. *Voluntas mea in ea*; quia scilicet in Ecclesia Beatorum filiorum Dei beneplacitum divinæ voluntatis requiescit. Scriptum. Videtur alludere ad morem, quo olim Magistratus sic à populo eligebatur, ut unusquisque calculo suo inscriberet nomen ejus, quem eligebat, & dignitatem ad quam eligebatur. Unde calculus candidus, quem dat

Christus suis electis, non tantùm absolvit peccatores à pœna æternæ damnationis, sed ijs etiam dignitatem filiorum Dei confert, quâ efficiuntur Patri similes, & divinæ consortes naturæ, 2. Petri, 1. v. 4. QVOD NEMO SCIT. Cujus nominis significationem nemo novit. Nescitur enim nomen, cujus significatio, & res significata adhuc ignoratur. NISI QVI ACCIPIT. Calculum, cui nomen illud inscriptum est. Solus enim expertus scire potest delicias consummatæ filiationis Dei, & beatitudinis æternæ: ut enim sciantur, oportet gustare. In hac autem peregrinatione nostra tantum à longè eas aspicimus & salutamus, confitentes, quia peregrini & hospites adhuc sumus super terram, ad Hebr. 11. v. 13. Hugo nomen novum calculo inscriptum dicit esse, *Iesuani*. 1. *Salvati*. Sicut enim electi in hoc statu viæ vocantur *Christiani* à Christo, in cujus fide ambulant: ita in patria à Jesu. 1. Salvatore, vocantur *Iesuani*, quia perfectè salvati, quando luctus, & clamor, & dolor non erit ultra, & dicet, qui sedebit in throno, ecce nova facio omnia, Apoc. 21. v. 5.

18. ET ANGELO THYATIRÆ ECCLESIÆ SCRIBE. Aureolus hunc Episcopũ Thyatirensem putat esse S. Irenæum, qui posteà Thyatirâ migraverit Lugdunum in Galliam. Sed benè hoc refellit Lyranus: nam S. Irenæus nondùm Episcopus erat, imò nondùm vivebat tempore scriptæ Apocalypsis, cum ipse lib. 3. cap. 3 testetur se in prima sua ætate vidisse S. Polycarpum S. Joannis discipulum valde senem; S. Polycarpus autem supervixit plusquam sexaginta annos post mortem S. Joannis. Probabilius est, quod quidam hunc Thyatiræ Angelum credunt esse S. Carpum, cujus mentio in martyrologio Rom. die 13. Aprilis: fuit enim Carpus Episcopus Thyatirensis, sed incertum est, an hoc tempore. HÆC DICIT FILIVS DEI. Naturalis, non adoptivus, cujus proindè potestas æqualis, eademque cum Patre, ac proindè valdè metuendus. QVI HABET OCVLOS TANQVAM FLAMMAM IGNIS. Plenos irarum, & quales ante descripti sunt Apocal. 1. v. 14. ET PEDES EIVS SIMILES AVRICHALCO. Additur Apocal. 1. v. 15. *Sicut in camino ardenti* Græcè, *ardentes*. Splendentes & ardentes instar aurichalci, quod elaboratur in fornace ardenti. Quod etiam ad terrorem peccatorum videtur spectare, quia talibus pedibus Filius Dei omnipotens conculcat peccatores, quos oculis ardentibus, ut flamma ignis, aspicit.

Beda oculos flammeos refert ad cognitionem, quâ Christus intima omnia cordium secreta clarissimè videt, quia infra v. 23. Christus dicit se scrutari renes & corda. Joachimus verò putat demonstrari

Angelo

AngeloThyatirensi perfecti Episcopi formam, cujus oculi contemplatione, ut flamma, lucent, pedes actione & motu, ut aurichalcum, nitent.

19. NOVI OPERA TUA. Bona & præclara. ET FIDEM. Non simplicem, sed rationibus credendorum ornatam, & purificatæ mentis intelligentiâ decoratam, ait Carthus. qualem habere debent Episcopi, Pastores, & Doctores, *ut potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, ad Tit. 1. v. 9. ET CHARITATEM TUAM. Erga subditos tuos, & omnes, quos & spiritualiter & temporaliter adjuvas, quantum potes. ET MINISTERIUM. Quo magnâ sollicitudine & curâ totum universim officium Episcopale administras. ET PATIENTIAM TUAM. Quâ ab hæreticis, infidelibus, & malis Christianis illatas persecutiones fortiter toleras. ET OPERA TUA NOVISSIMA, quæ jam operaris, PLURA PRIORIBUS. Quæ gessisti in principio tui Episcopatus: nam auctâ per opera præcedentia charitate, magis fervent & multiplicantur opera posteriora: charitas enim est instar flammæ actuosa & mobilis, quæ nescit otiari.

20. SED HABEO ADVERSUS TE PAUCA. Suo more post laudum delinimenta ulcus tangit, quod vult sanare. QUIA PERMITTIS: ex negligentia aut dissimulatione. MULIEREM JEZABEL. Uxorem fortasse alicujus potentis & præcipui ex secta Nicolaitarum, quæ vel Jezabel vocabatur, vel moribus imitabatur uxorem Achab, Regis Israël, fœminam impiam, Prophetæ Eliæ, & Sanctorum persecutricem, cujus mores describuntur 3. Reg. cap. 19. & 21.

Multi tamen Interpretes, non unam singularem fæminam, sed totam hæresin Nicolaitarum, vel Synagogam Judæorum nomine Jezabelis hîc designari putant. Sed non est opus per fictam personam interpretari, quod facilè possumus per veram & propriam. Nam plerique veteres hæretici, ut Nicolaitæ, Simon Magus, Marcion, Appelles, Montanus, hæreses suas per fæminas adjutrices propagarunt. Per blanditias enim illius sexus, suavius & facilius in animos hominum corruptorum errores illabuntur.

S. Epiphanius verò existimat, non agi de aliqua Jezabele, quæ hoc S. Joannis tempore Thyatiræ vixerit; sed prophetiam esse de Maximilla aut Priscilla hæretici Montani adjutricibus & prophetissis, quæ demùm sub Antonino Pio Imp. in Asia exortæ sunt.

Sed cùm Christus hîc alloquatur, non aliquem futurum posteà, sed præsentem Thyatiræ Episcopum, loquitur etiam consequenter de aliqua Jezabele, quæ tunc in ejus Episcopatu inter Nicolaitas eminebat. Nec mirum est, fœminam apud istos hæreticos tantæ auctoritatis,

ritatis, & quasi supremum eorum Pontificem fuisse: cùm enim ipsi in voluptatibus venereis summum bonum collocarent, fœminas etiam maximè æstimabant, & quasi adorabant.

Quod verò quidam aiunt, nullum hoc tempore S. Joannis Thyatiræ fuisse Episcopum, ad quem hæc scriberentur, non est verisimile; cùm Apostoli tam diligentes essent, ut in omnibus civitatibus ad fidem conversis statim statuerent Episcopos. Unde S. Paulus ad Titum, *Reliqui te Cretæ*, inquit, *ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*, ad Tit. 1. v. 5. Et de S. Joanne scribit S. Hieronymus, Quòd totas Asiæ fundaverit & rexerit Ecclesias

QVÆ SE DICIT PROPHETEN. Ut facilius alios seducat, & ei tanquam Prophetissæ credatur. Verisimile est etiam finxisse extases & divinos afflatus, ut Maximilla & Priscilla Montani Prophetissæ. DOCERE. Cùm tamen Apostolus Paulus dicat, *Docere autem mulieri non permitto*, 1. ad Tim. 2. v. 12. Apud Montanistas verò mulieres etiam fiebant Sacerdotes. ET SEDVCERE SERVOS MEOS. Et doctrinâ suâ pravâ in errorem abducere fideles. Hæc enim est, & semper fuit hæreticorum indoles, non convertere paganos & infideles ad Christum, sed tantùm fideles pervertere. FORNICARI. Permittis, inquam, docere fornicari. Docebat enim illa Iezabel, fornicationem esse licitam, licitum esse humani fœtus procreationem impedire, & quo quisque pluribus turpitudinibus se pollueret, eo magis egregium & sanctiorem esse, ut de Nicolaitis narrat S. Epiphanius.

Hæc autem Iezabel tropologicè significat dissolutos Clericos, qui ad curam animarum & prædicandi munus assumuntur, ait Hugo: omnes autem ferè nunc Clerici, inquit, facti sunt sicut mulieres; omnes volunt balneari, & mollibus indui.

ET MANDVCARE DE IDOLOTHYTIS. Et carnes Idolis immolatas comedere cum idololatris, quandò post sacrificia sua simul in idolio epulantur, quam Apostolus 1. ad Cor. 10. v. 21. *Mensam dæmoniorū* appellat. Aliàs, si quis extra idolium carnes immolatitias, etiam sciens, manducet, modò absit scandalum infirmorum, non peccat, ut docet ibidem Apostolus v. 27. *Omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et se magis explicans v. 29. *Conscientiam autem dico*, inquit, *non tuam, sed alterius*; hoc est, propter conscientiam infirmi fratris, qui credit absolutè illicitum esse, manducare idolothyta.

21. ET DEDI ILLI TEMPVS. Servavi eam in vita. UT POENITENTIAM AGERET. Si fortè Spiritus pœnitentiæ ei daretur: *non enim tempus ipsi datum ad pœnitendum sufficit, nisi ille faciat pœnitentem, qui respexit Petrum*

Petrum negantem, & fecit flentem, ait S. Augustinus cap. 5. de Correp. Unde & Paulus, cum dixisset, corripiendos esse cum modestia, qui resistunt veritati; protinus addidit, *Ne quandò* (id est, *Si quando*) *det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis* 2. ad Tim. 2. v. 25. Hæc enim est mutatio dexteræ excelsi quæ nisi occultè intus in corde peccatoris operetur; nec tempus ad pœnitendum datum, nec præcepta, nec correptio, nec flagella quidquam prosunt.

Non est tamen consequens, ait S. Prosper ad object. 15. Vincentij, sicut quidam putant, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit, & quos non levaverit, alliserit: cum aliud sit, insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo; aliud, criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

ET NON VULT POENITERE. Impius enim, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, Prov. 18. v. 3. A FORNICATIONE SVA De fornicatione, quam ipsa exercet, & verbo ac exemplo alios docet. Fornicatio autem Jesabelis duplex erat, una corporalis in prostitutione sui corporis; altera spiritualis, comedendo in Idolio cum idololatris idolothyta, & sic indirectè saltem favendo idololatriæ, quæ fornicatio etiam appellatur in Scripturis: *Ne fornicari faciant filios tuos in Deos suos*, Exodi 34. v. 16. *Adhuc fornicationes Iezabel, & veneficia eius multa vigent*, 4. Reg. 9. v. 22.

22. ECCE MITTAM EAM IN LECTVM. Morbo & afflictione corporali impœnitentem deijciam in lectum mortis, ut locus fornicationum & voluptatum sit ei in tormentum, ac deinde si nec sic resipiscat, mittam eam in lectum gehennæ infernalis, ut subter eam sternatur tinea, & operimentum ejus sint vermes, Isa. 14. v. 11. & sic duplici contritione conteratur, Ierem. 17. v. 18. *& operiatur sicut diploide, confusione sua*, Psal. 108.

Haymo tamen *lectum* fornicationum suarum intelligit, in quem mittere dicitur Dominus, quando turpius adhuc fornicari permittit, ut peccatum gravius sit pœna prioris, tradendo eam in desideria cordis sui, & in immunditiam, ut contumeliâ afficiat corpus suum, ad Rom. 1. v. 24.

ET QVI MOECHANTVR CVM EA. Qui Mœchiam ejus corporalem aut spiritualem imitantur. IN TRIBVLATIONE MAXIMA ERVNT. Temporali hîc, & deindè æternâ. Sunt enim quidam reprobi, ut ait S. Augustinus, qui in hac vita pœnarum suarum æternitatem inchoant.

Quidam Interpretes hanc Thyatiranorum, & totius Asiæ tribulationem extendunt Propheticè usque ad tempora Turcarum, qui circa annum Domini 1300. duce Othomanno, ex Scytia & montibus Caspijs egressi, Asiam propter fornicationes, hæreses, & peccata antiquæ Jesabelis inundarunt, & maximis tribulationibus huc usque attriverunt.

Ioachimus verò ad vetustiora tempora Mahumetis & Saracenorum refert, qui paulò post annum Christi 600. occupato primùm regno Persarum, posteà Rom. Imperium in Asia, Africa, Europa invaserunt, & plurimis cladibus affecerunt.

NISI POENITENTIAM AB OPERIBVS SVIS EGERINT. Benignitas Dei temperat comminationem, ne effrenato terrore, inquit Richardus, peccatores præcipitentur in desperationem.

23. ET FILIOS EIVS. Discipulos filiosque eruditionis ejus, qui pravam ejus doctrinam animo hauriunt, & opere exequuntur. INTERFICIAM IN MORTE. Sufficiebat dixisse, *interficiam*, quia non nisi morte homines interficiuntur. Addit autem, *in morte*, sive per mortem, geminatione & inculcatione Hebræis usitatâ, ut *qui tetigerit mortem, morte morietur*, Exodi 19. v. 12. & alibi, ut significetur mors aspera, & quasi duplex ac geminata. Itaque filij Jesabelis morte temporali dirâ & exemplari, ac deindè æternâ interficientur. ET SCIENT. Ex exemplo & genere mortis, quo eos percutiam discent. OMNES ECCLESIÆ. Asiæ & vicinæ Europæ, ad quas fama ejus rei pervenerit. QVIA EGO SVM. Quòd ego sim. SCRVTANS RENES ET CORDA. Deus, cui proprium est scrutari & intueri, etiamsi nemo ipsi aperiat, intimos voluntatis affectus, & abditissimas cogitationes intellectus. Cor enim hîc significat intellectum, unde exeunt cogitationes, Matth. 15. v. 19. & quia cupiditas venerea, quæ flagrantissima & impotentissima putatur inter omnes affectus, sedem habere dicitur in renibus: ideò renes sæpè accipiuntur pro voluntate, quæ est facultas animæ, undè depromuntur humani affectus. Respicit autem hîc Christus ad Jerem. 17. v. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes &c.* ET DABO VNICVIQVE VESTRVM. Impios Jezabelis filios alloquitur. SECVNDVM OPERA SVA. Quod merentur fornicationes, & pessima opera vestra. Cum enim magnitudo & meritum scelerum ex interiore animi affectu potissimum pendeat, ego, qui renum, & cordium scrutator sum, maximè etiam sum idoneus ad taxandam mensuram pœnarum, quæ sceleribus debentur, & reddendum unicuique secundùm opera sua. Huic tamen justitiæ Dei, quâ reddit reprobis secundum

dum opera sua, miscetur etiam Dei misericordia, non quidem totaliter pœnas relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit eos citra condignum, ait S. Thom. 1. p. q. 21. a. 4. ad 2. Unde particula, *secundum*, quando dicitur Deus dare impijs secundum opera sua, non significat arithmeticam æqualitatem inter peccatum & pœnam, sed geometricam potiùs proportionem, ab æterna Sapientia, juxta inscrutabiles providentiæ suæ leges taxatam.

Notant autem Chrysostomus & SS. Patres, quod Deus in Scripturis sæpiùs de supplicio malorum, quam de præmio bonorum mentionem faciat, quia homines magis tormentorum metu, quàm promissione bonorum à peccatis avertuntur.

24. VOBIS AVTEM DICO. Sermonem à Jezabele & discipulis ejus ad fideles castè & religiosè viventes convertit. ET CÆTERIS. Etiam cæteris. Particulam, *&*, Richardus & multi codices non legunt, sensu clariori, nam ista conjunctio obscurat sensum, nisi per, *etiam*, exponatur, sicut fecimus: aut certè, *vobis*, referri debet ad Episcopum & Clerum, *cæteris*, autem ad reliquos fideles Thyatirenses QVI THYATIRÆ ESTIS. Multi enim boni erant in medio Nicolaïtarum, & nationis pravæ.

Nimis quæsitum & subtile videtur, quod Alcazar per, *Thyatiram*, non Ecclesiam illius civitatis Asiæ particularem, sed Ecclesiam universalem significari putat, quia Thyatira hebraicè, secundum S. Hieronymum, *illuminatam* significat: omnes autem fideles sunt in Ecclesia universali, tanquam in civitate per fidem Christi illuminatâ.

QVICVMQVE NON HABENT DOCTRINAM HANC. Quicûmque inter vos non tenent falsam & perversam doctrinam Jesabelis & Nicolaïtarum. ET QVI NON COGNOVERVNT. Per assensum & approbationem. ALTITVDINES (græcè, *profunditates*) SATANÆ. Profunda mysteria doctrinæ Jezabelis & hæresis Nicolaïtarum à satana ipsis suggesta, ut libertatem christianam in libertatem carnis converterent; quasi se vitiorum gurgiti immergere, hoc esset Christianum esse. QVEMADMODVM DICVNT. Sicut hæretici Nicolaïtæ arcana doctrinæ suæ *profunditates* appellant: & illi quidem, non satanicas, sed divinas, profunditates vocabant; sed Christus de suo addit, satanæ potiùs esse ut eos mentiri significet.

Solent autem hæretici Catholicos, tanquam nimis simplices, irridere, doctrinam verò suam tanquam altam & profundam jactare, quæ à simplicibus non possit penetrari & capi.

Verisimile autem est, Nicolaïtas ex Philosophia Gentilium, & præcipuè Epicureorum, docuisse, concupiscentiam & appetitum carnalium voluptatum naturalem & licitum esse, quod posteà etiam amplexi sunt Pelagiani.

Haymo & alij, qui *altitudines satanæ*, superbiam diaboli interpretantur, non videntur textum græcum inspexisse, ex quo didicissent, *altitudines*, hoc loco non sublimitates superbiæ, sed potius profunditates scientiæ significare. Quo modo etiam, *altitudinem*, Apostolus capit, cùm exclamat: *O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei*, ad Rom. 11. v. 33. *Altum* enim apud Latinos vel sublime, vel profundum æquivocè significat.

Non mittam super vos. Non imponam humeris vestris. Aliud pondus. Quàm Apostoli olim vobis imposuerunt, quando in Concilio Jerosolymitano censuerunt, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, ut abstineretis ab immolatis simulachrorum, à sanguine, & suffocato, & fornicatione, Act. 15. v. 29. Unde mentiuntur Jezabel & Nicolaitæ, quando vobis persuadere conantur, quòd Apostoli totum Legis Mosaicæ jugum velint humeris vestris rursum imponere, quando jubent vos ab idolothytis & fornicatione abstinere.

Beda & quidam alij, *pondus* tribulationum intelligunt, quod Christus promittit se non aggravaturum, ne electi tententur supra id, quod sustinere possint, 1. ad Cor. 10. v. 13.

25. Tamen id quod habetis. Pondus paucarum istarum observantiarum ex lege veteri, ut Judæi & gentiles faciliùs inter se in unam Christi Ecclesiam coalescant; & reliquum Christianæ legis jugum suave, & onus leve Matth. 11. v. ult. Tenete, donec veniam. Nolite Excutere, sed portate, donec veniam ad judicium universale, quod in morte & judicio particulari uniuscujusque quodammodo inchoatur. Unde v. 26. indicatur hic Christi adventus in fine vitæ uniuscujusque futurus, ut notat Arethas.

26. Et qui vicerit. Jezabelis & carnis, mundi & diaboli tentationes. Et custodierit usque in finem. Vitæ suæ. Ille enim solus verè vicit, qui in fine certaminis in arena victor permansit. Opera mea. Quæ ego præcipio, & etiam operor in ijs qui operantur ea, sicut oportet: *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, ad Philip. 2. v. 13. Dabo illi potestatem. Imperandi & judicandi sub Christo supremo imperatore, & judice. Super gentes. Super omnes reprobos, tam ex Judæis, quàm ex gentilibus.

Vox

Vox enim, *gentes*, interdum tam latè sumitur, ut etiam comprehendat Judæos: *Congregabuntur ante eum omnes gentes &c.* Matth. 25. v. 32. & alibi. Potestatem autem istam exercebunt Sancti in Judicio universali post hujus vitæ finem: nam dicitur tantum illis danda, qui mandata & opera Christi custodierint usque ad finem vitæ.

27. ET REGET EAS. Græcè, *Et pascet eas.* Licèt hebraicus textus hodie Psal. 2. unde hic versus desumptus est, *Conteret eas*, legat. Sed Christus hîc versionem LXX. est secutus. IN VIRGA FERREA. Imperio & castigatione durâ, quomodo pastor pascere, & regere dicitur etiam illas oves, quas pedo pro meritis suis percutit. Sancti autem *iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum*, Sap. 3. v. 8. Ideò etiam ipsi cum eo regnabunt tanquam membra Ecclesiæ triumphantis,& Reipub.regnantis capitis. ET TANQVAM VAS FIGVLI. A figulo formatum & percoctum:ideoque fragile, & virgâ ferreâ percussum facilè in partes dissiliens. CONFRINGENTVR. Non amittendo esse, sed perdendo benè esse,ait Carthusianus.Quando enim Christus percutiet reprobos virgâ oris sui. Isa. 11. v. 4. & durâ illâ sententiâ, *Ite maledicti in ignem æternum*: Sancti etiam sententiam justissimi Judicis approbantes, eodem quoque ictu percutient, & confringent gentes in virga ferrea.

Alij, *virgam ferream*, legem Christi inflexibilem intelligunt, juxta illud, *Virga directionis*, (id est virga rectissima) *virga regni tui*, Psal. 44. quasi servantibus mandata promittatur regimen Ecclesiæ, quo per ferream virgam oris sui confringant dura & lutea corda infidelium & impiorum, & sic confracta humili Christi jugo subijciant. Sed hoc Ecclesiæ regimen non datur omnibus justis, nec datur post vitæ finem; quod tamen hîc innuitur. Unde ista virgæ ferreæ acceptio non videtur huic loco satis congruere. Nisi *regere*, & *pascere*, tribuatur Sanctis in cælo regnantibus, quia per preces suas apud Deum, & per Angelos nostros custodes amicos suos, regimen Prælatorum Ecclesiæ adjuvant, & etiam gratiam benè regendi ijs impetrant, ut virgâ rectâ & inflexibili subditos suos, & seipsos frangant.

28. SICVT ET EGO: Potestatem regendi & confringendi reprobos ex omnibus gentibus. ACCEPI A PATRE MEO. Increatam potestatem accepit ut Deus, per generationem æternam: creatam accepit ut homo, ex hypostaticæ unionis merito. ET DABO ILLI STELLAM MATVTINAM. Meipsum. Christus enim vocat se stellam splendidam & matutinam, infra Apoc. 22. v. 16. Cùm autem dicat, hanc stellam dandam esse ijs, qui custodierint mandata usque in finem vitæ, videtur esse præmium quod datur post hanc vitam.

Dabit ergo Christus justis corpore exutis hanc stellam, quando claritas Dei illuminabit illos, Apoc. 21. v. 23. & infuso mentibus beatarum animarum lumine gloriæ, illuminabuntur à Christi Divinitate, tanquam à stella matutina, quæ antecedit plenum æternitatis diem, quando post resurrectionem ab eadem Divinitate, tanquam à Sole, uberius illuminabuntur, tam in anima, quàm in corpore. Unde non malè Richardus: Stella matutina, inquit, est stola prima in cælo; illa autem stella mutabitur in solem meridianum in resurrectione, quando anima glorificabitur cum corpore resurgenti.

Aliâ ergò consideratione Christus dicitur Lucifer, seu stella matutina, 2. Pet. 1. v. 19. non quia lumine gloriæ Beatorum, sed lumine Fidei viatorum abundantiori, quàm lucernæ Prophetarum in nocte præteritorum sæculorum, nos jam illuminat, ut ibi exposuimus.

QVI HABET AVREM, AVDIAT, QVID SPIRITVS DICAT ECCLESIIS. Solemni admonitione Epistolam ad Angelum Thyatirensem claudit, ut illam, & cæteras omnes Ecclesias inflammet desiderio habendi illam potestatem regendi gentes, similem Christo, & accipiendi stellam matutinam, quæ illuminat animas Beatorum ante diem resurrectionis & consummatæ beatitudinis.

CAPVT III.

SYNOPSIS CAPITIS.

Postquam Angelus in persona Christi quatuor epistolas ad quatuor priores Episcopos septem Ecclesiarum Sancto Ioanni dictavit; tres alias ad reliquos tres Episcopos, Sardensem, Philadelphensem, & Laodicensem jam dictat.

Vers. 1.

ET ANGELO ECCLESIÆ SARDIS SCRIBE. Quis iste Episcopus fuerit, nescitur, nec scire, admodùm refert, quia ut malus & hypocrita, non ut Sanctus nobis depingitur: Sardis autem erat civitas capitalis Lydiæ. HÆC DICIT. Quæ sequuntur. QVI HABET. In conspectu throni sui, ut dixit Apocal. 1. v. 4. SEPTEM SPIRITVS DEI. Septem Angelos, sicut appellantur infra cap. 8. v. 2.

Hâc periphrasi se describit Christus, ut Episcopum Sardensem terreat,

reat, cùm audit septem istos Spiritus tanquam satellites circa Dei & Christi thronum accinctos stare, & ad omnem nutum paratos, ut in auxilium bonorum, & castigationem malorum evolent in terras.

ET SEPTEM STELLAS. Septem Ecclesiarum Episcopos, ut Apoc. 1. v. ult. interpretatus est. Quas habet in dextera sua, ut ibidem dixit, v. 16. Significat ergo Christus, se Episcopum Sardensem, & reliquos septem Ecclesiarum, habere in omnipotente manu sua. Quod etiam ad augendum Episcopi Sardensis terrorem spectare videtur.

SCIO OPERA TVA. In speciem bona, & laudabilia exterius, licèt non prodeant ex radice charitatis. Unde verbum, *scio*, non approbationem, sed simplicem notitiam hîc significat, ut benè notat Arethas. QVIA NOMEN HABES. Famam boni nominis apud alios, quos per hypocrisin fallis. QVOD VIVAS. Vitâ spirituali animæ, & opera verè bona fructifices. ET MORTVVS ES. Et tamen in morte peccati jaces separatus à Deo, qui est animæ vita.

2. ESTO VIGILANS. Excitare à somno, in quo jaces, & vigila super te, & gregem tuum: Cogita Episcopi nomen esse speculatoris & vigilantis. ET CONFIRMA CÆTERA. Et opera tua cætera, quæ tibi restant, ut fortè eleemosynas, orationes, prædicationes, & id genus alia, quæ exterius benè operaris sine interiori vita & stabilimento charitatis, fac ut confirmes & suffulcias interius; hoc enim verbum græcum propriè significat. QVÆ MORITVRA ERANT. Quæ aliàs collapsura erant, & amissura vitam illam imperfectam, quam adhuc habent, nisi ea fulcro internæ charitatis stabilivisses. Nam amiserat præcipua bona, charitatem & humilitatem, inquit Richardus, & quædam minora exterius speciosa retinebat, quibus æstimabatur apud homines. Sunt enim nonnulli, qui ea magis diligunt, quibus apud homines magni videntur, & ea parvi pendunt, sine quibus coram Deo non possunt esse justi. Sed tales sæpè minora ista etiam perdunt, ut se divinâ gratiâ nudatos fuisse cernant, & de negligentia citiùs resipiscant, ait idem Richardus. Breviter ergo, qui cæterarum virtutum officia non operantur ex charitate, tandem ipsa etiam officia amittunt, & sic non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus justi esse desinunt.

Quidam hoc interpretantur de reviviscentia bonorum operum, per peccatum subsequens mortificatorum. Sed hic sensus non convenit cum ratione, quæ proximè subditur, *Non enim invenio*, &c.

Beda, & alij quidam, *Confirma cætera*, *quæ moritura erant*, putant continere monitionem, ut Episcopus ille subditos suos confirmet langui-

languidos, & in defectionem ac mortem tendentes. Sed nondùm de subditis locutus fuerat. Et particula, *cætera*, videtur planè referenda ad, *opera tua*, quæ paulò ante præcesserant. Deinde quidam textus græci, & Arias non legunt, *quæ moritura erant*, sed, *quæ futurus eras abyicere*, sive, *quæ abiecturus eras*. Quod sensui Bedæ non benè concordat; optimè autem cum sensu priori Richardi. Qui enim officia virtutum non conantur ex charitate operari, facilè ipsa officia tandem etiam deserunt & abijciunt, & ex hypocritis fiunt apertè mali.

NON ENIM INVENIO. Dum renes & cor tuum scrutor, ac fundum, unde prodeunt, intueor. OPERA TVA PLENA. Non enim ea implet charitas, sed inflat vanitas. CORAM DEO MEO. Licet enim per ostentationem plena videantur coram hominibus; coram Deo tamen propter absentiam charitatis sunt vacua, inquit Richardus. Nullum enim opus bonum plenè, & verè bonum est sine charitate, quæ ideò vocatur, *plenitudo legis*, ad Rom. 15. v. 10. Unde Scriptura non præcipit nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum, ait Augustinus lib. 3. cap. 10. de doctr. Christ.

Christus Deum se habere dicit per Humanitatem, quam ex nobis & pro nobis assumpsit, ait Haymo: Humanitas enim Christi Deum suum Creatorem agnoscit.

Alij, *Non invenio opera tua plena*, referunt ad negligentiam illius Episcopi circa curam sui gregis, juxta illud, *ministerium tuum imple*, 2. ad Tim. 4. v. 5. Sunt enim quidam boni Sacerdotes, & quantum ad se attinet, casti & devoti, sed mali Episcopi & pastores, quia ministerium suum non implent, nec ovibus suis pabulum ministrant, quod deberent.

3. IN MENTE ERGO HABE. Memor esto. QVALITER (græcè, *quomodo*) ACCEPERIS ET AVDIERIS. Quænam monita, cùm ordinatus es Sardensium Episcopus à tuis Ordinatoribus acceperis, quando ab ijs audisti, quantâ curâ & sollicitudine oportet Episcopum sibi ipsi, & gregi suo invigilare. Solent enim Apostoli seriò admonere novos Episcopos officij sui, sicut Paulus monet Timotheum, 2. ad Tim. 4. v. 1. & seqq. & Asiæ Episcopos Act. 20. v. 28.

Fuerat autem hic Episcopus Sardensis ordinatus, vel à S. Paulo, qui primus cum Barnaba regiones Asiæ ad fidem converterat; vel à S. Ioanne, qui S. Paulo in administrationem illarum Ecclesiarum successerat.

ET SERVA ea in posterum. ET POENITENTIAM AGE præteritorum.

tum. SI ERGO NON VIGILAVERIS. Super gregem tuum, & super teipsum, ut opera tua plena sint coram Deo. VENIAM AD TE. Græcè, *super te*: quo modo Interpres eandem græcam præpositionem vertit Lucæ 4. v. 18. TANQUAM FUR. De nocte, & ex improviso. ET NESCIES. Sicut nescitur adventus furis: tempus enim captat, quo homines minimè venturum suspicantur. QUA HORA. An serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane, Marci 13. v. 35. VENIAM AD TE. Græcè iterum, *super te*. Ut nempe superveniens te opprimam, & hypocrisis ac negligentiæ tuæ in cura Episcopali pœnas expetam.

4. SED HABES PAUCA NOMINA IN SARDIS. Sed tamen non obstante negligentiâ tuâ, habes in tua civitate Sardensi saltem paucos aliquos fideles, quorum nomina scripta sunt in catalago Libri vitæ; nam respici hîc ad librum vitæ, colligitur ex versu 5. Unde non dixit, *paucos homines*, sed, *pauca nomina*, quia Christus nomina suorum scribit in cælo Sanctorum, inquit Beda. Deinde vox pluralis numeri, *nomina*, sæpè etiam accipitur pro hominibus ipsis, quia homines nominatim censeri solent, quoties exquiritur eorum numerus, ait Erasmus Act. 1. v. 15. ubi pro, *turba hominum*, ut interpres noster vertit, græcus, *turba nominum*, legit. Simili ferè phrasi Latini, cohortes militum, numeros vocant, quia milites certo numero in albo militari describi solent, ut ad lib. 1. Hist. C Taciti notat I. Lipsius. QUI NON INQUINAVERUNT. Per peccatum mortale. VESTIMENTA SUA. Candida innocentiæ vestimenta quibus induti fuerunt, quando Baptismi vel Pœnitentiæ gratiam susceperunt. Unde te Episcopum pudere debet, quod oves Pastore suo constantiores & sanctiores habeas. ET AMBULABUNT MECUM IN ALBIS. Conversabuntur mecum in æterna felicitate, induti stolis albis, hoc est, gloriâ animæ & corporis.

Richardus tamen & alij, intelligunt de conversatione, quâ Sancti ambulant in hac vita cum Christo per justitiam, & Christus cum ipsis per gratiam: nam nisi per singula opera retribueret eis gratiam, non possent proficere per justitiam, quia sine ipso nihil possunt facere, inquit Richardus ex doctrina præceptoris sui Augustini.

QUIA DIGNI SUNT. Ut mecum sic ambulent, eo quod inter tot tentationes pugnando & resistendo, candorem vestimentorum suorum immaculatum custodierint.

5. QUI VICERIT. Animæ suæ hostes, carnem, mundum, diabolum, & hoc perseveranter usque in finem. SIC VESTIETUR. Sicut illi electi, qui sunt in Sardis. Græcè tamen, *hic vestietur*, sine comparatione ad Sardenses. VESTIMENTIS ALBIS. Duplici stolâ albâ, quæ

est gloria animæ & corporis. Pro vestimento enim gratiæ in quo candidati usque ad finem vitæ hîc ambulaverunt in terris, meritò candida gloriæ vestimenta recipient in cælis. ET NON DELEBO NOMEN EIVS. Sicuti delentur nomina eorum, qui à gratia excidunt, & in peccato suo moriuntur. Minus dicit & majus intelligit, & dum unum negat, aliud confirmat, ait Richardus. Indicat enim talem per prædestinationem Dei Patris ab æterno indelebiliter in libro vitæ scriptum fuisse. DE LIBRO VITÆ. In quo descripta sunt nomina eorum, qui ordinantur ad vitam æternam.

Dupliciter autem aliquis potest in hoc libro vitæ scribi, per Prædestinationem, vel per gratiã; ut docet, & hunc Apocalypsis locum explicat S. Thomas 1.p.q.24.art.3. Qui per Prædestinationem inscriptus est, dicitur simpliciter scriptus in libro vitæ, ex quo non potest unquam deleri, quia *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus, qui sunt eius*, 2. ad Tim. 2. v. 19. Qui tantùm inscriptus est per præsentem gratiam & justitiam, quâ jus habet, & ordinatus est ad vitam æternam, quam tamen propter finalem lapsum nunquam consequetur, tantùm secundùm quid scriptus est in libro vitæ, & ex eo potest deleri. Non quasi ex memoria Dei (quæ est iste liber vitæ) notitia ejus possit deleri, cum Deus numquàm desinat novisse, id quod semel novit, sed propter mutationem rei quam novit. Scit enim Deus aliquem prius ordinari ad vitam æternam, quando est in gratia: & scit, non amplius posteà ordinari, quando excidit à gratiâ, ait S. Th. loco citato.

ET CONFITEBOR NOMEN EIVS. Collaudando & glorificando eum ex merito suorum operum, dicendo, esse unum ex illis, quos ante constitutionem mundi Pater elegit, & locum in cælis præparavit. Non enim est Christi hominis dare electis locum, sed quibus paratum est à patre, Matth. 20.v.23. CORAM PATRE MEO, ET CORAM ANGELIS EIVS. Tanquam testibus, & confessionis meæ approbatoribus. Angeli autem, qui comitabuntur Christum ad judicium, vocantur hîc Angeli Patris per creationem.

6. QUI HABET AVREM, AVDIAT, QVID SPIRITVS DICAT ECCLESIIS. Jubentur hîc Ecclesiæ attendere ad promissionem præcedentem, non ad sequentem: nam per hanc clausulam epistola ad Episcopum Sardensem finitur.

7. ET ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ SCRIBE. Quis iste Philadelphiæ angelus fuerit iterum ignoratur: nam errat Lyranus cum Aureolo, putans fuisse S. Quadratum martyrem, cujus mentio in Martyro-

Martyrologio Rom. die 26. Maij. Nam Quadratus sub Adriano Imp. annis facilè 30. post scriptam Apocalypsin, factus demum est Episcopus, nec Philadelphiæ in Asia, sed Athenarum in Græcia. Undè Adriano Athenas venienti obtulit Apologiam pro Christianis, quæ tantæ admirationis fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium, ait post Eusebium S. Hieronymus. Fuit tamen præclarus viriste Philadelphiæ Angelus, & similis Angelo Smyrnensi, qui de nulla culpa vel negligentia reprehenditur. HÆC DICIT SANCTUS. Græcè, *ille Sanctus*. Ille qui Sanctus per essentiam, & omnis sanctitatis fons est: ut scias, unde sanctitatem habeas, & à quo ejus incrementum petere debeas. ET VERUS. Græcè, iterum, *ille verus*. Ille etiam verus veraxque veritate prima, tam in assertis, quàm in promissis, ut proinde confidere debeas, eum facturum, quidquid promiserit.

Christus autem in initio omnium Epistolarum tali periphrasi se describit, qualem subsequens sermo requirit, ut notat Richardus. Undè facilè colligitur ex sequentibus promissionibus, quare se Sanctum & verum appellet.

QUI HABET CLAVEM DAVID. Supremam potestatem regnandi in domo, & solio regis Davidis: sive in Ecclesia, quæ per domum & regiam Davidis mysticè designatur. Unde Angelus ad Virginem, *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, &c.* Lucæ 1. v. 32.

Clavis autem in Scripturis tam veteris, quàm novi Testamenti, ideò potestatem significat, quia qui clavem Palatij aut alicujus domus habet, potest liberè eam intrare, & alios intromittere, aut excludere prout libuerit, adeoque cæteros quodammodo subjectos sibi habet.

Dixerat anteà Christus se habere claves mortis & inferni, Apocal. 1. v. 18. jam verò, ut ostendat istas claves plura posse aperire & claudere, quàm carceres mortis & inferni, vocat claves domus & regni Davidis, quæ est Ecclesia, in qua Christus, tanquam supremus Princeps, omnia aperire & claudere potest.

Ribera, & alii multi, *clavem David*, intelligunt clavem templi Salomonis, quod est etiam templum Davidis, quia David præcepit illud ædificari à filio suo, & sumptus ad ædificium necessarios ei reliquit. Videtur enim Christus hîc respicere ad similia verba Isa. 22. v. 22. quibus Deus Eliacim summo Pontifici promittit clavem domus David, & summam potestatem in tempolo Domini. Sed licet similia verba hîc usurpet Christus, videtur tamen ad sensum paulò diversum ea accommodare. Non enim dicit se habere clavem Eliacimi

Pontificis, sed clavem ipsius Regis David, quæ non significat potestatem Eliacimi in templo Domini, sed potestatem Davidis in totum suum regnum, etiam antequam templum esset ædificatum. Undè non sedem Summi Pontificis Judæorum, sed sedem David patris ejus promittit Gabriel Angelus Lucæ 1. v. 32.

QVI APERIT. Ostium domus David sive Ecclesiæ electis suis quos per fidem & gratiam in Ecclesiam militantem, & deinde per gloriam in triumphantem intromittit. Ita verò aperit, ut si quis sine ipso aperire voluerit, in vanum laboret. Unde ne operam perderent Paulus & Sylas, *vetati sunt à Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia*, Act. 16. v. 6. & *cum tentarent ire in Bithyniam, non permisit eos Spiritus Iesu*, ibid. v. 7. ET NEMO CLAVDIT. Nemo claudere potest, & ab Ecclesiæ ac cæli introitu arcere, quibus Deus per æternam prædestinationem aperire voluerit: *Quis nos separabit à Charitate Christi*, &c. ad Rom. 8. v. 35. CLAVDIT. Infidelibus & reprobis, qui propter peccata sua excludi merentur. ET NEMO APERIT. Nemo aperire potest: Nam *Si incluserit hominem, nemo est, qui aperiat*, Job. 12. v. 14. Claudit autem Deus, quando non aperit, quia humana mens sibi dimissa ad perditionem suam sufficit, ait in illum locum S. Gregorius. Quia verò Christus per meritum suæ Crucis ostium Ecclesiæ militantis & triumphantis electis suis aperit, ideò Crux Christi non male à quibusdam vocatur Christi Clavis.

8. SCIO OPERA TVA. Novi & approbo. Brevi enim hâc sententiâ totam & magnam laudem ejus est complexus, ut notat Richardus. ECCE DEDI CORAM TE OSTIVM APERTVM. Ego aperui ante te ostium Ecclesiæ, ut tu, qui es in Ecclesia, ex ostio jam aperto concionando, multos Judæos infideles ad Ecclesiam voces, & per ostium apertum introducas: loqui enim maximè de multitudine Judæorum ad fidem convertenda, colligitur ex versu sequenti.

Videtur autem considerare istum Episcopum Philadelphiæ, non tanquam extra Ecclesiam, sed ut in Ecclesia clausa consistentem & expectantem, ut Christus ostium ante faciem ipsius clausum ad aliquos intromittendos aperiat.

Simile ostium Ecclesiæ infidelibus clausæ sibi apertum dicit Paulus, 1. ad Cor. 16. v. 9. & Deus dicitur Gentibus aperuisse ostium fidei, Act. 14. v. 26. quod nihil aliud est, quàm per gratiam aperire cor infidelium, ut credant, & ita per fidem intrent in Ecclesiam, sicuti concionante Paulo dicitur Dominus aperuisse cor Lydiæ purpurariæ Act. 16. v. 14.

QVOD

QVOD NEMO POTEST CLAVDERE. Nemo enim voluntati, qui electos suos in Ecclesiam, & vitam æternam vult intromitti, resistere potest. Gratia enim ejus corda hominum, etiam durissima, statim emollit, & indeclinabiliter, ac insuperabiliter, ut c. 12. de correp. loquitur S. Augustinus, ad se convertit. QVIA MODICAM HABES VIRTVTEM. Græcè, *Quia parvam habes potentiam*, seu facultatem & vires. Dabo Ego, inquam, ostium apertum, quia tu parum potes, nec illud viribus tuis aperire vales. Frustrà enim Prædicator exterius clamat, nisi Deus interius cor aperiat, & aures audiendi donet. ET SERVASTI VERBVM MEVM. Et quia mandata mea fideliter observasti. ET NON NEGASTI. Cum accusareris apud Magistratus. NOMEN MEVM. Te esse fide & Religione Christianum. Unde illius constantiæ & fidelitatis merito, aperui tibi illud ostium, nè prædicando in vanum, sed cum egregio fructu, & animarum capturâ laborares. Sicut enim oratione fructum aliquem prædicationis nostræ in animis auditorum impetrare possumus; ita per opera bona præcedentia possumus hoc idem, saltem de congruo, promereri.

Hinc viri sancti, licèt parvâ eloquentiâ, & modicis naturæ dotibus sint instructi, qualis videtur fuisse hic Philadelphiæ Episcopus; majorem tamen sæpè in animis auditorum impressionem faciunt, quàm alij à natura magis eloquentes & prompti: Sanctus enim Spiritus sæpè minus idonea instrumenta eligit, quia virtus divina convertens animas magis apparet, quando per inepta naturaliter instrumenta, quàm quando per aptiora operatur. Hinc piscatores & rudes homines ad convertendum orbem, non Oratores aut Philosophos elegit Christus, & *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes*, 1. ad Cor. 1. v. 27.

Non semper tamen, qui sanctiores sunt, plures convertunt, nè fortasse sibi in sanctitate & virtute sua nimis complaceant. Unde S. Jacobus paucos in Hispania convertere potuit, ait Alcazar; licèt F. Dexter Bivarij ad annum Christi 36. planè contrarium, & multas in Hispania erexisse Ecclesias, & creasse Episcopos dicat. Sed auctor iste, ut aliàs etiam diximus, apud multos meritò est suspectæ fidei, negantque esse Chronicon illius eruditi Flavij Dextri S. Hieronymo familiaris.

9. ECCE DABO DE SYNAGOGA SATANÆ. Dabo tibi convertendo eos ad fidem per tuam prædicationem aliquos ex Synagoga Judæorũ, quæ non Dei, sed satanæ Spiritu regitur, & in sua infidelitate obstinata manet. QVI DICVNT SE JVDÆOS ESSE. Qui jactant se secundum carnem

carnem & fidei spiritum ex Juda, Abrahamo, & Patriarchis oriundos esse. ET NON SVNT. Et secundum Spiritum fidei, quæ per charitatem operatur, revera non sunt Judæi, nec Spiritu Sanctorum suorum Patriarcharum aguntur, sed spiritu satanæ. Undè de ipsis Christus, *Vos ex patre diabolo estis*, Joan. 8. v. 44. *Non enim qui in manifesto Iudæus est, sed qui in abscondito, Iudæus est*, ad Rom. 2. v. 28.

Richardus & quidam alij putant alludi ad nomen, *Iudæus*, quod confitentem significat, quasi ipsi dicerent se esse Deum confitentes, cum tamen Christum Dei filium blasphemarent.

SED MENTIVNTVR. Sed falsum dicunt. *Mentiri*, enim pro, *simpliciter falsum dicere*, licèt contra mentem quis non loquatur, solet etiam à Latinis, & Cicerone ipso usurpari. Sufficiebat dixisse *Et non sunt*; sed inculcat idem cum aliqua exaggeratione, ut significet, jactantiam eorum à veritate longissimè abesse.

ECCE FACIAM ILLOS, VT VENIANT. Per gratiam meam illos tales faciam, ut ad Ecclesiam per fidem veniant. Phrasis autem ista *faciam illos ut veniant*, similis est isti, *fiat manus tua, ut salvet me*, Psal. 118. Nec tantùm ab Hebræis & Græcis, sed etiam antiquis Latinis, ut Plauto & alijs, est usurpata. Videtur autem esse eclipsis, & subaudiri vocem *tales*, aut aliam similem, ut indicat Richardus. ET ADORENT ANTE PEDES TVOS. Et ut magno fervore contritionis procidant ante tuos, tanquam magistri, pedes, & præ humilitate minimos in Ecclesia se reputent, qui anteà in Judaismo superbissimi erant. Sic Paulus minimum Apostolorum se vocat, quia anteà tam ferventer persecutus fuerat Ecclesiam, ideoque ex Saulo Paulum, tanquam parvulum, se humiliando appellavit, ut S. Augustinus existimat. ET SCIENT. Tunc conversi, quod nunc ignorant aversi, arbitrantes te persequendo, se obsequium præstare Deo. QVIA EGO DILEXI TE. Quòd ego dilexerim te, tanquàm fidelem verbi & voluntatis meæ ministrum, quod ignorabant, dum te permittebam examinari per tribulationem, inquit Richardus.

10. QVONIAM SERVASTI VERBVM PATIENTIÆ MEÆ. Præceptum patientiæ, quam ego præcipio & requiro in Ministris Euangelij. Volo enim eos multa pati, & mori potiùs, quàm fidem negare, aut aliquid contra decus ejus committere. Aut certe, *patientia mea*, hoc est, quam propter me sustinuisti.

Phrasin autem istam, *servare verbum*, vel, *sermonem*, pro servare mandata, peculiarem esse Sancto Joanni, colligitur ex Euangelio ejus ut ex cap. 8. v. 51. & seqq. ex cap. 14. v. 23. & 24. &c. Undè hinc probabile

probabile argumentum trahi, eundem esse auctorem Euangelij S. Joannis, & hujus Apocalypsis, notat Alcazar. Licèt enim, *Verbum Dei*, pro, *Mandatum Dei*, legatur Lucæ 8. v. 11. & *servare mendata*, Matth. 19. v. 17. solus tamen S. Joannes duo illa simul, *servare verbum*, vel *servare sermonem*, valdè frequenter jungit. ET EGO. Etiam ego merito istius patientiæ. SERVABO TE. Auxilio gratiæ meæ ne tentatio tibi noceat & te superet. AB HORA TENTATIONIS. A tempore tentationis instantis quando constantia fidei Christianorum à Tyrannis tentabitur. QUÆ VENTURA EST. Brevi: nam hora ista tentationis cœpit statim circa initium Imperij Trajani, qui anno Christi 100. cœpit imperare. Hæc autem revelatio putatur circa annum Christi 97. S. Joanni fuisse facta. Ardor verò istius tentationis & persecutionis duravit 10. circiter annos, ut Apoc. 2. v. 10. diximus. IN ORBEM UNIVERSUM. Græcè, *In habitatam universam*. In terram quæ inhabitatur universam; sive in universum Rom. Imperium, quod tum temporis per omnem ferè terram habitabilem veteribus cognitam, extendebatur. Unde dicit Lucas, *exyisse edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Lucæ 2. v. 1. Et tamen Rom. Imperium latius adhuc fuit sub Trajano, quàm fuerat sub Augusto; nam Trajanus, adjectâ veteribus Imperij limitibus Arabiâ, Armeniâ, & Mesopotamiâ, Imperium ab Oriente usque ad Indos: additâ verò ultrà Danubium Daciâ, versus Septentrionem usque ad Meotin paludem extendit, ut videre est apud Lipsium lib. 1. cap. 3. de magnitud Rom.

Providentia autem divina voluit Imperium Rom. sic dilatari, ut fides Christiana facilius & longius brevi tempore propagaretur, dum ex urbe Româ capite Imperij, ubi fides Christiana vigebat, plurimi quotidie in omnes mundi provincias imperio subjectas mittebantur aut ultrò ad mercimonia vel alia negotia ibant, simulque fidem Christianam, aut famam ejus eò ferebant.

TENTARE HABITANTES IN TERRA. Ut Christianos toto orbe terrarum dispersos tentet, & tormentis, si fieri potest, ad fidem deserendam compellat.

Qualis verò tunc fuerit illa tentatio, ex Proconsule Bithyniæ Plinio juniore discimus, qui lib 10. epist. ad Trajanum Imp. narrat, se Christianos innumeros, licèt nullius sceleris compertos, supplicijs tamen afficere, quia pertinacia, & inflexibilis eorum obstinatio pœnam videbatur mereri. Additque, non tantum vrbes, sed etiam pagos & vicos in illo Asiæ tractu refertos esse Christianis omnis ætatis, generis & sexus. Unde cum tot quotidie catervæ jugularentur, ait Eusebius,

Eusebius, multitudine perterritus Proconsul Plinius coactus est consilium Româ ab Imp. Trajano petere. Qui respondit ei, ne eos amplius conquireret, sed si ultrò deferrentur, eos puniret.

11. ECCE VENIO CITO. Ad judicium universale, ut reddam unicuique secundum opera sua. Animat enim ad perseverantiam in agone & tentationibus, spe coronæ, quam reddet legitimè certantibus, quando ad judicium veniet. Citò autem veniet, quia in morte singulorum hominum, judicium universale quodammodo inchoatur, ut alibi sæpè diximus. TENE QUOD HABES. Usque ad finem certaminis fortiter retine fidem, gratiam, & constantiam, quam à me habes, & per quam in hoc stadio pugnas. Alludit enim ad agonem & certamen Athletarum in stadio, ut ex nomine coronæ, quod statim sequitur, patet.
Ex hac phrasi, contra hæreticos nostri temporis colligitur, quod homines justi fidem & justitiam semel adeptam possint amittere.

UT NEMO ACCIPIAT CORONAM TUAM. Ut nemo alius coronam victoriæ ex præsenti fide & gratia tibi debitam rapiat, si ante finem certaminis à fide aut justitiâ deficias. Alludit autem ad morem stadij, in quo victores appensam è loco eminentiori coronam manibus solebant arripere.

Ex hoc loco colligit S. Augustinus cap. 13. de correp. numerum Prædestinatorum, certum & definitum esse. *Si enim*, inquit *alius non est accepturus* coronam, *nisi iste perdiderit*, *certus est numerus:* talis enim locutio supponit alium accepturum esse, si iste defecerit. Undè si numerus lapidum vivorum, quibus Deus ab æterno cælestem Prædestinatorum civitatem construere statuit, non esset certus & determinatus, sed penderet ex fortuita determinatione liberi arbitrij, utentis aut non utentis gratiâ, quam ei Deus offert; posset aliquis perdere coronam, & tamen nullus ei substitui, coronamque ejus accipere: veluti etiam è contra, ille qui deficit, posset perseverare, & alius simul coronari, ac numerum Prædestinatorum augere.

Colligitur ergo, quod numerus hominum salvandorum, sit formaliter determinatus, sive, quod ad construendum & implendum illum exercitum Sanctorum, quem Sapientia Dei ab æterno constituit, tot homines debeant esse in prima, tot in secunda acie, sive tot inter Seraphinos, tot inter Cherubinos, &c. Non tamen hinc apertè colligi potest, numerum esse certum & determinatum materialiter, seu, quod talibus determinatè personis, & non alijs, Deus ante prævisa eorum merita, decreverit exercitum illum implere. Quamquam hoc

hoc etiam, tanquam certissimum, aliundè doceat Augustinus.

Malè verò quidam recentiores hinc statuunt contra S. Augustinum, electionem ad gloriam factam esse post prævisa electorum merita: quia aliàs, inquiunt, frustià huic S. Episcopo Philadelphiæ, & cuicumque electo diceretur, *Tene quod habes*, si corona ejus non esset ita posita in manu ipsius, ut eam posset amittere: responderet enim electus, inquiunt, depositam esse in manu Dei, de qua nemo alius rapere, nec electus amittere potest.

Sed verissimum est, coronam electorum positam esse in manu Dei: ideò enim de ovibus electis, & earum coronis dicit Christus, *Non rapiet eas quisquam de manu mea*: Item, *Nemo potest rapere de manu patris mei*, Joan. 10. v. 28. & 29. Sed ista, *Tene quod habes* &c. dicuntur Sanctis, ait Augustinus cap. cit. quasi eos perseveraturos, haberetur incertum, nè altum sapiant, sed timeant, nec ullus se esse de numero Prædestinatorum, hìc præsumat: ubi sic cavenda est elatio, inquit, ut etiam per Angelum Satanæ, ne extolleretur, tantus colaphisaretur Apostolus, 2. ad Cor. 12. v. 7. Quæ propriæ electionis ignorantia, propter tale periculū elationis, nobis admodum necessaria est, etiamsi electio post prævisa merita facta esset. Nam quomodocumque facta sit, est infallibilis; Ac proinde homines, si certò scirent, se esse de facto ad gloriam electos, etiamsi post prævisa sua merita, nimis securi, & fortasse elati essent, cum scirent, se ex libro vitæ nulla ratione delendos esse, & sic liberiùs peccarent, cum injuria & contemptu Creatoris.

Non colligitur ergo ex hoc loco, electionem ad gloriam, ante aut post prævisionem meritorum factam fuisse, sed nos de electione nostra incertos esse, & id nobis expedire.

Inter utramque verò sententiam solùm est ista distinctio: quod si electio facta sit post prævisa merita, ille cui dicitur, *Tene quod habes*, admoneatur, ut libero arbitrio gratiam determinet: si autem electio facta est ante prævisionem meritorum, ut S. Augustinus, S. Thomas, & nostra schola docet, admonetur, ut gratiæ determinanti cooperetur.

Aliter hunc locum explicant Arethas & Estius: *Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam*; id est, inquiunt, ut coronam tuam non amittas, etiamsi nemo alius accipiat, ut sibi retineat. Quo modo etiam dæmon diceretur accipere coronam alicujus, quem in peccatum pertraheret, destruendo, non sibi retinendo coronam ejus. Sed verba ista; *ut nemo accipiat*, &c. magis significant S. Augustini sensum, quem etiam Beda, Rychardus, Haymo & plerique sequuntur.

12. QVI VICERIT. Carnis, diaboli, mundi persecutiones instantes. FACIAM ILLVM COLVMNAM. Gratiâ robustiori firmabo illum, ut tanquam immobilis columna sit firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, & alios sustentet verbo consolationis, alios suffragio orationis, alios exemplo actionis, inquit Richar. Per columnas enim propriè significantur Sancti & perfecti Ecclesiæ Prælati, qui verbo & exemplo Ecclesiam Dei sustentant, & egregie ornant: ideòque Paulus ad Gal. 2. v. 9. de Petro, Jacobo & Joanne loquens, *Qui videbantur*, inquit, *columnæ esse*. Unde hæc promissio propriè ad solos Prælatos, Pastores, & Prædicatores spectat, qui aliorum sunt sustentacula, & Ecclesiæ magnæ utilitati sunt & decori, ut ait S. Gregor. IN TEMPLO DEI MEI. In Ecclesia Dei mei, quæ olim figurata fuit per templum Dei ædificatum à Salomone, cujus porticus elegantibus & pretiosis columnis sustentata fuit, licèt in interioris templi ædificio nulla in Scripturis 3. Reg. 7. & 2. Paral. 7. aut alibi, sustentantium columnarum mentio fiat. Sed nomen templi, etiam porticum & atria exterioris muri ambitu comprehensa complectitur.

Sunt autem in Ecclesia quidam Prælati columnæ lapideæ per fidei firmitatem, alij columnæ æneæ per prædicationis sonitum, alij argenteæ per singularem eloquentiam, alij aureæ per sapientiam, inquit Richardus.

Christus autèm vocat Deum suum propter humanitatem, quâ Deo est minor; vel certè propter arctissimam Divinæ naturæ cum humana in Christo unionem, ut existimat Arethas.

ET FORAS. Extra templum & Ecclesiam justorum. NON EGREDIETVR AMPLIVS. Per crimen & grave peccatum, quo à justitia finali excidat: licèt olim cum cæteris communi lapsu in Adamo, ut exponit Haymo, vel etiam per propriam fortè culpam actualem aliquando egressus fuerit de Ecclesia justorum. Peculiari autem assistentiâ solet Deus magnis illis Ecclesiæ columnis & infirmorum sustentaculis assistere, nè à justitiâ finali excidant. Licet tamen etiam aliquando id fieri permiserit, ut de Tertulliano & Origene historiæ Ecclesiasticæ narrant: ut nemo certam perseverantiam sibi promittat, sed qui existimat se stare, videat ne cadat, 1. ad Cor. 10. v. 12. Ideò nec perseverantiæ donum voluit Deus sub meritum de condigno cadere, ut S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 9. docet.

ET SCRIBAM SVPER EVM. Tanquam super trophæum, & columnam triumphalem, quibus inscribi solent res gestæ & tituli victoriarum,

riarum, ut patet ex columna Trajani Imp. & aliorum, quæ etiamnum Romæ visuntur. NOMEN DEI MEI. Tanquam victoris & gloriosi in Sanctis suis: nomen enim victoris solet columnæ triumphali præcipuè inscribi. Gratia autem Dei est præcipua causa omnis victoriæ nostræ adversus carnem, mundum, diabolum, non humana nostra infirmitas. Undè soli Deo laudem & gloriam omnium trophæorum ac arcuum & columnarum triumphalium tribuere oportet, ut *qui gloriatur* non in semetipso, sed *in Domino glorietur* 2. ad Cor. 10. v. 17. & semper *Deo gratias* agamus, *qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum* 1. ad Cor. 15. v. 57.

Beda, quem plerique sequuntur recentiorum, putat alludi ad inscriptiones duarum columnarum, quæ erectæ fuerant in porticu ante fores templi Salomonis, quæ nihil sustentabant, sed instar duorum trophæorum, mirabili opere, ex ære fusili factæ erant, quarum unam, Jachim, alteram, Booz, Salomon appellavit, nomine utroque à fortitudine deducto, ut plerique interpretes dicunt; licet LXX. Jachim *directionem*, Booz, *fortitudinem*, vertant, 2. Paral. 3. v. ult.

ET NOMEN. Etiam scribam super eum. CIVITATIS DEI MEI. Ecclesiæ electorum, quos Deus meus per æternam prædestinationem è massâ confusâ & damnatâ nullis ipsorum meritis in unam civitatem Dei collegit. Hinc S. Augustinus quosdam libros suos, *de Civitate Dei* inscripsit. Solet autem in columnis triumphalibus non tantum inscribi nomen victoris, sed etiam civitatis & populi ejus. NOVÆ JERUSALEM. Quæ civitas Dei est nova Jerusalem, in qua homines per gratiam novi, & novæ creaturæ habitant, *creatæ in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut ambulent in illis*, ad Ephes. 2. v. 10. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova*, 2. ad Cor. 5. v. 17.

Meritò ergo ista vocatur nova Jerusalem, cum illa vetus & terrestris, quæ erat figura novæ & cælestis, tota constaret veteribus & peccatoribus hominibus, quia lex vetus, ad cujus normam exterius vivebant, gratiam renovantem non tribuebat: *si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*, ad Gal. 2. v. ult. Nec refert, quod isti homines novi in peccati vetustatem aliquando recidant, quia in æterna Dei prædestinatione novi sunt, & in fine hujus vitæ novi ex hoc mundo exeunt.

QUÆ DESCENDIT DE CÆLO. Quæ adhuc quotidie descendit de cælo per gratiam, quæ de cælo in terram pluit, ut novos ibi homines germinet, & in unam militantem Ecclesiam collectos, post victo-

riam in cælum ad triumphum revehat. Verbum, *descendit*, hîc est præsentis temporis, ut ex Græco patet. Unde significat civitatem illam Dei novam, quotidie usque ad finem mundi de cælo descendere, & colligi. A DEO MEO, Quia per dona gratiæ descendit, quæ *descendunt à patre luminum, apud quem non est transmutatio* &c. Jac. 1. v. 17. ET NOMEN MEVM NOVVM. Et etiam scribam super eum nomen meum novum Christi, quod per incarnationem adeptus sum, cum anteà tantum essem Deus & Verbum, nondùm Homo.

Meritò autem præter nomen Dei Patris, nomen etiam Christi hominis super electos, tanquam columnas triumphales, inscribitur, quia non solus Deus Pater in electis suis; carnem, mundum, diabolum, vincit, sed etiam homo Christus Jesus, ex cujus Passione & merito fortitudo ista vincendi à patre luminum descendit.

Et ad hoc fortè adumbrandum, duplex in vestibulo templi Salomonis columna triumphalis erecta fuit. *Iachim*. i. *fortitudo*, vel, *directio* juxta LXX. Interpretes pro triumpho Dei Patris, qui actionum nostrarum intentiones, in terram curvas & depressas, sursum in cælum dirigit: & *Booz*. i. *in ipso fortitudo*, pro Christi trophæo, per quem omnis gratiæ victricis fortitudo nobis venit. Et ideò *Iachim* à dextris, *Booz* à sinistris posita erat, 2. Paral 3. v. vlt. quia Pater Christo homine est major.

Nec columnas istas duas statui ante fores Ecclesiæ, tanquam figuras trophæorum gratiæ victricis novi Test. quis mirabitur, si cogites quod omnia illi populo in figura contingebant, & totum Vetus Testamentum sit perpetua allegoria novi.

Sed præcipuè victrix gratia Christi, propter quam *Verbum caro factum est*, multis modis figuranda fuit. Unde altissimo & saluberrimo Sacramento, universa facies Scripturarum benè intuentes id admonere invenitur, ait S. Augustinus cap. 98. Enchir. ut qui gloriatur, in Domino glorietur: quia videlicet ubique facies ista Scripturarum figuris & typis gratiæ Christi victricis, & humani arbitrij infirmitatis insignita est.

13. QVI HABET AVREM &c. Jubet audiri & attendi ad promissiones v. præced. *faciam illum columnam*, &c. Vide quid in simili v. 6. diximus.

Quia vero Episcopus, cujus virtutes à versu 7. huc usque recitantur, appellatur Angelus Philadelphiæ; hoc est, charitatis fraternæ; Joachim Abbas Florensis, Ord. S. Benedicti in Calabria, vaticinatur, ut narrat hîc Viegas, eo nomine designari, quemdam Ordinem in Ec-

in Ecclesia novum exoriturum, valde spiritualem, & charitatis fraternæ amantissimum, cui cætera etiam convenient, quæ de hoc Angelo Philadelphiæ scribit S. Joannes. Et aliud S. Vincentij ex Ordine Prædicatorum, omnino simile Vaticinium addit Viegas: ubi S. Vincentius vocat Ordinem illum, statum hominum pauperrimorum, simplicissimorum, mansuetorum, humilium, abjectorum, charitate ardentissimâ sibi conjunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, aut saporantium, nisi solum Jesum Christum, & hunc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suique oblitorum, supremam Dei & Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium, &c.

Et quia Joachimus ait, esse Ordinem, quem designat Jesus, non desunt, inquit Viegas, qui ad Societatem nostram pertinere arbitrentur. Alij quidam ad alios,& suos quisq; ordines hæc vaticinia trahunt.

Sed si perpendantur verba prophetiæ Joachimi, & quid de eo Guido Carmelita anno 1342. & post eum Alphonsus à castro scribat, facilè videbitur, quo ista spectent, nempe ad renovationem veteris ordinis S. Benedicti, potiùs quàm ad novum aliquem, in Ecclesia hactenus inusitatum. Distinguit enim Joachimus tres mundi status; primus ab Adamo usque ad Christum, quo homines secundum carnem vivebant: secundus à Christo usque ad S. Benedictum quo homines medio modo inquit, inter spiritum & carnem vixerunt. Tertius à S. Benedicto (qui circa annum Christi 494. vitæ monasticæ fundamenta jacere cœpit) usque ad mundi finem, quo tempore homines perfectè, secundùm Dei Spiritum, sunt victuri. Sed perfecta ista spiritualitas non statim cum S. Benedicto, sed tempore Joachimi, anno Christi 1260. incipere debebat, & ordo Clericorum in Ecclesia desinere. Primum enim statum ab Adamo usque ad Christum, Joachimus statum Conjugatorum, à Christo ad S. Benedictum statum Clericorum, à S. Benedicto ad finem mundi, statum Monachorum appellabat.

Sed cum quidam Petrus Joannis ex Ordine Franciscanorum vidisset, ordinem Clericorum in Ecclesia non defecisse, anno 1260. juxta vaticinium Joachimi, vaticinatus est & ipse, defecturum saltem anno 1300. & tempora aliter dimetiens, dixit, statum Clericorum debere extendi à Christo, non solùm usq; ad S. Benedictum, sed usque ad S. Franciscum. Vitam autem spiritualem reformandam, & Euangelium spiritualiter prædicandum esse, non per Monachos Benedictinos, sed per fratres sui Ordinis.

Duo autem isti, Joachimus & Petrus Joannis, à Guidone & Alphonso à Castro gravissimi erroris & hæresis redarguntur, quod dixerint, secundum illum statum à Christo usque ad S. Benedictum aut Franciscum, fuisse minus spiritualem, quam statum sequentem Monachorum, quandoquidem sub secundo illo statu tempora Apostolorum & SS. Patrum comprehendantur. Deinde, quod dixerint, Ordinem Clericorum in Ecclesia extinguendum esse, & regimen Ecclesiæ ad Monachos suorum Ordinum devolvendum esse, cum ad Ordinem Clericorum ex officio pertineat Sacramenta Ministrare, non ad Monachos, aut Fratres Minores, inquit Guido. Nam Christus Apostolis, & in eis Episcopis & Sacerdotibus dixit, *Euntes docete omnes gentes*, &c.

Et de Joachimo generaliter, licèt quidam virum pium & sanctum fuisse narrent, Alphonsus à Castro tamen lib. adversus hæreses, hominem levem, & vanæ gloriæ cupidum vocat, quia ut se futurorum præscium ostenderet, inquit, in omnibus fermè libris suis solet miscere prognostica, quod maximæ levitatis & gloriæ cupiditatis est indicium, præsertim cùm posteà res aliter se habuerint, quàm prædixisset. Petrus Joannis verò pro Apostata & hæretico habitus fuit.

14. ET ANGELO LAODICIÆ ECCLESIÆ SCRIBE. Laodiciam inter celeberrimas eo tempore Phrygiæ majoris urbes fuisse ex Strabone diximus Apoc. 1. v. 11. Quis fuerit verò hic illius urbis Episcopus, cujus tepor & vitia hîc accusantur, est incertum. HÆC DICIT AMEN. Veritas æterna & Deus ipse. Nam *Amen*, quando est nomen, ut hic, hebraicè *veritatem* aut *fidelitatem* significat: quando verò adverbialiter, sicut plerumque solet, accipitur idem est ac, *verè*, vel, *fideliter*. TESTIS FIDELIS. Qui fideliter hominibus omnia communicat, quæ communicanda habuit à patre suo: *Ego quod vidi apud patrem meum, loquor*, Joan. 8. v. 38. ET VERUS. Imo ipsa veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. Per duas istas voces, *fidelis*, & *verus*, explicatur, quid hebraicum *Amen* significet.

Dat autem sibi Christus istos titulos, ut Episcopus ille intelligat, verissima esse, quæ mox ei dicturus est.

QUI EST PRINCIPIUM. Qui ut Deus est causa efficiens prima & exemplaris, tanquam Verbum Patris. CREATURÆ DEI. Quam Deus in Principio creavit: & insuper ut homo, est principium novæ creaturæ, quam Deus ex merito Verbi incarnati recreavit. Homo enim per gratiam Christi ad justitiam renovatus, vocatur sæpè nova creatura, ut 2. ad Cor. 5. v. 17. ad Galat. 6. v. 15, &c.

Hoc

Hoc autem Christus de se jam prædicat, ut Episcopus ille justitiæ vacuus, sciret, unde eam deberet petere: sicut enim sine Christo, inquit Richardus, nemo potest habere originem existentiæ, ita nemo potest sine ipso habere initium justitiæ, nam ab eodem est esse, & bonum esse.

15. SCIO OPERA TUA. Mala, quæ mihi displicent, unde *scire* hic sumitur, ut supra v. 1. pro simplici, non autem approbationis notitia. QUIA NEQUE FRIGIDUS ES. Quod neque frigore manifestorum criminum appareat in te extincta omnis charitas & pietas. NEQUE CALIDUS. Græcè, *neque fervidus.* Neque igne charitatis fervidus & ebulliens. Neutrum enim in illo Episcopo apparebat, nec frigus impietatis, per grandia & visibilia peccata, nec charitatis calor per fervorem, quo sursum ebulliret. Revera tamen interius frigidus erat, quia miser, miserabilis, pauper, cæcus, & nudus erat, ut v. 17. mox dicetur, ac proinde omni charitatis internæ calore destitutus. UTINAM FRIGIDUS ESSES. Vellem potius apertè malus & criminosus esses. Sæpè enim facilius convertuntur, qui in turpe aliquod & apertum flagitium cadere sinuntur. Unde illud celebre dictum Augustini lib. 14. cap. 13. Civit. *Audeo dicere, superbis esse utilè, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant; salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit.* Et Cassianus alicubi notat, & dicit: *Frequenter vidimus de frigidis & carnalibus ad spiritualem pervenisse fervorem, de tepidis & animalibus omnino non vidimus.* Unde etsi absolutè optare lapsum alterius in peccatum, sit illicitum, licèt tamen comparativè minus malum, majori malo alicui præ optare, quia sic minus malum induit rationem alicujus boni. Hinc Medicus sapiens in remedium majoris morbi, permittit infirmum in morbum leviorem cadere, ait S.Th. 2. 2. q. 162. a. 6. ad 3. Deinde permissio peccati alterius non est mala, cum Deus eam velit ad gloriam suam, aut etiam ad bonum ipsius peccatoris. Unde homo etiam illam permissionem optare potest, modo non sibi complaceat in peccato. AUT CALIDUS. Fervens igne divinæ Charitatis, quod est per se optabile, & propter quod frigus præfertur tepori, ut citius per frigoris quasi antiperistasin ad calorem salutarem perveniatur.

16. SED QUIA TEPIDUS ES. Medius inter apertè bonum, & apertè malum. Socors enim & languidus inter utrumque apparebat ille Episcopus, multa interim peccata occultè per ignorantiam, vel ignaviam, vel etiam hypocrisin committens. Unde peccata multa

sic

sic multiplicata majus malum erant, quàm unum aut alterum grandius & infame, quo ad resipiscentiam & fervorem fortè excitaretur.

Sicuti autem in aqua tepida modicus calor modico frigori permiscetur; ita tales peccatores socordes & remissi, per fidem mortuam, aliqua languida opera, quæ exterius videntur bona, permiscent vitijs suis, quæ ignorant, aut per hypocrisin tegunt; ideoque magna & insignia non apparent.

ET NEC FRIGIDUS NEC CALIDUS. *Nec caro nec piscis*, ut vulgari adagio dici solet. Explicat, quid vocet esse tepidum, qui nempè nec frigore horret, nec calore fervet, sed ex utroque extremo quasi remissè compositus, quantū ad opera ejus externa spectat. INCIPIAM TE EVOMERE. Qui enim ad vomitum sollicitantur, prius aliquam stomachi convulsionem patiuntur, quâ cibum aut potum nauseant, & per ructus evomere incipiunt aut tentant. Græcè tamen, *futurus sum te evomere*. Sed verbum græcum sæpè sumitur pro eo, quod mox futurum est, & jam quasi incipit fieri, ut patet Joan. 4. v. 47. ubi pro, *incipiebat mori*, Græcus habet, *futurus erat mori*, scilicet jam jam. Unde Erasmus vertit *agebat animam*. EX ORE MEO. Erat ergo Episcopus ille aliquo modo, per fidem saltem informem, in Christo, ex cujus stomacho & ore poterat evomi.

Alludit autem S. Joannes ad aquæ tepidæ proprietatem, quæ resolvendo stomachum provocat nauseam & vomitum, cum impensè frigida vel fervida illum juvent, & bene afficiant; frigida quidem stomachum contrahendo, ut cibum arctius & melius complectatur; fervida autem coquendo cum ipso cibum, & calorem ejus naturalem intendendo.

Peccator autem tepidus, & fide mortuâ tantum fidelis, evomitur ex ore Christi, quando per sententiam damnationis separatur in perpetuum à Christi corpore, & omni fide supernaturali exutus, in tenebras exteriores, tanquam vomitus & res execrabilis proijcitur. Crudus enim & indigestus est, nec idoneus, ut glutino dilectionis transeat in membrum Christi.

17. QUIA DICIS. In corde tuo, & coram hominibus etiam jactas, QUOD DIVES SUM. Particula, *quod*, superflua hîc est per Pleonasmum Hebræis familiarem. Divitem autem se dicit, donis naturæ, ut ingenio, eloquentiâ, alijsque acquisitis, ut scientiâ, prudentiâ, episcopali dignitate, &c. ET LOCUPLETATUS. Et donis supernaturalibus infusis affluenter locupletatus. Vel certè bis idem dicit per exaggerationem, *Dives sum & locupletatus sum*, ut sublimius rerum quantitas attolle-

attollatur, inquit Richardus. Arethas tamen, & quidam alij, has divitias ad bonorum temporalium abundantiam referunt, quasi nimiæ opes semen Verbi Dei in ipso suffocassent, & Spiritum Dei extinxissent. ET NVLLIVS EGEO. Quod necessarium mihi sit ad vitam hîc beatam. Talibus enim bonis, in quibus perfecta salus minimè consistit apud se extollebatur, ait Richardus, & coram hominibus gloriabatur. ET NESCIS. Typho superbiæ & complacenti tui excæcatus. QVIA TV ES MISER In te ipso, ET MISERABILIS. Alijs qui tuam miseriam oculis spiritualibus vident, quam tu ignoras. Viri enim spirituales, qui in luce divinæ veritatis, non in fumo vanitatis omnia aspiciunt, talium præsulum in divitijs, & honoribus suis, aut naturæ vel gratiæ donis sibi complacentium & superbientium miseriam facile vident, Deumque, ut aperiant ipsis oculos, orant.

Ambrosius, Beda, Haymo, existimant hunc Episcopum fuisse in errore hæreticorum, qui credunt, solam fidem, sine charitate & operibus, ad salutem sufficere.

ET PAVPER. Verarum divitiarum inops; qui eum charitate & Dei amicitiâ caret etiamsi cætera omnia possideat, pauperrimus est. ET CÆCVS. Cæcitate spirituali, quâ res divinas & quid tibi ad veram felicitatem expediat, non vides, nec intelligis. Itaque oculos non stibio fallacis jactantiæ, sed divinæ scientiæ collyrio perunge inquit Beda. ET NVDVS. Justitiæ, & bonorum operum vestimento exutus.

Breviter ergo iste Episcopus miser erat & miserabilis apparebat, quia virtute charitatis, cognitione veritatis amictu boni operis amissis, pauper, cæcus, & nudus remanserat, inquit Richardus.

18. SVADEO TIBI. Suadere se dicit, quod tamen Deus præcipit, ut doceat, quomodo Prælati & superiores molli suasione & bonitate potiùs, quàm aspera jussione debeant subditos suos ad observantiam mandatorum Dei inflectere. EMERE A ME. Nempè pretio orationis, eleëmosynæ, pœnitentiæ, & mortificationis: hoc enim est emere absque argento, & absque ulla commutatione, ut loquitur Isaias, cap. 55. v. 1. Dicit *à me*, quia in Christo sunt omnes spirituales divitiæ, & thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, ad Coloss. 2. v. 3. AVRVM IGNITVM PROBATVM. Græcè, *aurum ignitum ex igne*. Charitatem, quæ est instar auri probati, & purificati igne, quando ex fornace extrahitur: sicut enim tale aurum præstantissimum & ditissimum omnium metallorum est, ita charitas inter omnes virtutes tenet principatum. UT LOCVPLES FIAS. Veræ enim divitiæ spirituales

tuales consistunt in auro illo purissimo charitatis Dei & proximi: qua si careas, licet cætera omnia adsint, pauper manes.

Quia dixerat anteà, eum esse pauperem, etsi id nesciret, jam docet modum, quâ ratione verè dives fieri possit. Emitur autem à peccatore prima charitas sanctificans & ditans, non merito de condigno, sed merito quodam de congruo, per dispositiones orationis & bonorum operum præcedentes, quæ tamen & ipsæ sunt dona Dei. Quidam tamen dicunt, charitatem emi per meritum de condigno, sed non nostrum, verum Christi, qui nobis eam pretio Sanguinis sui ex justitia promeritus est, juxta illud, Empti enim estis pretio magno 1. ad Cor. 6. v. ult.

Et vestimentis albis induaris. Bonis operibus, quæ sunt, vestimenta alba & candida Sanctorum. *Induite vos, sicuti electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam,* &c. ad Colosf. 3. v. 12. Candor autem iste provenit à fulgore auri charitatis, quæ nisi in opera bona subintret & ex ipsa fiant, non candent, neque grata sunt oculis Dei, sed tenebrosa omnia & plena nigredine peccatorum, ut lib. 4. cap. 3. cont. Jul. S. August. loquitur, unde sapiens monet, *omni tempore sint vestimenta tua candida.* Eccles. 9. vers. 8.

Multi etiam interpretes putant alludi ad vestimenta alba candidatorum qui imbibant Magistratus apud Romanos: quasi Sancti per candidam ex auro & filis aliarum virtutum contextam vestem, sint in hoc mundo candidati regni cælorum.

Et non appareat, in oculis Dei & Sanctorum. Confusio nuditatis tuæ. Turpitudo nuditatis, qua vestimento candido charitatis & justitiæ exutus es. In spiritualis enim vitæ conversatione non est illa varietas vestium ut una sit nigra, alia viridis, &c. sed vestis bonorum, & charitate lucentium operum candida est unica vestis, cæteræ non vestiunt animam, nec fovent, ideoque nuditas potiùs, quàm vestimenta sunt. Quia igitùr anteà dixerat, eum esse nudum docet jam, quibus vestimentis indui debeat, ut nuditas ejus tegatur. Et collyrio inunge oculos tuos. Dixerat etiam eum cæcum esse, nunc remedium cæcitatis præscribit collyrium, quod est medicamentum humores oculorum educens, & lippitudines siccans, caligines & albugines discutiens, cujus varios componendi modos docet Galenus, lib. 4. de compositione medicamentorum.

Collyrium hoc spirituale est *Præceptum Domini illuminans oculos*, Psal. 18. sive Sacra Scriptura, cujus lectione & scrutatione, velut inunctione quadam

quadam, ut Beda, Richardus, alijque interpretantur, oculus animæ, sive intellectus confricatur, & cognitione sui illuminatur, cum fluxu humorum & lacrymarum, quibus pænitentia peragitur, & perfecta peccatoris sanitas recuperatur. Amaritudo enim pœnitentiæ, ait Richardus, per compunctionem clarificat sensus cordis, sicut collyrium, per effusionem lacrymarum, oculos carnis. Collyrium enim amaritudine & acrimoniâ quâdam carnem mordet, sicut pœnitentia animam compungit.

Alij per collyrium intelligunt tribulationes, quas Deus peccatoribus, & cæcitate laborantibus immittit, quæ si patienter tolerentur, & ijs, tanquam collyrio, oculi cordis inungantur divina gratia eos sanat, ut & miseriam sui status videre, & ad Deum respicere valeant. Quæ interpretatio cum versu sequenti satis aptè cohæret.

UT VIDEAS. Non dicit, ut potentiam videndi recipias, sed ut eam anteà impeditam in actum videndi exeras. Non erat ergo propria & perfecta cæcitas, nec collyria talem cæcitatem, quâ facultas ipsa videndi amissa est, sanare possunt, sed tantum caligines & humores discutere, qui officium videndi impediebant quibus proinde collyriis aptissimè comparatur, declaratio Sermonum Dei, intellectum dans parvulis, Psal. 118. quæ potentiam intelligendi non reddit, quæ amitti non potest, sed superbiæ fuligines, fumosque tantum dissipat, & terrenarum rerum, quæ intellectum offuscant, exundantes amorum humores detergit.

19. EGO QUOS AMO. Electos meos, quibus æterna bona volo. Amare enim aliquem, est bonum ei velle, ut Aristoteles definit. ARGUO. Occultè per internas reprehensiones, vel palam per Pastores meos & prædicatores.

Ne Episcopus ille desperaret, & gravem illam reprehensionem, quâ eum miserum & miserabilem, &c. & evomiturum ex ore suo dixerat, putaret esse certum signum reprobationis, eum jam consolatur & erigit.

ET CASTIGO. Doloribus & verberibus, quando verba non prosunt. Verbum Græcum propriè significat castigationem, quâ pueri à Parentibus, aut Pædagogis, non ex odio, sed ex amore, ad disciplinam & formandos mores castigantur. Nec semper propter peccata præterita, electos, quos amat, castigat Deus, sed aliquando propter virtutum custodiam, sicut Paulum per Angelum satanæ colaphisabat: vel ad exercitium, & incrementum virtutum ut Jobum & Tobiam, inquit Haymo; reprobos verò, ait, tanquam vitulos occisioni de-

ſtinatos, liberius in paſcuis ſaginari permittit. Aliquando tamen etiam duplici contritione, & hujus, & futuræ vitæ malis eos conterit, ut appareat eſſe providentiam in cælis, quæ peccatores impunitos eſſe non ſinit.

ÆMVLARE ERGO. Græce, *zelare*. Zelum & emulationem adverſus languorem & vitia tua arripere: iraſcere tibi ipſi, & torporem excute. ET PÆNITENTIAM AGE. Peccata enim jam ſua, miſeriam & paupertatem Chriſtus ei detexerat, quæ anteà ignorabat, cum diceret ſe divitem eſſe, & nullius indigere.

20. ECCE STO AD OSTIVM. Cordis tui, unde me per peccatum excluſiſti. ET PVLSO. Per illuminationem & gratiam prævenientem, qua peccatores ad pœnitentiam excito: ut proinde ſpem bonam pœnitentiæ & reditus ad juſtitiam concipere poſſis; Deus enim eſt, qui debet dare pænitentiam, 2. ad Tim. 2. v. 25. SI QVIS AVDIERIT VOCEM MEAM. Pulſantis & vocantis per internas illuminationes, vel externas miniſtrorum meorum admonitiones. Pulſando enim loquitur Chriſtus, quando fortius inſtat, ut ei aperiatur: unde ſponſa, *Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea*, &c. Cant. 5. v. 2. Notanda particula, *ſi quis*, ait Richardus, quia pauci ſunt, qui obedienter vocem pulſantis audiunt, & oſtium cordis ſui aperiunt. ET APERVERIT MIHI IANVAM. Cordis ſui per obedientiam voluntatis, quâ conſentiat vocationi & illuminationi intellectus: atque ita peſſulum oſtij, & impedimenta removeat, quæ dilecti ingreſſum morabantur. Unde iterùm Sponſa, *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo*, &c. Cant. 5. v. 6. INTRABO AD ILLVM. Per gratiæ ſanctificantis infuſionem, quâ Chriſtus, & Pater, & Spiritus S. animam Iuſti intrant & inhabitant: *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, Ioan. 14. v. 23. ET COENABO CVM ILLO. Non tantùm ero immemor injuriæ, quâ ex habitaculo cordis ſui per peccatum me ejecerat; ſed etiam delectabor in ejus præſentia, & bonis ipſius, tanquam jucundiſſimâ cœnâ, ac epulo gaudebo. ET IPSE MECVM. Per pacem cordis, per ſpiritualia gaudia, cogitationes, & refectiones ſanctas, quæ juſtificationem peccatoris, & operationes novæ creaturæ comitari ſolent: nam *ſecura mens, quaſi iuge convivium*, Prov. 15. v. 15. *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis Iuſtorum*, Pſalm. 117. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo*, Pſalm. 118.

Richardus tamen cœnam iſtam cum Chriſto, non in terris, ſed in cælo, perfici intelligit, juxta illud, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, Apoc. 19. v. 9. In hac enim vita Iuſti per fidem, ſpem, charita-

charitatem, quasi levi prandio se reficiunt, post vitæ autem vesperam, cœnam plenam per beatitudinem in cælo celebrant. Solent enim Antiqui in meridie singuli & seorsim leviter prandere, refectionem verò plenam cum alijs in cœnam differre: nam, cœna, græco idiomate, commune, & cum multis simul accumbentibus, epulum significat.

21, QVI VICERIT. Tres illos juratos hostes, carnem, mundum, & diabolum, qui perpetuò exercent electos. DABO EI SEDERE MECVM, tanquam regni mei consortem. IN THRONO MEO. In cælesti meo solio, Cælum enim sedes mea, Isa. 66. v. 1. *Nos consedere fecit in cælestibus in Christo* IESV, ad Ephes. 2. v. 6.

Thronus auctoritatem, & potestatem Christi regiam significat, cujus participes erunt omnes electi in cælis. Unde non promittit hîc æqualitatem consessûs, sed similitudinem. Nam licet omnes victores mundi sint futuri Reges in cælo; Christus tamen Rex est, in cujus femore scriptum est, *Rex regum, & Dominus dominantium*, Apoc. 19. v. 16.

Multi hæc referunt ad concessum judicialem super sedes duodecim, ad judicandum duodecim tribus Israël, Matth. 19. v. 28. Sed Christus hîc non loquitur de concessu in nubibus ad judicandum, sed de concessu, quali jam Christus sedet ad dexteram Patris in cælo, ut mox patebit. Deinde, sedere ad judicandum duodecim tribus Israël, non est omnium electorum & vincentium mundum, sed quorumdam peculiarium, qui reliquerunt omnia, ut Apostoli, & secuti sunt Christum.

Græcè verbotenus, *Vincens dabo ei sedere mecum*, &c. quæ locutio tam secundum latinam, quàm græcam phrasin, solecismus est; sed de solecismis minima est Ecclesiæ cura, inquit Arethas.

SICVT ET EGO VICI. Externos hostes, diabolum & mundum: nam internum hostem, fomitem carnis non habuit Christus. ET SEDI CVM PATRE MEO. Et quidem à dextris ejus, ne propter humanæ carnis indumentum videretur ei esse inæqualis. IN THRONO EIVS. Idem enim est Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Thronus. Sedent ergo Electi in throno SS. Trinitatis, si in Christi throno sedeant, sed tamen infra Christum, tanquam membra corporis, cujus ipse est caput.

22. QVI HABET AVREM, &c. Jubet audire, quæ jam dixit de victoria, & victoriæ prẹmio, ut Episcopum istum spe animet, & torporem ei excutiat: atque ita septem epistolarum ad septem Episcopos dictationem absolvit; quorum duo, Smyrnæ & Philadelphiæ, sine ulla

reprehensione laudantur; duo alij, Sardis & Laodiciæ, sine ulla laude reprehenduntur: tres reliqui, Ephesi, Pergami, & Thyatiræ, laudem suam reprehensioni permixtam habent.

CAPUT IV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post descriptam primam visionem cap. 1. & dictatas duobus sequentibus capitibus Epistolas septem, quibus Episcopi Asiæ, & in ipsis tota Ecclesia informatur, secundam visionem principalem jam incipit describere. Videt ostium apertum in cælo, Deum sedentem, & refulgentem in throno, seniores 24. circa ipsum, de throno procedentes voces, fulgura & tonitrua. Videt etiam quatuor animalia plena oculis, quæ describit, & simul laudes quas dabant sedenti super thronum.

AD hoc cap. usque ad finem Apocalypsis, omnia longè obscuriora sunt, quàm in tribus primis capitibus. Imò hic liber est mirabiliter, & super omnes Prophetarum libros difficilis, inquit Carthusianus. Unde nemo eum perfectè intelligit, quia literalis sensus non per voces, sed per res, figuras, & similitudines exprimitur. Unde Interpretes longissimè à se invicem discedunt, & omnes interpretationes, ait idem Carthus. infra certitudinem sunt.

V. 1. POST HÆC. Post primam visionem tribus primis capitibus descriptam. VIDI. Visione imaginariâ, quâ corporales quædam species imaginationi objectæ sunt, sub quibus mysteria futurorum temporum Ecclesiæ militantis latebant, quæ S. Ioannes intelligebat, nobis autem abscondita sunt, nisi quantum per conjecturas, & SS. Patrum expositiones possumus attingere. ET ECCE OSTIUM APERTUM. Apparuit mihi esse apertum. IN CÆLO. Ut possem introspicere aliqua abscondita, quæ in cælo latent, quando ostium clausum est. Similis ferè fuit visio Ezechiëlis, *Aperti sunt cæli & vidi visiones Dei*, Ezech. 1. v. 1.

ET VOX PRIMA, QUAM AUDIVI. Et ecce vox illa, quam primò audiveram, Apoc. 1. v. 10. visa est insonare auribus meis, TANQUAM

TUBÆ

TVBÆ LOQVENTIS MECVM. Magna & clara instar clangoris tubæ, sono tamen articulato me alloquens. Non enim ore tubæ, sed Angeli, clamor ille edebatur. Ideò autem Angelus sic vociferatur, ut de rebus magnis & admirandis loqui se velle significet, & auditorem magis attentum faciat. DICENS, ASCENDE HVC. In cælum, non gressu corporali, sed motu & aspectu spirituali: quò etiam indicatur, valde abdita esse, & in cælo tantùm cognita mysteria, quæ vult ei pandere. ET OSTENDAM TIBI. Sub imagine rerum corporearum, quarum significationes intellectu percipies. QVÆ OPORTET. Quia prædestinata sunt à Deo, vel præcognita per scientiam visionis immutabilem. FIERI. In Ecclesia militante. POST HÆC. Futuris temporibus, usque ad adventum Anti-christi, & finem mundi.

Multi olim textus latini particulam, *cito*, huc transtulerunt ex simili loco Apoc. 1. v. 1. sed non benè; & ideò Romani correctores eam expunxerunt.

Quia autem illa, quæ hic S. Joanni in cælo ostenduntur, ad Ecclesiam militantem pertinent, & in ipsa gerenda sunt; plerique sub nomine, *cæli*, Ecclesiam militantem mysticè intelligunt, quæ licèt adhuc versetur corpore in terris, spiritu tamen per fidem, spem & charitatem, à rebus terrenis in altum erecta, conversationem habet in cælis, ad Philip. 3. v. 20.

2. ET STATIM FVI IN SPIRITV. Per extasin supra sensus, & animam sensitivam in apicem spiritus sublevatus, ut non tantùm corporeo phantasmate, sed etiam intellectu imagines cernerem, & simul ad intelligentiam mysteriorum, quæ velabantur, penetrarem. ET ECCE SEDES POSITA ERAT IN CÆLO. Subitò oculis spiritûs mei apparuit in cælo sedes, & solium regium. ET SVPER SEDEM SEDENS. Nec sedes ista vacua erat, sed super eam regia quædam majestas sedebat, quàm multi Christum intelligunt; sed verius, quod Carthus. & alij, fuisse imaginem Dei Patris, aut Dei in essentia unius & in personis trini. Nam posteà Apocal. 5. v. 7. *Agnus occisus*, id est, Christus, accipit librum de dextera sedentis in throno. Unde apertè colligitur, eum qui sedet, alium esse ab Agno.

3. ET QVI SEDEBAT. Deus unus & trinus, *qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ*, Isa. 40. v. 22. Quia enim per suæ Divinitatis majestatem & potentiam supra omnes creaturas eminet, dicitur in cælo sedere, & terræ gyrum infra se despicere, & homines quasi locustas, vel, ut alij vertunt, quasi cicadas, & minutissima animalcula super terram salientia, contemplari, & superbiam eorum irridere.

irridere. SIMILIS ERAT ASPECTVI LAPIDIS IASPIDIS. Colori & speciei, qua aspicitur lapis pretiosus sive gemma Iaspis. Viret autem, & sæpè transl.icet jaspis. Alibi tamen glauci aut aërij coloris reperitur, ut narrat Plinius lib. 37. cap. 8. ET SARDINIS. Sardium, aut sardinum, lapidem rubro & ardenti colore insignem, nec aliam gemmam apud Antiquos usu frequentiorem, ait Plinius lib. 37. cap. 7. Nomen habet, quia Sardibus civitate Lydiæ primùm reperta.

Cùm autem duæ istæ gemmæ sint tam diversi coloris, media pars Dei sedentis in throno videtur similitudinem unius, altera alterius habuisse, sicut Ezech. 1. v. 27. & Ezech. 8. v. 2. pars inferior à lumbis deorsum apparuit ignea, superior coloris electri. Hic igitur etiam pars superior à capite usque ad lumbos colore jaspidis virent.s, inferior à lumbis usque ad pedes Sardij ardentis & fulgore videtur tincta fuisse. Græca autem phrasis clarior, *Similis erat aspectu lapidi iaspidi & sardino.*

Quid autem in Dei imagine diversitas ista colorum signi.fi.et, hoc opus, hic labor est intelligere. Nihil probabilius videtur, quàm quod dicit Richardus, colorem virentis jaspidis in parte superiori, amœnissimam, & semper virentem beatam æternitatem electis promissam, & dandam in cælo: ardorem verò Sardij in parte inferiori, ignem æternum reproborum significare. Sic enim fermè Apoc. 1. v. 15. pedes Christi, quibus inimicos suos calcat, dicuntur similes aurichalco in camino ardenti. Itaque Dei Majestas supernè amabilissima est propter benignitatem, quâ arridet electis; infernè terribilissima, propter indignationem, quâ irrascitur reprobis.

Beda & Tichonius duplici illo colore, duo generalia Dei Iudicia, unum per aquam, alterum per ignem, significari putant: color enim jaspidis ferè glaucus & aqueus est, Sardij igneus.

Ambrosiaster, & alij, qui non Deum trinum, sed solum Christum sedere faciunt in illo throno, per colorem subviridem & cælestem Iaspidis, Divinitatem Christi, per ruborem Sardij Humanitatem Sanguine suo rubricatam volunt designari.

ET IRIS ERAT IN CIRCVITV SEDIS. Et arcus cælestis varius, & multicolor magno gyro circuibat sedem divinæ Majestatis. SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ. Aspectui seu colori Smaragdi. Nomen enim græcum, quod paulò antè vertit, *aspectui*, jam vertit, *visioni*, per metonymiam scilicet exprimendo objectum nomine actus, qui circa ipsum versatur.

Arcus autem iste nihil probabilius videtur significare, quàm Dei misericordiam & benignitatem, qua *attingit à fine usque ad finem fortiter, & dispo-*

& disponit omnia suaviter, Sap. 8. v. 1. in cælum summâ arcus curvaturâ quasi assurgens & imis cornibus terram tangens. Deinde iris est signum pacis & benevolentiæ inter Deum & homines: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram*, Gen. 9. v. 13. Ideò etiam iris ista dicitur fuisse similis visioni Smaragdinæ, id est, extraordinario & jucundissimo virore admirabilis, qualis est viror gemmæ Smaragdi, quo nullam visu esse jucundiorem, & implere, non satiare visum, lib. 37. c. 5. scribit Plinius: ita enim viret, ut aërem circa se virore inficiat. Unde nullâ fermè similitudine misericordia Dei hominibus amœnissima, & jucundissima aptius repræsentari potest.

Quia verò solius viroris Smaragdini S. Joannes meminit; Alcazar iridem illam unicolorem, & totam viridem fuisse existimat. Sed verius est, multicolorem fuisse, qualis esse solet, quæ tempore pluvio, ut Poëta canit,

Mille trahit varios adverso sole colores.

Hæc enim colorum varietas aptior est, ad depingendam multiplicium beneficiorum varietatem, quæ Deus in Orbem, & quasi in circuitu sedis suæ, per omnes creaturas dispergit.

Et sicut color viridis in iride inter puniceum in summo & purpureum in imo arcu medius est, & utrumque attingit; ita misericordia & benignitas Dei, tam in cœlo, quàm in terra, tam in magnis & illustribus, quàm in infimis & obscuris ejus operibus maximoperè elucet. Et hæc forte est ratio, quare tantum Smaragdini viroris in ista iride, non aliorum colorum S. Joannes meminerit. Quia cum in vulgaribus, quæ à sole depinguntur iridibus, color puniceus sit omnium maximè conspicuus; in hac tamen, quam circa thronum Dei vidit, viror quidam extraordinarius, admirabilis & jucundissimus præcipuè eminebat, quia *suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius*, Psal. 144.

4. ET IN CIRCVITV SEDIS. Extra tamen gyrum iridis, quæ propinquis istam Dei sedem ambiebat. SEDILIA VIGINTI QVATVOR. Per quæ significatur sublimitas meritorum in quibus tanquam sedilibus, sancti illi seniores conquiescunt. ET SVPER THRONOS. Non aliud sunt throni & sedilia, sed vocem græcam τ' ϑρόνȣς, nunc retinet interpres, nunc, *sedilia*, vel *sedes* vertit. VIGINTI QVATVOR SENIORES SEDENTES. Duodecim ex Veteri, & totidem ex novo Testam. eminentiores Sancti; meritis cani, & multa prole spirituali fœcundi. Fuerunt ergo instar XII. Patriarcharum veteris, & XII. Apostolorum novi Testamenti.

Plures tamen sunt, quam duodecim ex utroque Testamento qui

circa thronum Dei in cælo ſedent, ſicuti plures erunt, quam duodecim Apoſtoli ſedentes in nubibus ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël, Matth. 19. v. 28. Sed numerus duodenarius eſt numerus univerſitatis omnium, qui à quatuor mundi partibus per fidem SS. Trinitatis ad cælum vocantur, & circa thronum Dei ſedent, ut S. Auguſtinus interpretatur. Si enim quatuor in tria ducantur, exurgent duodecim. Omnes igitur Seniores, & illuſtriores SS. Patres, qui ab Ortu, Occaſu, Septentrione, Meridie, in Fide Trinitatis per dilectionem operante, & plurimos Chriſto filios generante, circa thronum Dei ſedebunt, ad numerum iſtorum duodecim ex veteri, & duodecim ex novo Teſtam. pertinent. Quidam exiſtimant, alludi ad viginti quatuor vices, ſeu familias ſacerdotum, quas inſtituit David, 1. Paralip. 24. ut ordine & vice ſuâ in templo miniſtrarent. Sed cùm iſtæ Sacerdotum vices ſub Summo Pontifice miniſtrarent, minorum potiùs Sanctorum imaginem repræſentabant, quam ſummorum illorum Sanctorum & Seniorum, qui circa thronum Dei proximè ſedent, ut advertit Carthuſianus.

In Concilio Baſileenſi ſeſſione 23. ſtatutum eſt, ut ad horum viginti quatuor Seniorum imitationem, Cardinales, qui Summi Pontificis ſedem circumſiſtant in terris, ſicut illi Seniores ſedem Dei in cælis, non niſi viginti quatuor in univerſum eligerentur, ne ſuperfluâ numeroſitate, ut Concilium loquitur, ordo ille vileſceret: & tantùm viri ſenili prudentiâ, doctrinâ, pietate graves aſſumerentur, ſuper quos, tanquam cardines, oſtia univerſalis Eccleſiæ verterentur.

Sed id non ſervatur, & tot hodie Cardinales eliguntur, quot placet Summo Pontifici, & Eccleſiæ negotia videntur requirere. Negant tamen plerique, decens eſſe, ut numerum LXXII. Chriſti diſcipulorum excedant.

Circumamicti vestimentis albis. Confectis ex bonorum operum textura, quæ amiciunt animam, ſicut veſtimentum corpus. Candida autem ſunt, quia ſuffunditur ipſis lux ex igne charitatis, ſine qua illa bonorum operum textura candeſcere, & Deo placere non poteſt, ut Apoc. 3. v. 18. diximus. Et in capitibus eorum. Tanquam regnantium cum Deo & Chriſto, ac ſimul tanquam victorum in hujus mortalis vitæ luctis & certaminibus. Solent enim victores coronari in Athletarum certaminibus, in capitibus autem adeſt, in mente & apice ſpiritus coronantur iſti Seniores, quia mente videtur & amatur Deus; ſæpè enim capitis nomine mens ſolet intelligi, inquit Beda. Coronæ aureæ. Non laureæ, myrtheæ, oleagineæ, &c. ut olim

olim in Græcorum certaminibus, sed ex nobilissimo auri metallo, propter excellentiam præmij cælestis, quale nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Aureæ etiam sunt ardore charitatis, & fulgore divinæ contemplationis, inquit Richardus. Hæc est illa corona justitiæ, quam certamini & cursui suo repositam, & aliquando à Domino reddendam, gloriatur, Paulus 2. ad Tim. 4. v. 8.

5. ET DE THRONO. Dei: PROCEDEBANT FVLGVRA ET VOCES. Articulatæ. ET TONITRVA. Permixta vocibus; aut certè, tonitrua ista non erant aliud, quàm voces articulatæ magnæ & tonantes: ita ut particula, *&*, sumatur exegeticè, sive explicativè, pro, *id est*; nam infra Apocal. 10. v. 3. dicuntur septem tonitrua locuta voces suas, tanquam scilicet tònitrua articulata.

Fulgura autem & tonitrua exiliunt è throno ad Majestatem sedentis, & terrorem incutiendum spectantibus: unde Dominus ad Jobum, *Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas*, Iob 40. v. 4. & ut ostenderet præsentiam suam in vertice montis Sinai, ubi legem Moysi daturus erat, operuit montem nube, ex qua emicabant fulgura & tonitrua, Exod. 19. v. 16.

Sed quia pleraque omnia, quæ hîc videt S. Soannes, aliquid in Ecclesia militante gestum aut gerendum significabant: Beda, Haymo, Richar. Carth. per *fulgura* putant significari miracula Sanctorum, quæ illuminant & terrent mentes hominum; per *voces*, simplicem prædicationem, quâ homines promissis ad fidem alliciuntur: per *tonitrua*, terrores, quibus compelluntur. Sancti enim novi Testamenti miraculis coruscant, vocibus prædicant, nimis terribiliter tonant, ait Richardus.

Omnia enim ista, non ex sedilibus 24 Seniorum, sed ex throno Dei videntur procedere, ut advertit Rupertus, quia virtutem patrandi fulgura miraculorum, vel vocibus aut terroribus tangendi, & convertendi corda hominum, Sancti non à se, sed ex virtute sedentis in throno habent.

ET SEPTEM LAMPADES ARDENTES. Quid autem istæ significent, mox dicet. ANTE THRONVM. Dei quasi pendentes. QVI SVNT SEPTEM SPIRITVS DEI. Angeli septem ex ordine Principatuum, quorum Princeps est Michaël, ut Apoc. 1. v. 4. pluribus explicavimus. Hi autem tanquam septem satellites stant in conspectu throni Dei, ut ad nutum sedentis evolent, & divinæ Providentiæ jussa per totam Ecclesiam militantem, per se, vel per suos inferiores exequantur. Lam-

 padibus

padibus autem ardentibus comparantur, quia luce intelligentiæ mentes hominum illuminant, & charitatis ardore inflammant.

Beda tamen, Richardus, & veterum plurimi, per 7. istas lampades, 7. Spiritus S. dona intelligunt, quæ in oleo divinæ charitatis ardent. Charitas enim est radix 7. donorum Spiritus S. ut docet S. Th. 1.2. quæst. 63. art. 4. unde sunt veluti 7. quædam flammæ, quæ oleo charitatis & accenduntur, & nutriuntur. Licet autem unicus sit Spiritus S. numerum tamen accipit à suis donis, sub quibus latet, ideoque *septiformis munere* appellatur. Ab istis autem septem lampadibus omnes justi accenduntur, quia charitas nunquam à septem donis Spiritus S. separatur.

6. Et in conspectv sedis. Coram throno, vel ante thronum, ut versu præced. eandem vocem græcam vertit. Tanqvam mare vitrevm. Multi Codices græci particulam, *tanquam*, omittunt.

Videtur alludere ad mare æneum, sive vas ingens ex ære fusili plenum aquâ, collocatum in templo Salomonis, 3. Reg. 7. v. 23. in quo lavabantur Sacerdotes, cùm ad sacrificandum accederent, 2. Paral. 4. v. 6. Istud tamen erat ex ære, hoc autem, quod vidit S. Ioannes in cælo, erat ex vitro pellucido.

Simile crystallo. Vitrum istius vasis purissimum nitidissimumque, nec fragile, sicut vitra esse solent, sed solidissimum durissimumque erat instar crystali.

Tichonius, Beda, Haymo, Richardus, mari isto vitreo Baptismum significari credunt; vel potiùs utrumque simul Sacramentum Ecclesiæ, ad ablutionem peccatorum principaliter destinatum, & in Ecclesia publicè expositum, nempè Baptismum & Pœnitentiam, quibus Christiani spiritualiter quotidie abluuntur, ut olim Sacerdotes Levitici corporaliter in mari æneo templi Salomonis.

Vitreum est, quia ista Sacramenta luce Euangelicâ jam pellucent, dum virtus eorum, & ea, quæ continent, clarissimè in Lege nova docentur & transparent. Ænea verò & opaca materia ænei maris templi Salomonis, significat obscuritatem, quâ mysteria novæ Legis sub antiquæ tenebroso cortice occultabantur.

Vitrum illud est soliditate & duritie simile crystallo, quia utrumque Sacramentum usque ad finem mundi in Ecclesia durabit, nec ullis Ecclesiæ concussionibus confringetur.

Multi recentiores vitrum istud & crystallum, non ad vas aliquod vitreum & crystallinum, sed ad aquarum maris pelluciditatem referunt, & vel multitudinem Angelorum, vel Sanctorum hominum, instar vitri

vitri cryſtallini ſplendentium, ſignificari volunt. Alij ad aquas, quæ ſuper cælos ſunt, vel ad cælum aliquod cryſtallinum, vel denique ad cælum empyreum referri malunt.

Sed cùm mare iſtud vitreum dicatur fuiſſe coram throno Dei, non circumquaque quaſi in immenſum diffuſum, ſicut aquæ ſupercœleſtes, vel ampliſſima alicujus cæli machina; videtur potiùs vas aliquod ſignificare, quale erat illud mare æneum templi Salomonis. Veluti etiam ſeptem lampades verſu præced. imaginem habent ſeptem lampadum, quæ erant in unoquoque candelabro templi Salomonis, quæ dicuntur ſimiliter, ut mare vitreum, fuiſſe ante thronum Dei. Sicuti etiam multi interpretantur 24. Seniores habuiſſe ſimilitudinem cum 24. Principibus familiarum, quæ miniſtrabant in templo. Ut proinde S. Ioannes in cælo, ſive in Eccleſia, viderit omnia iſta ad ſimilitudinem eorum, quæ viſebantur in templo Salomonis, quod erat Eccleſiæ imago.

Unde etiam per ſe jam apparet minus probabile eſſe, quod Ribera & alij, mare vitreum interpretantur Angelorum aut Sanctorum ſplendentium multitudinem. Et licet aquæ in Scriptura multitudinem populi myſticè interdum ſignificent; non tamen ita mare. Deinde mare indicatur ex vitro ſimili cryſtallo concretum fuiſſe; quod potiùs in vas continens aquam fluidam, quàm in ipſam aquam marinam videtur quadrare: non ſolent enim aquæ marinæ ullo gelu, inſtar vitri vel cryſtalli ſic concreſcere.

Et in medio sedis. Ante thronum Dei, & ante oculos ipſius ſedentis: hic enim locus dicitur medius reſpectu laterum; & ſic capi ſolet medium, quando Iudex pro tribunali ſedens, jubet aliquem prodire in medium. Et in circuitu sedis. Et circumcirca ſedem, tam à lateribus, quàm à parte poſteriori. Quatuor animalia. Quæ ſic videntur fuiſſe diſpoſita, ut primum animal directè eſſet in medio ante ſedem Dei, deinde duo utrimque ad latera ſedis, quartum poſt ſedem directè primo animali oppoſitum, ita ut figurâ quadranguli ſibi correſponderent, proximè circa ſedem, & intra circulum majorem, quo viginti quatuor Seniores ſedem illam Dei longiùs ambiebant. Plena oculis ante et retro. Quæ non tantùm geminos oculos habebant in facie, ut cætera animalia ſolent, ſed univerſa corporis ſuperficies anterior & poſterior plena erat oculis, ut ante & retrò, ac undique omnia proſpicere poſſent, ſicut ferè Poëtæ olim finxerunt Argum quemdam centum habuiſſe oculos, varijs corporis partibus infixos.

7. ET ANIMAL PRIMVM. Ordine sitûs videtur dici primum, quia erat in medio ante sedem Dei, ut versu præced. dixit, unde & primò in oculos S. Ioannis spectatoris incurrebat. SIMILE LEONI. Non enim erat reverà Leo, sed species & imago Leonis objecta menti Prophetæ ad aliquid aliud ei significandum.

Discrepat autem hæc visio à visione Ezechiëlis, qui similiter quatuor vidit animalia circa currum Dei triumphalem: nam apud Ezechielem primum animal habet faciem hominis, & secundum faciem leonis, Ezech. 1. v. 10.

Sicuti autem animalia Ezechielis erant Cherubini, ad similitudinem Cherubinorum Tabernaculi Moysis, & tanquam juvenes alati, habentes supernè singuli quatuor quidem facies, Ezech. 1. v. 6. infernè tamen erant humanâ specie, præter pedes vituli: ita multi recentiores contendunt, unumquodque quatuor animalium S. Joannis tantum habuisse faciem leonis, aut vituli, aut hominis, &c. intra verò non bruti alicujus, sed hominis speciem habuisse.

Sed verius est, quod textus hic, & SS. Patres magis indicant, & picturæ veteres leonem, vitulum, & aquilam, non tantum capite & facie, sed toto corpore habuisse speciem istorum animalium. Nec enim absolutè dicitur, aliquod animal simile leoni, si caput solum fuit leoninum, cætera autem membra humanæ formæ.

ET SECVNDVM ANIMAL. Positum fortasse ad dexteram sedentis in throno. SIMILE VITVLO. Toto corpore simile bovi, sicut Ezech. 1. v. 10. quoddam etiam animal appellatur simile bovi. Non enim vitulus hîc accipitur pro vitulo recenter nato, sed pro grandiusculo, quales sunt qui armenta sequuntur, & olim offerri solent in sacrificijs. *Tolle de armento vitulum* &c. Levit. 9. v. 2. Undè S. Dionysius Areopag. huic vitulo Apocalyptico tribuit etiam cornua. ET TERTIVM ANIMAL. Positum fortè ad sinistram throni partem. HABENS FACIEM QVASI HOMINIS. Meminit peculiariter faciei humanæ, quia ex facie maximè dignoscitur, an aliquod animal sit homo. Interim tamen cætera membra deorsum erant etiam humana, & respondentia faciei. ET QVARTVM ANIMAL. Fortasse post sedem Dei sedentis positum: erat enim ultimum animalium quæ erant in circuitu sedis. SIMILE AQVILÆ VOLANTI. Aquilæ, quæ in aëre elevata est, & expansis alis se liberat, etiamsi inde non avolet. Undè licèt fortasse post sedem sedentis collocatum esset, poterat tamen videri à S. Joanne quia non terram tangebat, sicut tria priora animalia, sed in aëre pendulum eminebat.

8. ET

8. Et qvatvor animalia. Græcè, *Et quatuor animalia unum secundum seipsum.* Et hæc quatuor animalia ita constituta erant unumquodque per se, & seorsim ab alijs. Singvla eorvm habebant alas senas. Non erant ergo secundum alas omnino similia Cherubinis Ezechielis, qui tantum quatuor pennas sive alas habebant Ezech. 1. v. 6. sed similia erant duobus Seraphinis Isaiæ, in quibus sex alæ uni, & sex alæ alteri, Isa. 6. v. 2. Unde etiam verisimile est, alas eodem modo in corpore istorum animalium dispositas fuisse, ut duabus alis velarent faciem suam, duabus velarent corpus suum usque ad pedes, & duabus volarent, id est, quæ in humeris eorum expansæ essent, tanquam paratæ ad volandum, Isa. ibid. Et in circvitv. Et in tota undique externa corporis superficie, supra ipsas etiam alas, quibus tegebant corpus. Et intvs. Et etiam in interiori corporis superficie sub ipsis alis. Plena svnt ocvlis. In quo iterum à Cherubinis Ezechielis discrepant: nam Cherubinis nulli oculi tribuuntur, sed tantum quatuor rotis currus Dei triumphalis, quem Cherubini illi comitantur, Ezech. 1. v. 18. Similiter neque Seraphinis Isaiæ ulli oculi adduntur.

Ex quibus patet hæc S. Joannis animalia (licet multi contendant esse eadem cum Cherubinis quos vidit Ezechiel) aliqua quidem habere cum ipsis communia, ut numerum quaternarium, & easdem facies quatuor animalium, in aliquibus tamen etiam differre, & potius ex Cherubinis Ezechielis, & partim ex Seraphinis Isaiæ esse figurata.

Quid verò ista animalia significent, Interpretes sine fine variant. Multi recentiores putant significasse quatuor Principes Angelorum ex superioribus ordinibus qui semper assistunt throno Dei. Sed non fuisse Angelos, vel si fuerint, hominum tamen personam gessisse, colligitur ex Apoc. 5. v. 9. Ubi inter laudes Agni quatuor animalia ista cum viginti quatuor Senioribus cantant, *Redemisti nos Deo in Sanguine tuo*: homines autem, non Angeli, redempti sunt Sanguine Agni.

Alij quatuor Ecclesiæ Doctores primarios S. Ioanni ostensos fuisse credunt. In Leone S. Ambrosium adversus Theodosium Imp. & sæculi Principes pro gloria Dei animosissimum: in vitulo sive bove, S. Hieronymum nocte dieque in Scripturæ S. libros scribendo Ecclesiæ campum laboriosè arantem: in facie hominis S. Gregorium in morali, & hominibus accommodato Scripturarum sensu desudantem: in Aquila S. Augustinum acumine ingenij, & anagogicis divinæ sapientiæ alis supra omnes volantem.

Alij omnes Ecclesiæ veros Prælatos, qui in persequendis vitijs Leones, in laboribus boves, in misericordia homines, in contemplatione Aquilæ esse debent.

Alij

Alij quatuor ſedes Patriarchales, Jeroſolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, Conſtantinopolitanam. Alij quatuor virtutes cardinales. Alij totam Eccleſiam. Alij Chriſtum, qui fuit homo in prædicatione, bos in paſſione, leo in victoria mortis & Reſurrectione, aquila in Aſcenſione.

Sed ex Sanctorum DD. antiquâ traditione, ut ait Richardus, & ex S. Irenæi ſententia, qui temporibus Apoſtolorum tam propinquus fuit, ut S. Polycarpum, S. Ioannis diſcipulum, ſe vidiſſe teſtetur, per quatuor iſta animalia quatuor Euangeliſtæ repræſentati fuerunt. Et licet S. Ioannes eſſet unus ex illis, ſeipſum tamen in figura Aquilæ videre potuit. Erant enim quatuor Angeli, qui quatuor Euangeliſtarum perſonas gerebant. Sunt autem quatuor Euangeliſtæ, veluti quatuor animalia victricis quadrigæ Verbi Incarnati, quibus in Eccleſia militante per univerſum orbem vehitur, debellando & convertendo ad fidem & caſtra ſua infideles & peccatores hoſtes ſuos. Quidquid enim infidelitatis & vitiorum toto orbe per gratiam Chriſti expugnatur, quatuor Euangeliorum miniſterio & doctrinâ perficitur: geſtant enim *gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei*, ad Epheſ. 6. verſ. 17. *Efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus*, ad Hebr. 4. v. 12. Unde mirum eſſet, ſi S. Joanni, cui ſtatus Eccleſiæ militantis in hac Apocalypſi revelatur, nihil ſub aliqua imagine de quatuor Euangeliſtis, qui ſunt quaſi primarij duces, & inſtrumenta militiæ Chriſti, oſtenderetur.

In quatuor etiam Cherubinis Ezechiëlis, rotarum oculatarum & currus triumphalis ſtipatoribus, quo divina & occulta Dei providentia per omnes creaturas rotatur & ambulat, humiliando ſuperbos, exaltando humiles, quatuor Euangeliſtas adumbratos, ſicut vetus Teſtamentum occultat novum, SS. Hieronymus, Gregorius, & paſſim SS. PP. interpretantur.

Euangeliſtæ autem ſunt pleni oculis ante & retrò, quia tam in præteritum veteris Teſtam. quod per novum impleri docent, quàm in futurum novi, uſque ad adventum Antichriſti & conſummationem ſæculi, acutiſſimè, & multis modis tanquam oculis proſpiciunt. Nec ſolùm in extima corporis ſuperficie, ſed etiam intùs oculos habent, quibus jugi contemplatione & reflectione Deum intra ſe reſpiciunt.

In tam numeroſis etiam oculis, vigilantia, prudentia, & circumſpectio ſignatur eorum, qui Euangelium annuntiant: qui enim cum auditorum fructu, & ſine ſpirituali ſuo damno, Verbum Dei prædicare volunt, coram quibus, de qua re, quo loco, quo tempore circum-

ſpicere

ſpicere debent: Deum etiam intus introſpicere, ne quid propter vanam gloriam, aut temporale lucrum, ſed omnia ad Dei honorem, & ſpiritualem proximi utilitatem referant. Unde oculis iſtis interioribus & exterioribus vigilare, opus Euangeliſtæ, appellat Paulus 2. ad Tim. 4. v. 5. ut notat Hugo.

Singula animalia alas ſenas habent, ut celerrimè volant, & in omnem terram exeat ſonus eorum &c. ad Rom. 10. v. 18. aut certè ſicut Seraphini, Iſa. 6. duabus alis ſuperioribus velant facies ſuas, quia ſupremis, quos in capite geſtant oculis Dei ſedentis in throno Majeſtatem ſine velamento aſpicere non audent. Duabus verò alis inferioribus femora, & inferiora corporis uſque ad pedes, id eſt, imperfectionem partis ſuæ animalis & inferioris ante conſpectum Dei velant: duabus denique alis medijs volant, ut corpus Euangelij per totum orbem terrarum portent.

Sed licet omnia animalia volent, S. Ioanni tamen comparata pedibus inſedere videri poſſunt, ideoque ille non turturi aut columbæ, ſed aquilæ volanti comparatur.

Per primum animal ſimile leoni, S. Hieronymus & communior ſententia S. Marcum deſignari putat, quia à clamore, & quaſi rugitu S. Ioannis Bapt. in deſerto Euangelium ſuum incipit: In vitulo S. Lucas, quia à Sacerdotio & Sacrificio, in quibus frequens erat vitulorum oblatio: in homine S. Matthæus, qui ab humana Chriſti genealogia: in aquila S. Ioannes qui ſublimi volatu à Divinitate Chriſti, initium Euangelij ſui facit, creditur ſignificari. Sicuti enim quinq; libri Pentateuchi Moyſis à primo cujuſque libri vocabulo apud Hebræos nomina ſortiuntur: ita ſola Euangeliorum initia, in animalium iſtorum diſtributione, inſpicienda eſſe exiſtimant. Quod maximè veriſimile eſſet, ſi tantum capita animalium eſſent leonina, vitulina, &c. reliquum verò corpus humanâ Cherubinorum ſpecie, ut quidam imaginantur.

Verùm iſtud non placet S. Auguſtino lib. 1. cap. 6. de conſ. Euang. quia totum corpus Euangeliorum, inquit, potiùs quàm ſola principia oportet conſiderare. Igitur in leone animalium Rege putat S. Matthæum deſignari, qui plurima de Chriſto Rege, & leone de tribu Juda dicit. Nam ſtatim Regium Chriſti ſtemma à Davide & Regibus deducit: apud eum Rex novus à Magis adoratur, Rex ab Herode timetur, Rex cum ſervis rationem ponit, Rex nuptias filio ſuo facit, Rex ſegregat oves ab hœdis. Facies autem hominis apud S. Auguſtinum Marcum ſignificat, qui nihil de regali aut ſacerdotali Chriſti potentia locutus, tantùm geſta ejus ut hominis ſimpliciter narrat. In

vitulo autem & aquila cum Hieronymo & communi Augustinus convenit. Augustinum ex veteribus, præter alios, sequuntur Beda, & Primasius, ex recentioribus Estius & Hesselius.

Cur verò Ezechiel hominem, id est, Matthæum, juxta S. Hieronymum & magis vulgarem opinionem, S. Ioannes autem leonem, id est, Marcum, primo loco ponat, difficillimum est dicere. Multi credunt, quod Ezechiël ordinem temporis, quo scripta sunt quatuor Euangelia, S. Ioannes ad rem ipsam, sive ad Christum, cujus historiam quatuor Euangelistæ scribunt, respexerit. Quia enim post Resurrectionem facta est S. Ioanni hæc revelatio, occurrit ei primo loco victor mortis leo de tribu Iuda: deinde ordine retrogrado versus principia vitæ Christi retrocedendo, occurrit sacrificium Crucis, quo, omnium vitulorum & animalium sacrificijs abrogatis, *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, ad Heb. 10 v. 14. Deinde prædicatio & vita Christi, quâ edendo, bibendo, & omni humanâ conversatione se hominem esse ostendit. Denique quarto loco, eminentia divinitatis ejus per aquilam volantem adumbrata, quæ in principio prædicationis manifestata est, quando in baptismo ejus vox de cælo venit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. v. ult.

ET REQUIEM NON HABEBANT. Non cessabant: nec enim ullâ requie indigebant, qui nunquam lassabantur. DIE AC NOCTE. Omni tempore. Simile est, quod Ecclesia canit in Hymno *Te Deum*: *Tibi Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant*. DICENTIA. Ad illum qui in throno sedebat: unde videbantur leo, vitulus, aquila voces humanas ore non humano sonare. Quod minus mirum est, quàm olim asinam Balaam sermone humano loqui: quod enim hîc S. Ioannes narrat, reipsa non fiebat, sed extaticâ & spirituali solùm visione sic fieri apparebat. SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS. Ter dicunt, *Sanctus*, quia trinus est in personis. DOMINVS DEVS OMNIPOTENS. Quod tantum semel pronuntiant propter unitatem Divinitatis.

Vocabulum *Sanctus*, latinè à verbo, *sancire*, derivatur, quod fœdus aut pactum, cæsâ hostiâ, firmare, & inviolabile reddere significat. Unde sanctum pro inviolabili & incorruptibili, ac ab omni labe remoto accipitur; cui consonat hebraicum, *cados*, quod propriè, purum, & ab omni immunditiâ segregatum significat. Unde quia tale maximè venerandum & odorandum est, Græci ἅγιον, id est, *Sanctum* à verbo Ἅζομαι derivant, id est, *veneror*, quia quod inviolabile & ab omni immunditia remotum, maximè venerabile est.

Die autem & nocte quatuor Euangelistæ toto orbe Deum *Sanctum*,

Sanctum,

Sanctum, *Sanctum*, proclamant, quia ex quatuor Euangeliorum prædicatione per Concionatores & Ecclesiæ Ministros Dei Sanctitatem & laudes quotidie incessanter usque ad finem sæculi hominibus anunciant.

QVI ERAT. In principio, cum Deus primam conderet creaturam, sicut Sapientia æterna, quæ Deus est, de seipsa prædicat, *Quando præparabat Cælos aderam* &c. Prov. 8. v. 27. quâ phrasi æternitas Dei significatur: quod enim ante omne tempus & creatam durationem existit æternum est. Ideoque, *erat*, cum præfixo articulo Græco, ὁ ἦν, ponitur hîc, tanquam nomen proprium Dei. QVI EST. ὁ ὤν ens, quod iterum est nomen proprium Dei respondens hebraico tetragrammato, יהוה *Iehova*, quod nomen suum esse dicit Deus Exodi 3. v. 14.

Hinc quidam nimis pij sumpserunt occasionem dicendi, Deum solum ita habere esse ut creaturæ revera nihil sint: & rationem etiam addunt, quia aliàs Dei essentia limitaretur, & finem acciperet, ubi creatura inciperet aliquid esse, quod non esset Deus. Sed ad vitandam Dei limitationem sufficit, quod omnis creaturæ perfectio, omni deposita imperfectione, eminenter intret Dei essentiam. Deus autem solus est altissimo modo omnis essentiæ abyssus, omnem omnino essentiæ perfectionem formaliter aut eminenter complectens, ideoque omnis essentiæ creatæ extra eum manantis fons. Hoc modo S. Joannes negat, Baptistam esse lucem veram, *Non erat ille lux* &c. Joan 1. v. 8. & tamen Christus fatetur illum esse lucernam ardentem & lucentem, Joan. 5. v. 35. ut notat Augustinus cap. 14. de perfectione justitiæ.

ET QVI VENTVRVS EST. Ad judicium universale: non enim solus filius, qui in carne visibili apparebit, sed Pater etiam & Spiritus S. invisibiliter vivos & mortuos judicabunt.

9. ET CVM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM ET HONOREM. Prædicando illum ter sanctum, Dominum omnipotentem, & alios titulos ei dando, qui sunt materia divinæ gloriæ & honoris.

Gloria & honor differunt, quod gloria propriè sit clarissima fama laudi conjuncta, quâ quis ab omnibus aut plurimis excellentibus virtutibus ornatus agnoscitur: honor verò exhibitio signi externi, quo excellentiam alicujus testamur.

ET BENEDICTIONEM. Græcè, *Eucharistiam*, quod propriè significat gratiarum actionem, quam Deo dant Sancti, maximè propter æternæ prædestinationis, & Incarnationis Verbi beneficium. SEDENTI SVPER THRONVM. Tanquam cœli & terræ supremo domi-

natori & judici. VIVENTI. In seipso vitâ immortali, & omnis vitæ fonti, unde cætera omnia viventia vitam hauriunt. IN SÆCULA SÆCULORUM. In omnem æternitatem, quæ non est aliud, quàm duratio vitæ Dei.

Hanc autem gloriam, honorem, benedictionem quatuor animalia in Ecclesia militante dant tam verbo quàm scripto, quando ex prædicatione vel lectione Euangeliorum glorificatur, honoratur, benedicitur SS. Trinitas, ab ijs, qui inde gloriosa ejus attributa, & beneficia humano generi impensa discunt.

10. PROCIDEBANT in facies suas VIGINTI QUATUOR SENIORES. Tanquam Princeps Ecclesiæ universum Ecclesiæ corpus repræsentantes. ANTE SEDENTEM IN THRONO. Quandoquidem ipsorum sedilia essent disposita in circuitu throni, ut dixit v. 4. videntur illi, qui retrò erant, relictis sedilibus suis concurisse cum alijs in modum semicirculi ante thronum, & ibi omnes simul in facies suas procidisse. ET ADORABANT. Cultu latriæ toto corpore prostrato.

Alius prætereà mos adorandi fuit, quo Gentiles Idola & Deos suos adorabant, manum scilicet, ad os referendo, & osculando, ac deinde versus idolum extendendo. Vnde verbum, *adorare*, formatum existimatur. De hoc adorandi ritu, Iob, cùm dicere vellet, se nunquam astra adorasse, sicut idololatræ solebant, ait: *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam &c. & osculatus sum manum meam ore meo.* Iob 31. v. 26.

ET MITTEBANT CORONAS SUAS. Detractas ex capitibus suis projiciebant. ANTE THRONUM. Significantes se eas Deo sedenti in throno acceptas referre. Coronæ enim istæ sunt præmia victoriarum, quibus tentationes carnis, mundi, diaboli, pugnante & vincente in ipsis Deo, vicerunt. *Nam omne bonum meritum in nobis non facit, nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua*, ait Augustinus epist. 105. *Ipse enim facit, ut faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum, quod facimus*, ait S. Fulgentius lib. 1. cap. 14. ad Monimum. *Propterea*, inquit, *nullatenus sinimur, imò salubriter prohibemur, tam in nostra fide, quàm in nostro opere, tanquam nostrum, nobis aliquid vindicare.* Hinc integras coronas suas, nullâ particulâ sibi reservatâ, viginti quatuor isti Seniores projiciunt ante thronum. Unde etiam, cùm 1. ad Cor. 15. v. 10. S. Paulus dixisset, *Abundantius illis omnibus laboravi*, ne aliquid sibi ex labore suo tribueret, statim se corrigit, *Non ego autem*, inquit, *sed gratia Dei mecum*: græcè clarius, *gratia Dei, quæ mecum est.* Non enim gratiam faciat comitem & pedissequam liberi sui arbitrij, ut quidam pessimè interpretantur, sed Principem & Dominam, quæ labores illos

illos in ipso operata est. Quem sensum planè indicant verba ista Apostoli, *Non ego autem, sed gratia* &c. ubi negat, se principalem causam & auctorem laborum suorum esse, sed gratiam Dei, *quæ cum me*, ut Græca verbotenùs habent, & Arias vertit. Quæ phrasis non aliud significat, quàm quod Apostolus proximè ante dixerat, *gratia eius in me*, sive ut Græcus iterùm habet, *Gratia eius, quæ in me, vacua non fuit.*

11. DICENTES, DIGNVS ES DOMINE DEVS NOSTER. Cum sit Deus & creator omnium, specialiter tamen, & maximè est Deus electorum, ideòque appellant, *nostrum*, ut Chartus. notat. ACCIPERE GLORIAM ET HONOREM. Ut omnes homines, & universa creatura intellectualis te summè glorificent & honorent. ET VIRTVTEM. Græcè *potentiam*. Dignus etiam es accipere omnipotentiæ & virtutis tuæ confessionem, titulos & præconium. Solemus enim per metonymiam dicere, nos alicui dare virtutem aut dignitatem suam, quando titulos dignitati debitos tribuimus. Unde cum mulieres occiso Goliath, occurrerunt Sauli & Davidi, cum tympanis cantantes *Percussit Saul mille, & David decem millia*; iratus Saul dixit, *dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt*, 1. Reg. 18. v. 8. cum tamen non decem millia, sed laudem decem millium occisorum dedissent. QVIA TV CREASTI OMNIA. Unde non tantùm gratia redemptionis, sed etiam gratia creationis à te est: nec tantùm bene esse, sed ipsum primum & fundamentale esse, ex omnipotentia tùa manavit. ET PROPTER VOLVNTATEM TVAM. Non necessariò, sed perliberale voluntatis tuæ beneplacitum: græca enim præpositio, *διὰ*, cum accusativo, quam Interpres vertit, *propter*, verti etiam potest & clarius, *per voluntatem*, ut, *per viscera misericordiæ*, Lucæ 1. v. 78. &, *per invidiam*, Matth. 27. v. 18. ERANT. Post creationem, suam jam ab initio in esse suo creato perseverabant; ita ut non satis fuerit Cælum & terram &c. creari, & ex suo nihilo primâ productione extrahi, ut in illo esse novo perseverarent; sed etiam tunc conservatione & dependentiâ à voluntate tuâ continuò indigerent, non minus quàm nunc ubi post tot sæcula quasi senuerunt.

Chartusianus tamen, & quidam alij, illud, *erant*, exponunt de esse ideali, quod creaturæ ab æterno in mente divina habuerunt, ex quo per productionem in tempore ad esse reale processerunt, quomodo Joan. 1. dicitur, *in ipso vita erat*: & Aristoteles dicit, domum exemplariter esse in mente artificis, antequam fabricetur.

ET CREATA SVNT. Et sicut per tuam voluntatem olim & nunc omnia conservantur, ita etiam per eandem voluntatem ex nihilo suo

creata & educta sunt. Omnia igitur tam in fieri, quàm in conservari, ab omnipotente tua voluntate dependent & suspenduntur.

CAPUT V.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat S. Ioannes se posteà vidisse in dextera Dei sedentis, librum scriptum intus & foris, clausum sigillis septem. Quem proinde nemo aperire ad legendum poterat. Et cum S. Ioannes ideò multum fleret, tandem repertus est Agnus, qui aperuit. Vnde quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, cum millium Angelorum millibus magno gaudio exultant, & effunduntur in laudes Agni.

vers. 1.

ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SUPRA THRONUM. Dexterâ Deus tenebat librum ut alicui porrigeret, si quis dignus accipere, & illum aperire inveniretur. LIBRUM SCRIPTUM INTUS ET FORIS. In utraque parte voluminis exteriori & interiori, quam duplicem scripturam tunc nondum videre poterat S. Joannes, clauso adhúc, & sigillato volumine, sed posteà intellexit, quando apertum & expansum vidit.

Solebant autem antiquitus ex corticibus arborum, qui propriè libri vocabantur, aut ex pergamena charta, volumina librorum, circa parvos cylindros convolvere, non autem compingere paginatim, sicut hodie facimus: & plerumque in sola interiori parte voluminis, sive in concava superficie scribebant; aliquando tamen etiam in exteriori superficie, sive à tergo, quando valde multa scribenda essent.

SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM. Ne quis aperire posset, sicuti sigillo obsignamus litteras, ne quis aperiat, & secretum videat. Erant autem ista septem sigilla verisimiliter secundum longitudinem voluminis, certis intervallis apposita & appensa.

Quid autem liber iste significet, tot sunt expositiones, ut multitudo confusionem, obscuritatem, & fastidium pariat, inquit Carthus. Sed nihil probabilius, quàm quod ipse, & plurimi post ipsum existimant, nempè, non alium esse, quam hunc ipsum Apocalypsis Librum, cujus sigilla sequentibus proximè capitibus aperiuntur, ac deinde posterioribus capitibus liber ipse apertus legitur: hoc est figuræ ejus & ænigmata

ænigmata nobis exhibentur, sed vera eorum intelligentia, quam S. Joannes olim per revelationem accepit, nobis absconditur, nisi quantum divinâ ope, & probabilibus conjecturis possimus assequi. Vel certè, ut magis distinctè cum Aretha loquamur, quandoquidem liber iste, quem Ioannes vidit, scriptus erat ante conscriptam hanc Apocalypsin, significabat sapientissimam & incomprehensibilem Dei memoriam, in qua descripta erant divinæ providentiæ decreta, quibus recturus est Ecclesiam militantem usque ad adventum Antichristi, & mundi finem, quæ revelata sunt S. Ioanni, & in hac Apocalypsi posteà descripta.

Sigilla septem significant, res valde arcanas contineri in eo libro, qui tot obseratur sigillis. Septenarius autem sigillorum numerus, significat juxta Aretham, universitatem temporis usque ad finem mundi, quia universum tempus hebdomadatim per numerum septenarium dierum volvitur. Sub illius autem temporis varietate totum quod in Dei memoria, & posteà in hac Apocalypsi scriptum est, tanquam sub sigillis clauditur.

Intus & foris liber scriptus est, quia quidam eventus ab humano sensu remotiores, quidam viciniores sunt. Deinde duplici istâ Scripturâ, intrà & in dorso voluminis, significatur multitudo mysteriorum quæ hoc libro continentur, ut res tam multæ non potuerint interiori voluminis superficie comprehendi, sed etiam debuerint quædam in tergo describi.

Beda tamen, Richardus, & plurimi veterum, librum istum S. Scripturam interpretantur, qui scriptus est intùs per allegoriam, foris per historiam: intus per spiritualem intelligentiam, foris per litteram; intus ad spiritualiũ exercitationem, foris ad simplicium eruditionem: intus, ut secretum Sapientiæ immundis occultetur; forìs, ut veritas mundis reveletur, ait Richardus.

Gagnæus verò, & quidam alij, solam veteris Testamenti Scripturam intelligunt, quæ scripta est intùs sensu spirituali, in quo Christus, & novum Testamentum latent, scripta verò foris sensu litterali.

2. ET VIDI ANGELVM FORTEM. Aliquem verisimiliter ex illis septem, qui Apoc. 1. v. 4. & cap. 4. v. 5. dicuntur adstare ante thronum Dei. Illi enim sunt septem ex ordine Principatuum, quorum ministerio utitur Deus in gubernatione universi, & salutis electorum, putanturque esse, Michaël, Gabriël, Raphaël, Uriël, Sealthiël, Jehudiël, & Barachiël, ut diximus Apoc. 1. v. 4.

Hic autem Angelus licet naturæ & gratiæ viribus fortis & validus, librum

librum tamen aperire & futuros casus qui Ecclesiæ militanti maximè circa finem evenient, prospicere & intelligere non valet: futura enim contingentia Angelos sæpè latent, quia non omnia eis revelat Deus.

Quia autem nomen *Gabriël*, significat hebraicè, *fortitudo Dei*; Lyranus, & quidam alij hunc Angelum fortem putant fuisse Gabriëlem. verum alij Angeli sunt etiam fortes: nec *Angelus fortis*, hoc loco est nomen proprium sed appellativum.

PRÆDICANTEM. Instar præconis proclamantem. VOCE MAGNA. Ut significaret, res magnas & admirabiles contineri in isto libro. QVIS EST DIGNVS. Quis tantam à Deo dignitatem præstantiam, & fortitudinem accepit ut possit APERIRE LIBRVM, ET SOLVERE SIGNACVLA EIVS. Idem sunt, *aperire librum*, & *solvere signacula*: vel saltem tota difficultas aperiendi in solutione sigillorum consistit unde particula, *&*, non copulativè, tanquam diversa copulans, sed identicè accipi debet.

3. ET NEMO POTERAT. Quia nemini per scientiam naturalem, vel per divinam revelationem manifestata sunt, quæ in hoc libro continentur: veluti Christus de fine mundi dicit, *de die illa & hora nemo scit, neque Angeli Cælorum, nisi solus pater*, Matth. 24. v. 36. NEQUE IN COELO. Nullus Angelorum. *Neque in terra*. Nec ullus etiam sanctissimorum hominum, qui habitant in terra. NEQVE SVBTVS TERRAM. Nec ullus justorum carnis vinculo absolutus sub terra degens, ait Beda & post eum Rich. Unde hoc loco uti possumus adversus hæreticos negantes Purgatorium: nam animæ justorum sub terra post Christi Ascensionem non sunt, nisi in Purgatorio.

Inter eos etiam, qui sunt subtus terram, numerari possunt boni Angeli, qui ad consolationem animarum Purgatorij eò descendunt, inquit Carth. Quidam etiam sub ijs, qui sunt subtus terram, comprehendunt dæmones. Unde S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 42. ex hoc loco probat, infernum esse sub terra.

APERIRE LIBRVM, & per consequens, NEQVE RESPICERE ILLVM. Scripturam ejus aspicere & legere, quæ continebantur in eo. Nam licèt foris, sive exterius à tergo, etiam scriptus esset, ut versu 1. diximus; exterior tamen illa superficies in rotundum convoluta erat, & ipso volumine abscondita.

4. ET EGO FLEBAM MVLTVM. Ex dolore & desiderio magno sciendi, quænam scripta essent in libro illo. Nam non dubitabat plenum esse magnis mysterijs, aut magnis & tragicis casibus, qui eventuri erant Ecclesiæ futuris temporibus. Fortè etiam meminerat similis

libri

libri, quem Deus ostendit Ezechieli, scriptum etiam intùs & foris, sive, *Epistographum*, ut Græci appellant, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ Templi, ac urbis Jerosolymitanæ per Chaldæos brevi evertendæ, Ezech. 2. v. 9. Sic etiam Zacharias vidit volumen volans, in quo scripta erant scelera, & supplicia futura Judæorum, Zach. 5. v. 1. Unde solet Deus per tales libros Prophetis suis repræsentare, quid lætum aut triste hominibus in futurum decreverit, & in memoriâ suâ, tanquam libro clauso, reservet.

5. ET VNVS DE SENIORIBVS. Illis 24. qui sedebant in circuitu Throni. Quis autem fuerit ille, nemo scire potest. Quidam divinando conjectant fuisse S. Matthæum, ut narrat Lyranus, quia quod mox sequitur de Leone de tribu Juda, affine est illi, quod S. Matth. refert, Christum dixisse, *data est mihi omnis potestas* &c. Matth. 28. v. 18. Sed hæc conjectura est tenuis. Deinde S. Matth. unum erat ex 4. animalibus potius, quàm ex 24. Senioribus. Quo etiam argumento refelli potest Alcazar, qui S. Lucam fuisse existimat. DIXIT MIHI. Ad consolationem meam. NE FLEVERIS. Nam inventus est, quem lacrymis istis requirebas. ECCE VICIT LEO. Omnium difficultatum & obstaculorum, quæ apertionem libri impediebant victor & superior effectus est ille Leo: sic enim græcè etiam verti potest, ut fiat vis in articulo græco, qui voci, *Leo*, præponitur. DE TRIBV JVDA. Propter alterum articulum græcum verti iterum potest, *ille de tribu Iuda*; id est, singularis ille, & nominatus Leo, qui à Patriarcha Jacob morituro prædicitur nasciturus ex tribu Juda: *Catulus Leonis Iuda & requiescens accubuisti ut Leo*, Gen. 49. v. 9. Sicut enim Leo fortissimus & Rex est omnium animalium: ita Christus secundum naturam etiam humanam quam ex tribu Juda accepit omnium creaturarum Rex est, & potentiâ ac fortitudine longè omnes superat, cùm ei à patre *data sit omnis potestas in Cœlo & in terra* Matth. 28. v. 18. Unde mortem, peccatum, & diabolum etiam vicit, quando *expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ad Colos. 2. v. 15. RADIX DAVID. Virga sive virgultum de radice Davidis pullulans & ascendens. Hebræi enim per metonymiam virgultum vocant radicem, nomen causæ tribuentes effectui. Vel certè, Christus est radix ex semine David procreata, ex qua arbor & innumeri rami, flores & fructus electorum succo gratiæ pullulant & aluntur. Propter articulum græcum verti potest, *Illa radix David*, cujus scilicet magnifica mentio est apud Prophetam, *Egredietur virga de radice Iesse*, Isa. 11. v. 1. Item, *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, Isa. 53. v. 2.

APERIRE LIBRVM. Ut aperiat librum. ET SOLVERE SEPTEM SIGNACVLA EIVS. Et ut solvat &c. Quia enim est Rex, Dux, & Conditor Ecclesiæ militantis, ideò ipsi etiam ut homini, per scientiam infusam, revelatus est integer status Ecclesiæ, & quidquid illi eveniet in futurum usque ad finem mundi. Hinc quando de consummatione mundi dicit, *De die illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*, Marci 13. v. 32. non negat filium, ut hominem, absolutè hoc scire, sed tanquàm patris legatum, quia inter articulos legationis suæ non habebat, ut illud secretum hominibus revelaret.

6. ET VIDI. Et aspexi versùs thronum, declinando oculos ab illo seniore, qui mihi loquebatur. ET ECCE IN MEDIO THRONI. In medio spatio ante thronum, juxta pedes Dei in throno sedentis, sicut, *in medio sedis*, seu *throni*, accipiendum diximus Apoc. 4. v. 6. ET QVATVOR ANIMALIVM. Nam quatuor animalia erant in circuitu throni, ita ut thronum & Agnum intra circuitum suum includerent. ET IN MEDIO SENIORVM. Qui adhuc ampliori circuitu, tam 4. animalia, quàm Agnum & thronum includebant. AGNVM STANTEM. In pedes suos erectum, non autem jacentem, ut exponit Alcazar propter id quod sequitur. TANQVAM OCCISVM. Tanquam si aliquando occisus fuisset (sicut reverà occisus fuerat) quia in corpore ejus adhuc vulnerum cicatrices apparebant. Particula, *tanquam*, non similitudinem tantùm, sed veritatem occisi hîc significat. *Occisus* autem non est hîc nomen, sed participium præt. temporis, ut ex græco patet.

Alij, *tanquam occisum*, interpretantur, quasi non tam occisus, quàm brevi somno prostratus fuerit, quandoquidem tam citò resurrexerit à mortuis. Sed Agnus iste videtur aliqua signa præteritæ occisionis in corpore suo gestasse, quæ S. Ioannes adverterit. Ex constitutione autem corporis Agni sciri non poterat, an citò, an tardè resurrexisset.

Stat autem Agnus, quia licèt anteà occisus jacuisset, jam tamen surrexerat à mortuis. Deinde stat, tanquam advocatus noster juxta thronum Patris. In medio autem, inter thronum & animalia ac Seniores stat, quia *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, 1. ad Tim. 2. v. 5. Deinde omnes ad eum, velut in medio positum, intendunt, ut ab ipso pariter, licèt non æqualiter, dona gratiarum accipiant, inquit Richardus.

Quem anteà vocavit leonem, jam Agnum appellat, quæ tamen duo animalia moribus & naturâ maximè distant. Sed in Christo etiam ut homine, utriusque animalis similitudo invenitur. Leo est potentiâ, fortitudine, & iracundiâ erga hostes; Agnus humilitate & mansuetudine

tudine erga amicos. Præterea Agnus est maximè, quia *sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi Agnus coram tondente se obmutuit*, Isa. 53. v. 7. Deinde, quia est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, figuratus olim mactatione Agni Paschalis, & duorum illorum Agnorum, qui quotidie manè & vesperi offerebantur in juge sacrificium.

HABENTEM CORNVA SEPTEM. Etiamsi sit Agnus, non tamen est instar aliorum imbecillis, sed in capite gerit 7. cornua, quibus ventilat inimicos, & amicos defendit. Unde licèt toto corpore speciem Agni, & plurimum de mansuetudine Agni habeat, cor tamen, ubi animis opus est, leoninum, & caput taurinum, & quidem 7. cornibus armatum gerit, quod perfectam & omnipotentem fortitudinem significat, quia numerus septenarius, ut Apoc. 1. v. 4. diximus, est numerus perfectionis & universitatis. ET OCVLOS SEPTEM. Ita ut unumquodque cornu oculum suum juxta se in fronte defixum habeat: ut Agnus iste non tantùm sit fortis in agendo, sed etiam prudens & perspicax in providendo. Exponens autem, quid sint illa septem cornua, & 7. oculi addit. QVI SVNT SEPTEM SPIRITVS DEI. Quæ cornua & oculi idem significant, nempè 7. Angelos principales, quorum fortitudine & perspicacitate utitur Agnus in Ecclesiæ suæ, & totius universi gubernatione: sunt enim cornua oculata, quorum fortitudo non est cæca, & temeraria, sed oculis & sapientiâ mentis regitur.

Sicut ergo Apoc. 4. v. 5. exposuit, quid essent septem lampades ardentes, nempe 7. spiritus Dei; ita hîc etiam manifestat, eosdem Angelos significari per 7. cornua oculata Agni, quæ sunt septem principalia viventia instrumenta fortitudinis, & providæ sapientiæ Agni.

Ad horum Spirituum oculatorum similitudinem, Archidiaconi, id est, principales ministri Episcoporum in Ecclesijs cathedralibus, vocantur oculi Episcoporum, quia Episcopi per eos diœcesibus suis provident, & eorum vigilantiâ & prudentiâ eos gubernant.

MISSI IN OMNEM TERRAM. Qui ex officio mitti solent ad Ecclesiæ toto orbe dispersæ, & totius Universi gubernationem. Beda tamen, Haymo, Richar. Arethas, & veterum interpretum plurimi, hos septem spiritus Dei, mysticâ potiùs quàm litterali intelligentiâ, 7. S. Spiritus dona interpretantur, quæ propter eminentiam potestatis, cornibus, propter gratiæ illuminationem, oculis comparantur, inquit Beda. Mittuntur autem in omnem terram, quia de omni terra aliquos Spiritus S. per dona sua, ad regni cælestis celsitudinem, tanquam cornibus eventilat, & ad spiritualium bonorum contemplationem, radijs oculorum illuminat, ait Richardus.

vitulo autem & aquila cum Hieronymo & communi Augustinus convenit. Augustinum ex veteribus, præter alios, sequuntur Beda, & Primasius, ex recentioribus Estius & Hesselius.

Cur verò Ezechiel hominem, id est, Matthæum, juxta S. Hieronymum & magis vulgarem opinionem, S. Ioannes autem leonem, id est, Marcum, primo loco ponat, difficillimum est dicere. Multi credunt, quod Ezechiël ordinem temporis, quo scripta sunt quatuor Euangelia, S. Ioannes ad rem ipsam, sive ad Christum, cujus historiam quatuor Euangelistæ scribunt, respexerit. Quia enim post Resurrectionem facta est S. Ioanni hæc revelatio, occurrit ei primo loco victor mortis leo de tribu Iuda: deinde ordine retrogrado versus principia vitæ Christi retrocedendo, occurrit sacrificium Crucis, quo, omnium vitulorum & animalium sacrificijs abrogatis, *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, ad Heb. 10 v. 14. Deinde prædicatio & vita Christi, quâ edendo, bibendo, & omni humanâ conversatione se hominem esse ostendit. Denique quarto loco, eminentia divinitatis ejus per aquilam volantem adumbrata, quæ in principio prædicationis manifestata est, quando in baptismo ejus vox de cælo venit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. v. ult.

ET REQUIEM NON HABEBANT. Non cessibant: nec enim ullâ requie indigebant, qui nunquam lassabantur. DIE AC NOCTE. Omni tempore. Simile est, quod Ecclesia canit in Hymno *Te Deum: Tibi Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant.* DICENTIA. Ad illum qui in throno sedebat: unde videbantur leo, vitulus, aquila voces humanas ore non humano sonare. Quod minus mirum est, quàm olim asinam Balaam sermone humano loqui: quod enim hîc S. Ioannes narrat, reipsa non fiebat, sed extaticâ & spirituali solùm visione sic fieri apparebat. SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS. Ter dicunt, *Sanctus*, quia trinus est in personis. DOMINVS DEVS OMNIPOTENS. Quod tantum semel pronuntiant propter unitatem Divinitatis.

Vocabulum *Sanctus*, latinè à verbo, *sancire*, derivatur, quod fœdus aut pactum, cæsâ hostiâ, firmare, & inviolabile reddere significat. Unde sanctum pro inviolabili & incorruptibili, ac ab omni labe remoto accipitur; cui consonat hebraicum, *cados*, quod propriè, purum, & ab omni immunditiâ segregatum significat. Unde quia tale maximè venerandum & odorandum est, Græci ἅγιον, id est, *Sanctum* à verbo Ἅζομαι derivant, id est, *veneror*, quia quod inviolabile & ab omni immunditia remotum, maximè venerabile est.

Die autem & nocte quatuor Euangelistæ toto orbe Deum *Sanctum*, *Sanctum*,

Sanctum, *Sanctum*, proclamant, quia ex quatuor Euangeliorum prædicatione per Concionatores & Ecclesiæ Ministros Dei Sanctitatem & laudes quotidie incessanter usque ad finem sæculi hominibus anunciant.

QVI ERAT. In principio, cum Deus primam conderet creaturam, sicut Sapientia æterna, quæ Deus est, de seipsa prædicat, *Quando præparabat Cælos aderam* &c. Prov. 8. v. 27. quâ phrasi æternitas Dei significatur: quod enim ante omne tempus & creatam durationem existit æternum est. Ideoque, *erat*, cum præfixo articulo Græco, ὁ ἦν, ponitur hîc, tanquam nomen proprium Dei. QVI EST. ὁ ὢν ens, quod iterum est nomen proprium Dei respondens hebraico tetragrammato, יהוה *Iehova*, quod nomen suum esse dicit Deus Exodi 3. v. 14.

Hinc quidam nimis pij sumpserunt occasionem dicendi, Deum solum ita habere esse ut creaturæ revera nihil sint: & rationem etiam addunt, quia aliàs Dei essentia limitaretur, & finem acciperet, ubi creatura inciperet aliquid esse, quod non esset Deus. Sed ad vitandam Dei limitationem sufficit, quod omnis creaturæ perfectio, omni deposita imperfectione, eminenter intret Dei essentiam. Deus autem solus est altissimo modo omnis essentiæ abyssus, omnem omnino essentiæ perfectionem formaliter aut eminenter complectens, ideoque omnis essentiæ creatæ extra eum manantis fons. Hoc modo S. Joannes negat, Baptistam esse lucem veram, *Non erat ille lux* &c. Joan 1. v. 8. & tamen Christus fatetur illum esse lucernam ardentem & lucentem, Joan. 5. v. 35. ut notat Augustinus cap. 14. de perfectione justitiæ.

ET QVI VENTVRVS EST. Ad judicium universale: non enim solus filius, qui in carne visibili apparebit, sed Pater etiam & Spiritus S. invisibiliter vivos & mortuos judicabunt.

9. ET CVM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM ET HONOREM. Prædicando illum ter sanctum, Dominum omnipotentem, & alios titulos ei dando, qui sunt materia divinæ gloriæ & honoris.

Gloria & honor differunt, quod gloria propriè sit clarissima fama laudi conjuncta, quâ quis ab omnibus aut plurimis excellentibus virtutibus ornatus agnoscitur: honor verò exhibitio signi externi, quo excellentiam alicujus testamur.

ET BENEDICTIONEM. Græcè, *Eucharistiam*, quod propriè significat gratiarum actionem, quam Deo dant Sancti, maximè propter æternæ prædestinationis, & Incarnationis Verbi beneficium. SEDENTI SVPER THRONVM. Tanquam cœli & terræ supremo domi-

natori & judici. VIVENTI. In ſeipſo vitâ immortali, & omnis vitæ fonti, unde cætera omnia viventia vitam hauriunt. IN SÆCVLA SÆCVLORVM. In omnem æternitatem, quæ non eſt aliud, quàm duratio vitæ Dei.

Hanc autem gloriam, honorem, benedictionem quatuor animalia in Eccleſia militante dant tam verbo quàm ſcripto, quando ex prædicatione vel lectione Euangeliorum glorificatur, honoratur, benedicitur SS. Trinitas, ab ijs, qui inde glorioſa ejus attributa, & beneficia humano generi impenſa diſcunt.

10. PROCIDEBANT in facies ſuas VIGINTI QVATVOR SENIORES. Tanquam Princeps Eccleſiæ univerſum Eccleſiæ corpus repræſentantes. ANTE SEDENTEM IN THRONO. Quandoquidem ipſorum ſedilia eſſent diſpoſita in circuitu throni, ut dixit v. 4. videntur illi, qui retrò erant, relictis ſedilibus ſuis concurriſſe cum alijs in modum ſemicirculi ante thronum, & ibi omnes ſimul in facies ſuas procidiſſe. ET ADORABANT. Cultu latriæ toto corpore proſtrato.

Alius prætereà mos adorandi fuit, quo Gentiles Idola & Deos ſuos adorabant, manum ſcilicet, ad os referendo, & oſculando, ac deinde verſus idolum extendendo. Vnde verbum, *adorare*, formatum exiſtimatur. De hoc adorandi ritu, Iob, cùm dicere vellet, ſe nunquam aſtra adoraſſe, ſicut idololatræ ſolebant, ait: *Si vidi ſolem, cùm fulgeret, & lunam &c. & oſculatus ſum manum meam ore meo.* Iob 31. v. 26.

ET MITTEBANT CORONAS SVAS. Detractas ex capitibus ſuis proijciebant. ANTE THRONVM. Significantes ſe eas Deo ſedenti in throno acceptas referre. Coronæ enim iſtæ ſunt præmia victoriarum, quibus tentationes carnis, mundi, diaboli, pugnante & vincente in ipſis Deo, vicerunt. *Nam omne bonum meritum in nobis non facit, niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quàm munera ſua*, ait Auguſtinus epiſt. 105. *Ipſe enim facit, ut faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum, quod facimus*, ait S. Fulgentius lib. 1. cap. 14. ad Monimum. *Propterea*, inquit, *nullatenus ſinimur, imò ſalubriter prohibemur, tam in noſtra fide, quàm in noſtro opere, tanquam noſtrum, nobis aliquid vindicare.* Hinc integras coronas ſuas, nullâ particulâ ſibi reſervatâ, viginti quatuor iſti Seniores proijciunt ante thronum. Unde etiam, cùm 1. ad Cor. 15. v. 10. S. Paulus dixiſſet, *Abundantius illis omnibus laboravi*, ne aliquid ſibi ex labore ſuo tribueret, ſtatim ſe corrigit, *Non ego autem*, inquit, *ſed gratia Dei mecum*: græcè clarius, *gratia Dei, quæ mecum eſt*. Non enim gratiam faciat comitem & pediſſequam liberi ſui arbitrij, ut quidam peſſimè interpretantur, ſed Principem & Dominam, quæ labores illos

illos in ipso operata est. Quem sensum planè indicant verba ista Apostoli, *Non ego autem, sed gratia* &c. ubi negat, se principalem causam & auctorem laborum suorum esse, sed gratiam Dei, *quæ cum me*, ut Græca verbotenùs habent, & Arias vertit. Quæ phrasis non aliud significat, quàm quod Apostolus proximè ante dixerat, *gratia eius in me*, sive ut Græcus iterùm habet, *Gratia eius, quæ in me, vacua non fuit*.

11. DICENTES, DIGNVS ES DOMINE DEVS NOSTER. Cum sit Deus & creator omnium, specialiter tamen, & maximè est Deus electorum, ideòque appellant, *nostrum*, ut Chartus. notat. ACCIPERE GLORIAM ET HONOREM. Ut omnes homines, & universa creatura intellectualis te summè glorificent & honorent. ET VIRTVTEM. Græcè *potentiam*. Dignus etiam es accipere omnipotentiæ & virtutis tuæ confessionem, titulos & præconium. Solemus enim per metonymiam dicere, nos alicui dare virtutem aut dignitatem suam, quando titulos dignitati debitos tribuimus. Unde cum mulieres occiso Goliath, occurrerunt Sauli & Davidi, cum tympanis cantantes *Percussit Saul mille, & David decem millia*; iratus Saul dixit, *dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt*, 1. Reg. 18. v. 8. cum tamen non decem millia, sed laudem decem millium occisorum dedissent. QVIA TV CREASTI OMNIA. Unde non tantùm gratia redemptionis, sed etiam gratia creationis à te est: nec tantùm bene esse, sed ipsum primum & fundamentale esse, ex omnipotentia tùa manavit. ET PROPTER VOLVNTATEM TVAM. Non necessariò, sed perliberale voluntatis tuæ beneplacitum: græca enim præpositio, διὰ, cum accusativo, quam Interpres vertit, *propter*, verti etiam potest & clarius, *per voluntatem*, ut, *per viscera misericordiæ*, Lucæ 1. v. 78. &, *per invidiam*, Matth. 27. v. 18. ERANT. Post creationem, suam jam ab initio in esse suo creato perseverabant; ita ut non satis fuerit Cælum & terram &c. creari, & ex suo nihilo primâ productione extrahi, ut in illo esse novo perseverarent; sed etiam tunc conservatione & dependentiâ à voluntate tuâ continuò indigerent, non minus quàm nunc ubi post tot sæcula quasi senuerunt.

Chartusianus tamen, & quidam alij, illud, *erant*, exponunt de esse ideali, quod creaturæ ab æterno in mente divina habuerunt, ex quo per productionem in tempore ad esse reale processerunt, quomodo Joan. 1. dicitur, *in ipso vita erat*: & Aristoteles dicit, domum exemplariter esse in mente artificis, antequam fabricetur.

ET CREATA SVNT. Et sicut per tuam voluntatem olim & nunc omnia conservantur, ita etiam per eandem voluntatem ex nihilo suo

creata & educta sunt. Omnia igitur tam in fieri, quàm in conservari, ab omnipotente tua voluntate dependent & suspenduntur.

CAPVT V.

SYNOPSIS CAPITIS.

Narrat S. Ioannes se posteà vidisse in dextera Dei sedentis, librum scriptum intus & foris, clausum sigillis septem. Quem proinde nemo aperire ad legendum poterat. Et cum S. Ioannes ideò multum fleret, tandem repertus est Agnus, qui aperuit. Vnde quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, cum millium Angelorum millibus magno gaudio exultant, & effunduntur in laudes Agni.

vers. 1.

ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SVPRA THRONVM. Dexterâ Deus tenebat librum ut alicui porrigeret, si quis dignus accipere, & illum aperire inveniretur. LIBRVM SCRIPTVM INTVS ET FORIS. In utraque parte voluminis exteriori & interiori, quam duplicem scripturam tunc nondum videre poterat S. Joannes, clauso adhúc, & sigillato volumine, sed posteà intellexit, quando apertum & expansum vidit.

Solebant autem antiquitus ex corticibus arborum, qui propriè libri vocabantur, aut ex pergamena charta, volumina librorum, circa parvos cylindros convolvere, non autem compingere paginatim, sicut hodie facimus: & plerumque in sola interiori parte voluminis, sive in concava superficie scribebant; aliquando tamen etiam in exteriori superficie, sive à tergo, quando valde multa scribenda essent.

SIGNATVM SIGILLIS SEPTEM. Ne quis aperire posset, sicuti sigillo obsignamus litteras, ne quis aperiat, & secretum videat. Erant autem ista septem sigilla verisimiliter secundum longitudinem voluminis, certis intervallis apposita & appensa.

Quid autem liber iste significet, tot sunt expositiones, ut multitudo confusionem, obscuritatem, & fastidium pariat, inquit Carthus. Sed nihil probabilius, quàm quod ipse, & plurimi post ipsum existimant, nempè, non alium esse, quam hunc ipsum Apocalypsis Librum, cujus sigilla sequentibus proximè capitibus aperiuntur, ac deinde posterioribus capitibus liber ipse apertus legitur: hoc est figuræ ejus & ænigmata

ænigmata nobis exhibentur, sed vera eorum intelligentia, quam S. Joannes olim per revelationem accepit, nobis absconditur, nisi quantum divinâ ope, & probabilibus conjecturis possimus assequi. Vel certè, ut magis distinctè cum Aretha loquamur, quandoquidem liber iste, quem Ioannes vidit, scriptus erat ante conscriptam hanc Apocalypsin, significabat sapientissimam & incomprehensibilem Dei memoriam, in qua descripta erant divinæ providentiæ decreta, quibus recturus est Ecclesiam militantem usque ad adventum Antichristi, & mundi finem, quæ revelata sunt S. Ioanni, & in hac Apocalypsi posteà descripta.

Sigilla septem significant, res valde arcanas contineri in eo libro, qui tot obseratur sigillis. Septenarius autem sigillorum numerus, significat juxta Aretham, universitatem temporis usque ad finem mundi, quia universum tempus hebdomadatim per numerum septenarium dierum volvitur. Sub illius autem temporis varietate totum quod in Dei memoria, & posteà in hac Apocalypsi scriptum est, tanquam sub sigillis clauditur.

Intus & foris liber scriptus est, quia quidam eventus ab humano sensu remotiores, quidam viciniores sunt. Deinde duplici istâ Scripturâ, intrà & in dorso voluminis, significatur multitudo mysteriorum quæ hoc libro continentur, ut res tam multæ non potuerint interiori voluminis superficie comprehendi, sed etiam debuerint quædam in tergo describi.

Beda tamen, Richardus, & plurimi veterum, librum istum S. Scripturam interpretantur, qui scriptus est intùs per allegoriam, foris per historiam: intus per spiritualem intelligentiam, foris per litteram; intus ad spiritualiũ exercitationem, foris ad simplicium eruditionem: intus, ut secretum Sapientiæ immundis occultetur; foris, ut veritas mundis reveletur, ait Richardus.

Gagnæus verò, & quidam alij, solam veteris Testamenti Scripturam intelligunt, quæ scripta est intùs sensu spirituali, in quo Christus, & novum Testamentum latent, scripta verò foris sensu litterali.

2. ET VIDI ANGELUM FORTEM. Aliquem verisimiliter ex illis septem, qui Apoc. 1. v. 4. & cap. 4. v. 5. dicuntur adstare ante thronum Dei. Illi enim sunt septem ex ordine Principatuum, quorum ministerio utitur Deus in gubernatione universi, & salutis electorum, putanturque esse, Michaël, Gabriël, Raphaël, Uriël, Sealthiël, Jehudiël, & Barachiël, ut diximus Apoc. 1. v. 4.

Hic autem Angelus licet naturæ & gratiæ viribus fortis & validus, librum

libri, quem Deus ostendit Ezechieli, scriptum etiam intùs & foris: sive, *Epistographum*, ut Græci appellant, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ Templi, ac urbis Jerosolymitanæ per Chaldæos brevi evertendæ, Ezech. 2. v. 9. Sic etiam Zacharias vidit volumen volans, in quo scripta erant scelera, & supplicia futura Judæorum, Zach. 5. v. 1. Unde solet Deus per tales libros Prophetis suis repræsentare, quid lætum aut triste hominibus in futurum decreverit, & in memoriâ suâ, tanquam libro clauso, reservet.

5. ET VNVS DE SENIORIBVS. Illis 24. qui sedebant in circuitu Throni. Quis autem fuerit ille, nemo scire potest. Quidam divinando conjectant fuisse S. Matthæum, ut narrat Lyranus, quia quod mox sequitur de Leone de tribu Juda, affine est illi, quod S. Matth. refert, Christum dixisse, *data est mihi omnis potestas* &c. Matth. 28. v. 18. Sed hęc conjectura est tenuis. Deinde S. Matth. unum erat ex 4. animalibus potius, quàm ex 24. Senioribus. Quo etiam argumento refelli potest Alcazar, qui S. Lucam fuisse existimat. DIXIT MIHI. Ad consolationem meam. NE FLEVERIS. Nam inventus est, quem lacrymis istis requirebas. ECCE VICIT LEO. Omnium difficultatum & obstaculorum, quæ apertionem libri impediebant victor & superior effectus est ille Leo: sic enim græcè etiam verti potest, ut fiat vis in articulo græco, qui voci, *Leo*, præponitur. DE TRIBV IVDA. Propter alterum articulum græcum verti iterum potest, *ille de tribu Iuda*; id est, singularis ille, & nominatus Leo, qui à Patriarcha Jacob morituro prædicitur nasciturus ex tribu Juda: *Catulus Leonis Iuda & requiescens accubuisti ut Leo*, Gen. 49. v. 9. Sicut enim Leo fortissimus & Rex est omnium animalium: ita Christus secundum naturam etiam humanam quam ex tribu Juda accepit omnium creaturarum Rex est, & potentiâ ac fortitudine longè omnes superat, cùm ei à patre *data sit omnis potestas in Cælo & in terra* Matth. 28. v. 18. Unde mortem, peccatum, & diabolum etiam vicit, quando *expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ad Colos. 2. v. 15. RADIX DAVID. Virga sive virgultum de radice Davidis pullulans & ascendens. Hebræi enim per metonymiam virgultum vocant radicem, nomen causæ tribuentes effectui. Vel certè, Christus est radix ex semine David procreata, ex qua arbor & innumeri rami, flores & fructus electorum succo gratiæ pullulant & aluntur. Propter articulum græcum verti potest, *Illa radix David*, cujus scilicet magnifica mentio est apud Prophetam, *Egredietur virga de radice Iesse*, Isa. 11. v. 1. Item, *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, Isa. 53. v. 2.

APERIRE LIBRVM. Ut aperiat librum. ET SOLVERE SEPTEM SIGNACVLA EIVS. Et ut solvat &c. Quia enim est Rex, Dux, & Conditor Ecclesiæ militantis, ideò ipsi etiam ut homini, per scientiam infusam, revelatus est integer status Ecclesiæ, & quidquid illi eveniet in futurum usque ad finem mundi. Hinc quando de consummatione mundi dicit, *De die illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, Marci 13. v. 32. non negat filium, ut hominem, absolutè hoc scire, sed tanquàm patris legatum, quia inter articulos legationis suæ non habebat, ut illud secretum hominibus revelaret.

6. ET VIDI. Et aspexi versùs thronum, declinando oculos ab illo seniore, qui mihi loquebatur. ET ECCE IN MEDIO THRONI. In medio spatio ante thronum, juxta pedes Dei in throno sedentis, sicut, *in medio sedis*, seu *throni*, accipiendum diximus Apoc. 4. v. 6. ET QVATVOR ANIMALIVM. Nam quatuor animalia erant in circuitu throni, ita ut thronum & Agnum intra circuitum suum includerent. ET IN MEDIO SENIORVM. Qui adhuc ampliori circuitu, tam 4. animalia, quàm Agnum & thronum includebant. AGNVM STANTEM. In pedes suos erectum, non autem jacentem, ut exponit Alcazar propter id quod sequitur. TANQVAM OCCISVM. Tanquam si aliquando occisus fuisset (sicut reverà occisus fuerat) quia in corpore ejus adhuc vulnerum cicatrices apparebant. Particula, *tanquam*, non similitudinem tantùm, sed veritatem occisi hîc significat. *Occisus* autem non est hîc nomen, sed participium præt. temporis, ut ex græco patet.

Alij, *tanquam occisum*, interpretantur, quasi non tam occisus, quàm brevi somno prostratus fuerit, quandoquidem tam citò resurrexerit à mortuis. Sed Agnus iste videtur aliqua signa præteritæ occisionis in corpore suo gestasse, quæ S. Ioannes adverterit. Ex constitutione autem corporis Agni sciri non poterat, an citò, an tardè resurrexisset.

Stat autem Agnus, quia licèt anteà occisus jacuisset, jam tamen surrexerat à mortuis. Deinde stat, tanquam advocatus noster juxta thronum Patris. In medio autem, inter thronum & animalia ac Seniores stat, quia *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, 1. ad Tim. 2. v. 5. Deinde omnes ad eum, velut in medio positum, intendunt, ut ab ipso pariter, licèt non æqualiter, dona gratiarum accipiant, inquit Richardus.

Quem anteà vocavit leonem, jam Agnum appellat, quæ tamen duo animalia moribus & naturâ maximè distant. Sed in Christo etiam ut homine, utriusque animalis similitudo invenitur. Leo est potentiâ, fortitudine, & iracundiâ erga hostes; Agnus humilitate & mansue-

tudine

tudine erga amicos. Præterea Agnus est maximè, quia *ficut ovis ad occisionem ductus est, & quasi Agnus coram tondente se obmutuit*, Isa. 53. v. 7. Deinde, quia est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, figuratus olim mactatione Agni Paschalis, & duorum illorum Agnorum, qui quotidie manè & vesperi offerebantur in iuge sacrificium.

HABENTEM CORNVA SEPTEM. Etiamsi sit Agnus, non tamen est instar aliorum imbecillis, sed in capite gerit 7. cornua, quibus ventilat inimicos, & amicos defendit. Unde licèt toto corpore speciem Agni, & plurimum de mansuetudine Agni habeat, cor tamen, ubi animis opus est, leoninum, & caput taurinum, & quidem 7. cornibus armatum gerit, quod perfectam & omnipotentem fortitudinem significat, quia numerus septenarius, ut Apoc. 1. v. 4. diximus, est numerus perfectionis & universitatis. ET OCVLOS SEPTEM. Ita ut unumquodque cornu oculum suum juxta se in fronte defixum habeat: ut Agnus iste non tantùm sit fortis in agendo, sed etiam prudens & perspicax in providendo. Exponens autem, quid sint illa septem cornua, & 7. oculi addit. QVI SVNT SEPTEM SPIRITVS DEI. Quæ cornua & oculi idem significant, nempè 7. Angelos principales, quorum fortitudine & perspicacitate utitur Agnus in Ecclesiæ suæ, & totius universi gubernatione: sunt enim cornua oculata, quorum fortitudo non est cœca, & temeraria, sed oculis & sapientiâ mentis regitur.

Sicut ergo Apoc. 4. v. 5. exposuit, quid essent septem lampades ardentes, nempe 7. spiritus Dei; ita hîc etiam manifestat, eosdem Angelos significari per 7. cornua oculata Agni, quæ sunt septem principalia viventia instrumenta fortitudinis, & providæ sapientiæ Agni.

Ad horum Spirituum oculatorum similitudinem, Archidiaconi, id est, principales ministri Episcoporum in Ecclesijs cathedralibus, vocantur oculi Episcoporum, quia Episcopi per eos diœcesibus suis provident, & eorum vigilantiâ & prudentiâ eos gubernant.

MISSI IN OMNEM TERRAM. Qui ex officio mitti solent ad Ecclesiæ toto orbe dispersæ, & totius Universi gubernationem. Beda tamen, Haymo, Richar. Arethas, & veterum interpretum plurimi, hos septem spiritus Dei, mysticâ potiùs quàm litterali intelligentiâ, 7. S. Spiritus dona interpretantur, quæ propter eminentiam potestatis, cornibus, propter gratiæ illuminationem, oculis comparantur, inquit Beda. Mittuntur autem in omnem terram, quia de omni terra aliquos Spiritus S. per dona sua, ad regni cælestis celsitudinem, tanquam cornibus eventilat, & ad spiritualium bonorum contemplationem, radijs oculorum illuminat, ait Richardus.

7. ET VENIT. Tanquam homo, & eatenus Patre, & Deo sedente in throno minor: minoris enim est accedere ad majorem ET ACCEPIT. Primore pede, tanquam manu: sicut enim Agnus ille reverà erat homo, sub imagine Agni apparens, ita pede videbatur uti tanquam manu. Unde etiam 4. animalia statim v. 8. dicentur cum 24. Senioribus habuisse citharas & Phyalas aureas, quas leo, vitulus, aquila sine dubio pedibus, tanquam manibus, tenere videbantur. DE DEXTERA SEDENTIS IN THRONO LIBRUM. Non tamen tunc demùm accepit, quando S. Ioannes hoc vidit, ut notat Carthus. sed à primo instanti Incarnationis Deus humanitati Christi illum librum porrexit, & potestatem dedit solvendi signacula, quando omnium rerum futurarum scientiam illi infudit. Vidit ergò tunc S. Joannes, quod anteà factum fuerat.

8. ET CUM APERUISSET LIBRUM. Græcè, *Cum accepisset librum:* & inciperet solvere primum libri signaculum, ut illum aperiret. Non enim adhuc librum planè aperuisse poterat, cùm priùs oporteret solvere septem signacula, quæ tantùm resolvuntur seqq. capitibus, & solùm initio capitis 6. S. Joannes primum signaculum perfectè resolutum viderit. Itaq; quod textus noster habet, *Cùm aperuisset librum* (quo modo etiam quidam codd. græci legunt) oportet interpretari, cùm aliquam primi signaculi aperturam fecisset ad illud aperiendum, & reliqua signacula, ac tandem ipsum librum. QUATUOR ANIMALIA, ET VIGINTI QUATUOR SENIORES. Inde conjectantes, Agnum habere potestatem aperiendi librum. CECIDERUNT CORAM AGNO. Eum ob tantam potestatem & dignitatem adorantes. Nec tantùm genua flectunt, ut notat Rupertus, sed in facies suas cadunt, quod est signum perfectæ adorationis: quos imitantur Religiosi, quando toto corpore prostrati Christum adorant. HABENTES SINGULI CITHARAS. Quibus Dei & Agni laudes & gloriam personabant. Licèt autem vox, *singuli*, expressè solùm referatur ad viginti quatuor Seniores, eadem tamen est ratio quatuor animalium, quæ etiam Apocalyp. 4. v. 9. dicuntur dare gloriam & honorem sedenti super thronum.

Animalia verò hæc symbolica, quia reverà homines, & quatuor Euangelistæ erant, visa sunt pedibus primoribus tanquam manibus citharas pulsasse. Quatuor enim Euangelia sunt citharæ, quæ toto orbe Christi & Dei laudes sonant. Et velut Amphionis & Orphei citharæ, feras, arbores, lapides, suavitate cantûs attrahebant, id est, homines duros & feros ad humanitatem emolliebant: ita Euangelistarum citharæ barbaras & efferas nationes, ut Clemens Alexan. differit, ad suave

ad ſuave Chriſti & Religionis jugum adducunt. Et quidem longè potentius, quàm Amphionis & Orphei citharæ, quia ſonante foris Euangelicâ prædicatione, Pater corda auditorum movet, & attrahit ad filium: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*, Ioan. 6. v. 44.

Tropologici paſſim per citharam, mortificationem intelligunt, quia cithara ex ligno mortuo & ſicco conficitur: animus enim in corpore mortificato meliùs & ſuaviori in auribus Dei melodiâ, divinas laudes reſonat. Tenduntur verò in eo, tanquàm in cithara, cordæ operum paſſiones mortificantium, aliæ magis, aliæ minùs, prout virtutum concentus, & harmoniæ ſuavitas exigit.

Quidam recentiores adeò hunc locum ad litteram intelligunt, ut putent, Sanctos in cælo habituros veras & proprias citharas, aliaque muſica inſtrumenta, ut majori ſtrepitu, & ſuaviori melodiâ Deum laudent, & ſenſum auditus demulceant. Sed cùm per ignem conflagrationis, omnia mixta, præter hominem, reſolvenda & conſumenda ſint, nulla tunc poſt reſurrectionem amplius erunt ligna, & materiæ cithararum aut organorum, niſi quis fingat, ex materia quadam alia, & cæleſti fabricanda eſſe.

Itaque exaltationes Dei potius erunt in gutture eorum, Pſal. 149. & fauces, lingua, dentes, labia, quibus cæleſtem empyrei auram mirâ arte & ineffabilibus modis frangere, & articulatè modulari poterunt, pro citharis, lyris, tubis, & organis inarticulatis ipſis erunt, & ſonitum ſuaviorem efficient.

ET PHYALAS AVREAS. Quales erant illæ centum in templo Salomonis, 2. Paral. 4. v. 8. ad vinum & alia libamina fundenda in ſacrificijs. S. Hieronymus interdum pro Phyalis, *mortariola* vertit: erant autem lagunculæ ventre tumidiori, ideòque, juxta Richardum, & pleroſque veteres interp. corda Sanctorum charitatis igne dilatata, & aureo fulgore lucentia ſignificant. PLENAS ODORAMENTORVM. Qualis olim erat compoſitio Thymiamatis, ex ſtacte, onycha, galbano & thure in tenuiſſimum pulverem redacti, ſicut Exodi 30. v. 34 præſcribitur. Quid verò iſta odoramenta ſignificent, mox dicit. QVÆ SVNT ORATIONES SANCTORVM. Fumi enim thuris & odoramentorum in cælum ſcandentium, orationes & elevationes mentis in Deum in Scripturis ſignificant: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*, Pſalm. 140.

Animalia ergò, & 24. Seniores, non tantùm citharas ad laudandum cantu muſico Deum, ſed etiam phyalas plenas odoramentorum in

manibus tenent, ut significent, instrumentorum & faucium cantus nullius momenti esse apud Deum, nisi laus cordis, & oratio mentis conjungatur.

Deinde citharas gestant, opera sua Deo, per cantus & laudes tribuendo: phyalas verò, orationes aliorum offerendo, inquit Richard. Quod tamen non placet Bezæ, nè indè probemus, Sanctos in cælis offerre orationes nostras, & orare pro nobis. Ideò Beza hujus loci interpretationem ad Act. 10. v. 4. remittit, ubi dicuntur orationes Cornelij ascendisse in memoriam in conspectu Dei: unde per phyalas plenas odoramentorum vult tantùm significari orationes peregrinantium in terris, non beatorum in cælis. Sed frustrà, cùm etiam Christus ipse jam in cælis orationes nostras Patri offerat & interpellet pro nobis, ad Rom. 8. v. 34. Deinde Jerem. 15. v. 1. significatur quod Moyses & Samuel, & 2. Mach. ult. v. 14. quòd Jeremias ex limbo orent pro populo suo judaico. Si autem Sancti in limbo, ergò multo magis etiam beati in cælo orare possunt pro vivis.

9. ET CANTABANT CANTICUM NOVUM. Sacramenta novi Testam. quæ in Christo sunt completa, inquit Beda; mysteria nempè Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Agni, & Redemptionis humani generis pretio Patri jam oblato: quæ omnia erant materia cantici novi, quia veteris Testam. Patres hæc cantare non poterant, sed solùm tempus talium gaudiorum à longè in futurum prospicere, & suspirando potiùs, quàm cantando clamare, *Utinam dirumperes cælos, & descenderes!* Isa. 64. v. 1. DICENTES, DIGNUS ES DOMINE. Agnum Dominum suum vocant, tanquam servi ejus emptitij, ut mox dicent. ACCIPERE LIBRUM. In quo descripta sunt futurorum sæculorum secreta. ET APERIRE SIGNACULA EIUS. Ut legas, & alijs per revelationem illa secreta communices. QUONIAM OCCISUS ES. Unde sicuti quædam alia præmia, ut gloriam corporis, & glorificationem tui nominis morte tuâ promeritus es; ita etiam potestatem aperiendi librum secretorum Dei, & ea revelandi alijs; licèt omnia ista alio etiam titulo, propter divinæ quam geris personæ dignitatem, tibi deberentur. ET REDEMISTI NOS DEO. Ut simus Dei, qui antea eramus diaboli. Unde loquitur de efficaci, & propria illa redemptione, quæ spectat ad electos; qui sunt peculiariter Dei, & populus Dei, de quibus Christus ad patrem dicit: *Tui erant, & mihi eos dedisti*, Joan. 17. v. 6.

In græco non est verbum compositum, *redemisti*, sed simplex, *emisti nos:* non enim propriè empti à diabolo, oblato pretio, anteà fueramus,

ramus, sed tanquam bello capti ei serviebamus: *à quo enim quis superatus est, huius & servus est*, 2. Pet. 2. v. 19.

Loquuntur autem 4. animalia, & 24. Seniores isti nomine Ecclesiæ omnium Electorum, sicuti solet Magistratus nomine totius populi, ut mox patebit.

IN SANGVINE TVO. Hoc enim fuit pretium magnum istius emptionis: *empti estis pretio magno* 1. ad Cor. 6. v. ult. EX OMNI TRIBV. Ex omni cognatione. Non quasi nulla tribus sit ex qua aliqui non sunt redempti; sed quia quicumque ex aliqua tribu redempti sunt, tu eos redemisti; sicut similes Scripturas S. Augustinus solet explicare, declarans istâ similitudine: omnes intrant domum istam per ostium; non quòd omnes homines intrent, sed quia quicumque intrant, non aliunde, sed per ostium intrant. ET LINGVA. Ex omnibus hominibus eâdem linguâ utentibus: quod latiùs patet, quàm *Tribus*. ET POPVLO. Gradatim ascendit, nam iterùm populus latiùs patet, quàm homines ejusdem linguæ: populus enim, ut S. Aug. lib. 19. civit. c. 21. ex Cicerone definit, *est cœtus multitudinis, iuris consensu, & utilitatis communione sociatus*. Unde subditi ejusdem Principis, qui ijsdem legibus reguntur, unus populus sunt, & tamen sæpè linguis discrepant, ut in populo Belgarum cernimus. ET NATIONE. Quæ adhuc latiùs extenditur quàm populus, ut videre est in natione Germanica, quæ multos populos diversis principibus & legibus subditos complectitur.

Richardus tamen magis ingeniosè quàm verè, inverso modo hunc locum explicat, ut *Tribus* latissimè pateat, & sermo gradatim ad strictiora descendat. Tribus dicitur, inquit, à tribus ordinibus gentium filiorum Noë, in quibus sunt 72. linguæ: in singulis linguis plurimi populi; in unoquoque populo plurimæ nationes. Verum nec tribus dictæ sunt à triplici posteritate trium filiorum Noë, sed à populo Rom. initio in tres partes diviso. Nec S. Joannes ad 72. linguarum divisionem factam in turri Babel videtur respexisse, sed ad omnium linguarum in toto orbe discrimina, quæ sunt longè plures, quàm 72. licèt matrices cæterarum, præter linguas novi orbis, numerentur tantummodo sex, ut lingua Hebraica, Græca, Latina, Sclavonica, Germanica, Tartarica.

10. ET FECISTI NOS, Merito mortis tuæ. DEO NOSTRO REGNVM. Ut Deus noster regnet in nobis per gratiam, in quibus diabolus anteà regnabat per peccatum & concupiscentiam. Hàc significatione subditus regi populus, vocatur regnum Regis sui. Græcè tamen, *Fecisti nos Deo nostro Reges*: ut Deo nostro non simplices & vulgares subditi

subditi simus, sed subditi, qui etiam sint reges per gratiam tuam, quâ spiritus in corpore nostro regnat, domando pravas & rebelles concupiscentias. ET SACERDOTES. Et etiam fecisti nos sacerdotes, dum sacrificamus & *mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram*, ad Colos. 3. v. 5. & sic *exhibemus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, ad Rom. 12. v. 1. Sicuti ergo omnes electi qui tali sacrificio metaphorico seipsos mortificant, mactare se dicuntur tanquàm hostias; eâdem metaphorâ *Sacerdotes* sæpè in scriptura dicuntur: præter quos tamen sunt etiam quidam propriè dicti sacerdotes in Ecclesia. Vide quæ in simili sententia diximus Apocal. 1. v. 6. ET REGNABIMVS SVPER TERRAM. Atque ita, licèt serviemus tibi, erit tamen servitus regnans, quia servire tibi in hac terra morientium, nihil aliud est, quàm carnem, mundum, & diabolum subjugare, donec perveniamus ad possessionem terræ viventium, ubi sub te, capite & rege nostro, debellatis omnibus hostibus, in pace æterna tecum regnabimus.

Possunt etiam *sacerdotes* intelligi hîc non metaphoricè, sed propriè; non quòd omnes Christiani sint proprij sacerdotes, sed quia aliqui inter ipsos tales sunt: atque ita illud, *Regnabimus super terram*, intelligi potest, ut notat Carthus. de Sacerdotibus, Episcopis, & Pastoribus, qui sunt reges & principes Ecclesiæ militantis super terram; regunt enim spirituali regimine animas, & de Ecclesia militante ad triumphantem traducunt.

11. ET VIDI. Longiùs & ultrà consessum Seniorum oculos mentis attollendo. ET AVDIVI. Sicut visio, ita auditio ista spiritualis fuit. VOCEM ANGELORVM MVLTORVM. Voces humanas mente tanquam auditu, percipere sibi videbatur; licet Angeli Deum laudent, non voce, quæ est ictus aëris, inquit Richardus, sed quæ est affectus devotionis. Angeli enim eo sublimius laudem creatoris concinunt, quo se magis in ejus amorem extendunt. Aut certè, vox angelicæ laudis, ait S. Gregorius, est admiratio intimæ contemplationis. IN CIRCVITV THRONI. Thronus enim erat quasi centrum illius circuli. ET ANIMALIVM. Quæ proximè erant circa thronum. ET SENIORVM. Qui remotiores erant à throno. Unde multitudo illa Angelorum suo circuitu includebat Seniores, animalia, & thronum, ad augendam majestatem sedentis, qui tot & talibus stipatoribus cingebatur. Deinde Angeli suo circuitu vallant Sanctos, in periculo labentis sæculi adhuc constitutos, ut contra reproborum spirituum impetus defendant, ait Richardus. ET ERAT NVMERVS EORVM MILLIA MILLIVM. Innumerabilis numerus: sic enim loqui solemus, quando nume-

numerum maximum, & nobis innumerabilem exprimere volumus, *nunquid enim est numerus militum eius?* Job 25. v. 3.

Si autem numerus Angelorum infimæ solùm hierarchiæ, qui custodiunt Ecclesiam, sit tam innumerus, quantus erit superiorum hierarchiarum, cùm secundùm Dionysium Areopagitam, quò Angelorum chori sunt sublimiores, eò sint multitudine numerosiores, adeo ut juxta S. Thomæ philosophiam 1. p. quæst. 50. art. 3. quantùm corpora superiora in universo magnitudine inferiora superant, tantùm chorus superior Angelorum inferiorem multitudine excedat. Unde sicut tota regio sublunaris est modicum quid, ait S. Thomas, si ad magnitudinem cælorum comparetur; ita numerus Angelorum numero substantiarum materialium est incomparabiliter major.

12. DICENTIVM VOCE MAGNA. Magnitudo vocis significat magnitudinem affectus, & admirationis sapientiæ & bonitatis Dei, in tota œconomia Redemptionis generis humani. Si enim *gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente,* Lucæ 15. v. 7. quantum super omnium electorum salute gaudium, quanta exultatio erit? DIGNVS EST AGNVS QVI OCCISVS EST. Etsi tam infirmus in sua morte apparuerit. ACCIPERE VIRTVTEM ET DIVINITATEM. Encomia & titulos summæ potentiæ & Divinitatis. Nam morte suâ istam nominis sui exaltationem promeruit.

Virtus, & *divinitas* &c. metonymicè pro encomio & titulo virtutis & Divinitatis accipiuntur, quo modo nomen objecti solet actibus, qui circa ipsum versantur, attribui, ut Apocal. 4. v. 11. diximus. Unde patet, hunc locum non favere Nestorio, qui Christum purum hominem, sanctitate vitæ meruisse Divinitatem dixit, sive, ut persona divina humanæ personæ se conjungeret. Posuit enim Nestorius duas in Christo personas.

Græcus tamen non, *divinitatem*, sed, *divitias* legit, quæ duæ voces in lingua græca, θειότης, &, πλοῦτος, longissimè à se distant, ut una in aliam propter vicinitatem non facilè commutari potuerit. Vnde Barth. Petrus credit, nostrum interpretem vertisse, *divitatem*, vocabulo abstracto & ficto à *dives*; quod posteà librarij non intelligentes, unâ syllabâ additâ, mutaverint in, *Divinitatem:* vixisse enim videtur noster Interpres sub Impp. Antoninis, quando multi eruditi, veteris eloquentiæ amore, verba latinæ linguæ obsoleta revocabant in usum, aut etiam nova interdum, ad expressius aliquid significandum, liberius fingebant, ut in Suetonio, A. Gellio, Apuleio, Tertulliano, & alijs illorum temporum scriptoribus est videre. Aut certè pro, *divitias*,

interpres consulto vertit, *Divinitatem*, ut significaret, fontem omnium tam temporalium, quàm spiritualium divitiarum, quæ in creaturas rationales manant, esse divinitatem, & infinitum illud boni pelagus undique sui diff sivum.

ET SAPIENTIAM. Quâ susceptam humani generis redemptionem sapientissimè, & miris ac ineffabilibus modis ad finem perduxit. ET FORTITVDINEM. Quâ hostes suos aëreas potestates debellavit. ET HONOREM, ET GLORIAM, ET BENEDICTIONEM. Vide supra Apoc. 4. v. 9. nisi quod, *benedictio*, ibi gratiarum actionem, hîc verò propriam benedictionem, quâ quis laudando benedicitur, significet, ut in græco patet.

13. ET OMNEM CREATVRAM, QVÆ IN CÆLO EST. Ut præter Angelos, etiam sidera, aquæ quæ super cælos sunt, nubes & volucres cæli: nam cælum hîc accipitur, ut sæpe aliàs, pro aggregato omnium corporum transparentium, à globo terræ & aquæ, usque ad mundi culmen. Non tantum autem creaturæ rationales, sed etiam insensibiles per prosopopœiam, dicuntur laudare Deum, quia contemplatione sui creaturam rationalem ad creatoris laudem excitant. ET SVPER TERRAM. Ut homines, pecora, ligna, montes, colles, maria, flumina, &c. ET SVB TERRA. Animæ piæ defunctorum, quæ ibi purgantur: deinde dæmones & damnati, intellectu quo agnoscunt Deum laudabilem, etsi non affectu, eum laudant; denique lapides, metalla, & subterraneæ abyssi: *Vt in nomine* Dei & *Iesu* Christi *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur*, &c. ad Philipp. 2. v. 10. ET QVÆ SVNT IN MARI. Ut pisces & quidquid perambulat semitas maris. ET QVÆ IN EO. Ita, inquàm, etiam omnia quæ sunt in mari usque ad minimas arenas, licèt sub aquis marinis nulla creatura rationalis habitet quæ cognoscat Deum. Videtur enim istâ repetitione ideo peculiariter confirmare, quòd ea, quæ sunt sub mari, etiam laudent Deum, quia nulla creatura il[illegible], quæ Deum agnoscat, sicut est in cælo, in terra, & sub terra. [illegible]æca tamen hodie pluraliter legunt, *Et ea, quæ in eis*, id est, & universim ea, quæ sunt in creaturis illis, quas jam enumeravi. OMNES AVDIVI DICENTES. Cum enim miramur, & dicimus, Magnus Deus, qui hæc fecit; creaturæ illæ loquuntur & laudant Deum de vocibus nostris, ait S. Augustinus Psal. 148. SEDENTI IN THRONO ET AGNO. Regnanti Divinitati, & Humanitati unitæ Divinitati, inquit Richardus. POTESTAS. Græce, *robur*, quo inimicos suos quamvis rebelles subjugat, & scabellum pedum suorum ponit. Cætera

V. 12.

v. 12. & Apocal. 4. v. 9. exposuimus.

14. ET QVATVOR ANIMALIA DICEBANT, AMEN. Ita sit, ita fiat. Ad officium enim Euangelistarum & concionatorum maximè spectat, divinæ laudis testimonia confirmare, inquit Richardus, imò in choris laudantium Deum debent alijs præcinere.

ET VIGINTI QVATVOR SENIORES CECIDERVNT IN FACIES SVAS. Et corpore & mente ante Dei & Agni tantam majestatem se prosternentes. ET ADORAVERVNT. Excitati laudibus omnium creaturarum. Ad Episcopos enim, Prælatos & Pastores Ecclesiæ, quos illi 24. seniores repræsentant, maximè spectat, voces creaturarum laudantium Deum audire, id est, Dei in eis opificium & gubernationem attendere, & illam infinitam potentiam & sapientiam quadam admirationis extasi frequenter adorare. VIVENTEM IN SÆCVLA SÆCVLORVM. Vitâ æternâ & indefectibili, ut semper sit fons plenus, unde omnis naturæ, gratiæ, gloriæ vita, & omne esse creaturæ, cum omnibus suis perfectionibus & modis perpetuò fluere, & conservari possit.

CAPVT VI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agnus sex prima sigilla libri clausi aperit, & S. Ioannes videt quatuor equos, & alia, quæ ad apertionem singulorum sigillorum se manifestant. Septimi verò sigilli apertio usque ad c. 8. differtur. In ista autem apertione septem sigillorum, manifestantur per figuras septem Ecclesiæ status, quibus exactis aperitur liber, in quo legitur ultimus status Ecclesiæ sub imperio Anti-Christi

Vers. 1.

ET VIDI, QVOD APERVISSET AGNVS. Pergit S. Joannes Christum appellare Agnum, quasi istud proprium nomen ejus esset; ut significet, & Ecclesiam, & omne Ecclesiæ bonum ex mactatione & Sanguine illius Agni profluxisse. VNVM DE SIGILLIS SEPTEM. Primum in ordine, quo septem illa sigilla claudebant oblongum libri volumen. *Vnum*, autem pro, *primum*, hîc accipitur more Hebræorum, ut, *dies unus*, Gen. 1. v. 5. *Vna sabbatorum*. Marci 16. v. 2. unde S. Joannes versu 3. sigillum, quod post hoc primum aperitur, secundum appellat. ET AVDIVI VNVM DE QVA-

TVOR ANIMALIBVS. Quod animal primum simile Leoni appellavit Apoc. 4. v. 7 Unde hîc iterùm, *unum*, pro, *primum*, accipit. DICENS, TANQUAM VOCEM TONITRVI. Quasi magna & stupenda loqueretur de conversione totius mundi ad Christum, per tonitrua prædicantium, & miraculorum coruscationes.

Congruebat autem ad intuendum primum hunc nascentis Ecclesiæ statum à Leone primo animali S. Joannem invitari, quia in hoc statu Christus fortitudinem Leonis, in debellandâ tam citò infidelitate, maximè ostendit. Deinde per Leonem significari putatur S. Marcus, qui in fine Euangelij sui plura & expressiora de Apostolorum prædicatione, & primo Ecclesiæ post Christi resurrectionem statu, quàm cæteri Euangelistæ, dixit.

VENI. Per affectum & attentionem. ET VIDE. Per spiritualem intelligentiam, quâ S. Joanni non tantum figuræ rerum, ut nobis; sed res ipsæ figuratæ spirituali lumine manifestabantur. Jubetur ergo accedere, ut illuminetur. Apposité autem per 4. animalia, seu 4. Euangelistas admonetur, ut status futurorum Ecclesiæ temporum contempletur, quia Euangelistæ Christi vitam, & miracula describentes, multa de temporibus istis prænuntiaverunt.

2. ET VIDI, ET ECCE EQVVS ALBVS. Subitò, quasi sub sigillo latuisset, in medium ante sedentem in throno prodijt, ut primus iste Ecclesiæ status cæterique ordine suo, non casu evenisse, sed sub Dei providentia exivisse significentur. Candor autem primi equi gaudium & lætitiam primi status Ecclesiæ significat, sub Tiberij, Caligulæ, & Claudij Imperio: alba enim festiva, nigra lugubria sunt.

Inter plurimas autem quatuor istorum equorum interpretationes ea maximè videtur verisimilis, quæ quatuor primos Ecclesiæ status sub Apostolis, sub Tyrannis &c. designari credit. Nam Spiritui S. pœnè familiare est, per similes bestias, de Regnis, & Regnorum statibus Prophetas suos instruere. Sic Dan. 7. per leænam, ursum, pardum, & bestiam sine nomine omnium terribilissimam, quatuor Regna, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, sunt significata: eademque regna per 4. quadrigas equorum ruforum, nigrorum, alborum, & maculosorum repræsentantur Zach. 6.

Ad singulorum autem sigillorum apertiones apparent equi, vel aliæ rerum figuræ, ut sub sigillorum istorum involucris, varij rerum futurarum status tanquam absconditi fuisse videantur, per quos Ecclesia transire debet, antequam ad integram apertionem, & lectionem libri perveniatur, in quo extrema tempora Anti-Christi, & secundi adventus

ventus

ventus Christi describuntur: Veluti enim Prophetæ veteris Test. varias res lætas aut luctuosas, populo suo eventuras tempore stantis synagogæ usque ad primum Christi adventum prædixerunt: ita S. Joannes novi Test. Propheta, varios Ecclesiæ status & casus prophetat, qui divinâ providentiâ evenire debent ante secundum Christi adventum.

ET QUI SEDEBAT SUPER ILLUM. Nempè Christus Dominus, ut SS. Patres, post antiquissimum Irenæum lib. 4. cap. 38. ferè interpretantur. Christus enim in primo Ecclesiæ statu, prædicatoribus Euangelicis, tanquàm equis albis insidebat, & celerrimo cursu in omnem terram vectus, infideles, non homines, sed infidelitatem eorum interficiebat. Unde sequitur. HABEBAT ARCUM. Euangelicam prædicationem, cujus sagittæ erant verbum Dei: hoc enim telo, corda infidelium configebat. Igitur prædicator Euangelicus tanquam equus albus, equitem Christum, arcu, pharetrâ, & sagittis armatum, tantummodo vehit, ictus & vulnera ab equite hostibus infliguntur, quia in negotio fidei, & conversionis infidelium, *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*, 1. ad Cor. 3. v. 7. Hoc Apostolico equo albo, & arcu Euangelico, Christus ab Ascensione sua. i. ab anno circiter 18. Imperij Tiberij Cæs. per sequentem Caligulæ & Claudij principatum, usq; ad initium Neronis, spatio annorum solùm 24. totum ferè orbem notum, per Asiam, Europam & Africam latissimè sibi subjecit: Deo providente, ne tres isti primi Imperatores Euangelio resisterent, sicuti posteà ab alijs factum est. ET DATA EST EI. A patre. CORONA. Regia potestas, quâ in Judæis & gentibus regnaret, ac eos Ecclesiæ suæ imperio subijceret: ipse enim *constitutus est rex ab eo super Sion*, id est Ecclesiam, *montem sanctum ejus, prædicans*, per se & Apostolos suos, *præceptum ejus*, Psal. 2. Unde Pater ei promittit, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* Psal. eodem. Licet autem hæc regia potestas data sit Christo homini in ipsa Verbi Incarnatione; phrasi tamen Scripturæ dicitur dari, quando primum exercetur, & hominibus manifestatur. ET EXIVIT VINCENS. Et statim atque exire cœpit per prædicationem Euangelicam, vincere & dominari in medio inimicorum suorum, & populi sub ipso cadere cœperunt, quia sagittæ ejus acutæ in corda inimicorum Regis, Psal. 44. Hinc ad primam concionem S. Petri, tria millia, Act. 2. v. 41. ad secundam quinque millia infidelium Judæorum spiritualiter occisa sunt, Act. 4. v. 4. Sagittæ enim gratiæ Christi initio statim novæ Ecclesiæ in gentem suam judaicam densissimè depluerunt, ut Deus

ut Deus ostenderet, quomodo lex vetus Judæis fuisset pedagogus ad Christum, ad Gal. 3. v. 24. De istis enim primis Judæis ad fidem conversis hunc Apostoli locum præcipuè explicat S. Augustinus, non de Judæis ante Christi adventum, quorum paucissimi, inquit, ad Christum & salutem pervenerunt. Nunc verò usque ad sæculi finem, dura corda Judæorum sagittas illas non amplius sentiunt. In fine tamen reliquiæ eorum iterum convertentur, *quia jam cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & si omnis Israël salvus fieret*, ad Roman. 11. v. 25. UT VINCERET. Et victorias suas continuaret, debellando & convertendo etiam Gentes; quod per Apostolos missos in omnem terram, & præcipuè per doctorem Gentium Paulum perfecit: istos enim primum ex gente Judæorum vicit, ut per ipsos gentes cæteras vinceret.

3. ET CVM APERVISSET SIGILLVM SECVNDVM. Ordine temporis, aiunt quidam; sed potiùs, secundum ordine situs localis, quia septem illa sigilla ordine & serie quadam disposita erant in volumine libri. AVDIVI SECVNDVM ANIMAL. Vitulum nempè, ut patet Apocal. 4. v. 7. DICENS VENI, ET VIDE. Nullum animal poterat convenientiùs S. Ioanni revelare statum hunc secundum Ecclesiæ, in quo tot martyrum Myriades cæduntur gladijs more bidentium & vitulorum, quàm vitulus S. Lucæ, animal sacrificio & immolationi destinatum.

4. ET EXIVIT ALIVS EQVVS RVFVS. Colore suo significans secundum Ecclesiæ statum, sanguine martyrum rubentem. Incæpit verò à Nerone, cujus Imperij anno 10. qui erat Christi 66. mota est prima persecutio in Christianos, duravitque usque ad tempora Constantini Magni, qui anno Christi 306. circiter imperare cæpit.

Igitur equi rufi & innumerabilium martyrum sanguine cruentati sunt, hi præsertim temporis intermedij Imperatores, Nero, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, Septimius Severus, Julius Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, & denique ominum cruentissimi Diocletianus & Maximianus.

Nec insolitum est, ut Prophetis per equos rufos Imperia sanguinolenta repræsententur: nam per rufforum equorum quadrigam, Nabuchodonosor & alij Chaldæorum reges sanguinarij demonstrati sunt, Zach. 6. v. 2. In equis etiam superbis, & petulantibus animalibus, nisi labore edomentur, aptissimè reges & principes figurantur, quos potentia & opes equis indomitis similes sæpè faciunt.

ET QVI SEDEBAT SVPER ILLVM. Diabolus, qui tyrannis illis cruen-

cruentis, tanquam equis rufis insidens, ferro, & omni genere tormentorum, novam Christi Ecclesiam exscindere voluit.

Alij insessorem equi rufi dicunt esse Neronem, & quemvis alium Ecclesiæ persecutorem. Sed potiùs per equum rufum, quàm per ejus insessionem Nero, & persecutores repræsentantur: unde sicuti Christus equi albi, sive prædicatoris Euangelici insessor fuit; ita magis concinnè diabolus dicitur cruentis tyrannis inequitare, & per eos, tanquam animata instrumenta, efficere quæ sequuntur.

DATVM EST EI. Concessum sive permissum est à Deo. Quando enim Deus potestatem Diaboli relaxat, tollendo frænum, quo anteà eum coërcebat, more loquendi Scripturæ, dicitur ei dare potestatem. UT SVMERET PACEM DE TERRA. Ut excitando tyrannos, & calcaria quasi subdens equis suis, tolleret pacem & quietem, quâ primi Christiani ubique ferè terrarum fruebantur. ET VT INVICEM SE INTERFICIANT. Ut alij alios, tyranni videlicet, & eorum satellites interficiant Christianos: non autem quasi Martyres bello dimicent contra persecutores, & occidant, occidanturque vicissim ab ipsis, quandoquidem Christiani non canes, sed oves futuri essent inter lupos: unde pro, *invicem*, Arias vertit, *alij alios*. Horum temporum præscius Christus: *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum*, &c. inquit Matth. 10. v. 34. ET DATVS EST EI GLADIVS MAGNVS. Magna potestas interficiendi. Imperium enim Rom. per Europam, Asiam, Africam latissimè diffusum, maximus gladius erat, quo ubique terrarum ferire poterat Christianos. Imò sub Christianorum sævissimis omnium persecutoribus & tyrannis Diocletiano & Maximiano, maximum & victoriosissimum Rom. Imperium fuit: nam Diocletianus de Gothis, Bastarnis, Carpis, Sarmatis, Quadis, Ægyptis, Persis: Maximianus verò de Francis, Alemannis, Britannis, & Mauritanis triumphavit. Cùm verò duo isti Cæsares omnibus bellis victores essent, felicitatem istam propter persecutionem Christianorum à Dijs sibi rependi existimabant; unde crudeliùs in dies sæviebant: & hinc factum est, ut Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente, innumerabilem Christianorum multitudinem varijs supplicijs trucidaverint, statuerintque Christianismum toto orbe extinguere. Quod secùs omninò accidit: nam sicut Deus in primo Ecclesiæ statu, seminatione verbi, fidem voluit crescere; ita in secundo Martyrum sanguine voluit irrigari, & uberiùs germinare. Nam exemplo tantæ fortitudinis, & luce miraculorum, quæ undique in Martyrijs & Martyribus coruscabant, innumeri ad fidem convertebantur.

Non

Non benè igitur Viegas per equum rufum, solum Neronem intelligit; quia Diocletiani & Maximiani, imò aliorum Cæsarum tyrannorum gladius, tempore & loco major fuit, quàm Neronis. Pauco enim tempore persecutio Neronis duravit, nec extra Romanam urbem se extendit. Aliorum verò gladius diuturnior, & per omnes, aut plurimas Imperij provincias exivit. Unde unico mense numerata sunt 17000. Martyrum trucidata à Diocletiano. Quot millia triennio illo persecutionis Neronianæ occisa sint, numerari non possunt; & tamen laniena Diocletiani decennio toto duravit.

5. ET CVM APERVISSET SIGILLVM TERTIVM. Sub quo tertius Ecclesiæ status occultabatur. AVDIVI TERTIVM ANIMAL. Habens faciem quasi hominis, ut narravit Apoc. 4. v. 7. DICENS, VENI ET VIDE. Satis aptè animal simile homini invitat ad videndum homines; qui blanditijs fictæ humanitatis, & humanis argumentis oppugnaturi erant Ecclesiam. ET ECCE EQVVS NIGER. Quo tertius Ecclesiæ status ab hæreticis mirum in modum exagitatus figurabatur. Sicut enim veritas fidei lux est; ita hæreses, extinctâ veritatis luce, tenebræ; & vita hæreticorum, opera tenebrarum sunt: oculus enim eorum nequam, totum corpus tenebrosum facit, Matth. 6. v. 23. & plenum nigredine peccatorum, ut lib. 4. contra Iulian. cap. 3. loquitur S. Augustinus. ET QVI SEDEBAT SVPER ILLVM. Diabolus iterùm, qui ex equo rufo desilierat in istum equum nigrum. Ubi enim vidit, se externo bello per Imperatores infideles parùm profecisse, imò sanguine Martyrum potiùs accendisse, quàm extinxisse Religionis Christianæ fervorem; intestino & civili bello per filios Ecclesiæ à fide apostatas, sub Constantino Magno & deinceps, Ecclesiam aggreditur. Licet enim etiam tempore tyrannorum hæreses quædam exortæ fuissent; rariores tamen, nec tam subtiles & periculosæ, nec tam latè sparsæ: & persecutionibus gentilium tyrannorum ex patre reprimebantur, cum illi in hæreticos etiam, tanquam in Christianos, sævirent.

Tales igitur equi nigri, & inequitantis diaboli instrumenta fuerunt Donatus, Arius, Sabellius, Manichæus, Paulus Samosatenus; Photinus, Appollinaris, Macedonius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, & plurimi alij, qui ab anno Christi 300. usq; ad 500 & ultra, sub Imperatoribus Christianis, mirabiliter exagitarunt Ecclesiæ statum. Unde Deus, qui Ecclesiam suam non deserit, illis duobus sæculis adversus lupos istos, gregi suo de canibus egregriè providit, excitando sanctissimos & doctissimos Patres, quibus Ecclesia eo tempore maximè floruit, quales fuerunt Athanasius, Hilarius, Servatius, Basilius, Gregorius

gorius Nazian. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Leo, &c. Unde Augustinus Psal. 104. Ecclesiam sui temporis, propter scientiæ fulgorem, lunæ plenæ comparat, & cæcum esse ait illum, qui jam in isto plenilunio errat. Nam ut epist. 105. iterum dicit, Hæreticorum inquietudine, tanquam de somno ignaviæ, Catholicorum excitatur industria, ut vigilantius perscrutentur Scripturas, ut illis possit occurri, ne gregi Christi noceant.

Blasius Viegas per *equum nigrum* Imp. Rom. nigrum & luctuosum Judæis, per insessorem verò Titum Imper. qui Ierosolymam evertit, intelligit. Sed eversionem Judæorum prophetare, ad Prophetas veteris Testam. potiùs, quàm ad S. Joannem novi Testam. Prophetam, pertinuit: deinde Christus ipse Lucæ 19. v. 43. eversionem Jerosolymæ per Titum clarissimè prædixerat: & denique ipso jam facto res manifesta erat, ut non fuerit opus tam obscurè rem præteritam & notissimam à S. Joanne figurari. Eversa enim fuit Civitas anno primo Imp. Vespasiani, qui fuit Christi 72. cum tamen S. Joannes hanc Apocalypsin scribat circa annum 14. Imp. Domitiani filij Vespasiani, qui fuit annus Christi circiter 97.

HABEBAT STATERAM IN MANV SVA. Ut in staterâ suâ dolosâ librando & pensiculando Verbum Dei, falsam doctrinam, tanquam cibum vitæ ponderaret, & distribueret plurimis, anteà fidelibus, quibus pro pane venenum ministravit, & in hæresi enutrivit.

6. ET AVDIVI TANQVAM VOCEM. Vox enim non erat, quæ aures feriret, sed imago tantùm vocis, imaginatione aut intellectu apprehensa IN MEDIO QVATVOR ANIMALIVM. Et inde ad aures meas quasi trajectam. DICENTIVM. Igitur 4. animalia uno quasi ore vocem illam emittere videbantur: quatuor enim Euangelistæ multa de futurorum temporum hæreticis prænuntiaverunt. Græca tamen hodie, *dicentem*, legunt: unde multi Interpretes vocem illam, quam audivit S. Joannes, non ab animalibus, sed ab eo, qui erat in medio animalium, id est, à Deo sedente in throno, vel ab Agno qui erat juxta thronum, profectam interpretantur. BILIBRIS TRITICI. Græcè, *Chœnix tritici*, id est, mensura duarum librarum tritici, quæ tantum pendit, quantum panis homo unus die uno olim absumere solebat. Unde Patresfamilias per fidelem aliquem dispensatorem, solebant bilibrem chœnicem tritici admetiri in singulos dies singulis famulis. Unde Christus ad hunc morem respiciens, *Quis, putas, est fidelis dispensator, &c. ut det illis in tempore tritici mensuram*, ait Lucæ 12. v. 42. Interpres autem, *chœnix*, vertit, *bilibris*, substantivè, ut indicaret, non majorem chœnicem

 intelligi

intelligi, quæ 4. libras, sed chœnicem atticum minorem, quæ duas libras, sive 24. uncias pendebat, ex qua mensura, panis 32. unciarum confici poterat: nam lex certa naturæ est, ait Plinius, lib. 18. cap. 7. ut in quocumque genere frumenti, pani militari tertia portio ad grani pondus accedat.

De tali etiam Chœnice proverbiale illud Pythagoræ, *Chœnici ne insideas*, à Plutarcho intelligitur: quo significatur, ut homo non sit contentus mensurâ panis, quam eo die comedere potest, sed in futurum etiam prospiciat; quod quodammodo Christi præcepto contrarium est, *Nolite solliciti esse in crastinum*, Matth. 6. v. ult.

Denario. Decem assibus, scilicet vendetur, quantum erat diurnum militis stipendium sub Cæsare Augusto; quamquam sub Domitiano, quando hanc Apocalypsin scripsit S. Joannes, stipendium illud ad 15. asses excrevisset, ut lib 4. Dial. 16. de militia Rom. probat J. Lipsius. Significat ergo S. Joannes, magnam futuram spiritualis annonæ caritatem, cum 10. assibus ad solum unius Diei triticeum panem opus esset. Et tres bilibres hordei denario. Et tres chœnices, id est, sex libræ hordei vendentur 10. assibus: quia enim hordeum triplo vilius esse solebat tritico, tres chœnices hordei in pretio æquant unam chœnicem tritici. Unde significatur, quòd hordei pretium augendum sit ad proportionem tritici, & utrumque futurum valde carum, quia rarum.

Triticum autem, quia est cibus hominum, significat doctrinam & intelligentiam sublimiorum DD. Ecclesiæ; quæ propter hæreses latè grassantes, & Episcopos ac DD. Ecclesiæ à fide deficientes, valde minuitur: Unde quod incorruptum superest, fit pretiosum & carum, sicut solet in annona frumenti. Hordeum autem est cibus jumentorum potius, quàm hominum: unde significat veræ fidei rudimenta, quæ dantur hominibus simplicibus, tanquam hordeum jumentis. Christiani enim simplices nomine jumentorum in Scriptura quandoque appellantur: *Homines & jumenta salvabis Domine*, Psal. 35. Unde eosdem simplices ac stupidos homines, per asinas mysticè significari, interpretatur S. Gregorius in illud Job. 1. v. 14. *Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos.*

Talis autem tritici & hordei caritas in Ecclesia fuit, quando circa annum Christi 360. in fine Concilij Ariminensis, Valens Arianus Episcopus dolosè concepit novam formulam fidei, quâ non tantùm præcedentia decreta illius Synodi, sed etiam Synodi Nicenæ implicitè revocabantur, & prætextu publicæ pacis, 400. Patres, partim persuasi

persuasi, partim à Constantio Imp. Ariano coacti sunt subscribere, resistente inter primos Servatione, sive Servatio Tungrorum Episcopo, ut narrat Severus Sulpitius proximus illorum temporum scriptor. Tunc Episcopi Ariani, aut Catholici ab Arianis seducti, ad diœceses suas redeuntes, Arianorum erroribus oves suas pascere cœperunt. Unde, ut loquitur S. Hieronymus, *Damnatio Nicena fidei conclamata fuit, & ingemiscens orbis terrarum se Arianum esse, miratus est.* Unde patet, non tantùm triticum hominum, sed etiam hordeum jumentorum illis temporibus rarum ac carum fuisse. Quam etiam caritatem paulò post invexerunt Gothi & Wandali, Galliam, Italiam, Hispaniam, Africam inundantes, hæresi arianâ infecti.

ET VINVM ET OLEVM NE LÆSERIS. Attamen licet triticum & hordeum doctrinæ christianæ læseris, & redegeris ad istam caritatem, per hæreses & sinceræ fidei corruptelas; inhibetur tamen tibi, qui super equo nigro sedes, ut Ecclesiæ Sacramenta non corrumpas: sunt enim vinum & oleum, quæ Samaritanus vulneribus saucij peregrini infudit, Lucæ 10. v. 34. id est, quibus duo vulnera peccati originis, concupiscentia, & ignorantia sanantur: vinum enim cor, sive voluntatem hominis, ad pugnandum contra concupiscentiam carnis, lætificat & roborat; oleum autem lucem accendit, quâ ignorantiæ tenebras pellit. Hanc autem lucem & spirituale robur Sacramenta ministrant, dum gratiam infundunt.

Hinc patet, hæreticos nostri temporis deteriores in ea parte esse Arianis, & cæteris Ecclesiæ illius ævi hæreticis, qui vinum & oleum ita læserunt, ut universa Ecclesiæ Sacramenta, præter Baptismum, sustulerint.

7. ET CVM APERVISSET SIGILLVM QVARTVM. Sub quo quartus Ecclesiæ status, & calamitas latebat, præcedentibus longè luctuosior. Cùm enim diabolus nec per gentiles tyrannos, nec per hæreticos Christi fidem, & Ecclesiam exscindere potuisset, novum Religionis monstrum Mahumetismum excogitavit, ex Gentilitate, Iudaismo, & Christianismo compositum: cujus originem & progressum infra narrabimus. Licèt enim multi Interpretes aliter hujus quarti sigilli apertionem interpretentur; Abbas Joachim tamen, Aureolus, & alij, omnium probabilissimè de secta Mahumetica, quæ jam per 1000. ampliùs annos Ecclesiam infestavit, accipiunt: incredibile enim est, S. Joanni Prophetæ novi Testamenti non esse revelatam tantam Ecclesiæ cladem. AVDIVI VOCEM QVARTI ANIMALIS. Aquilæ. DICENTIS, VENI ET VIDE. Licet Aquila quartum Euangelistam,

S. Ioannem Euangelistam repræsentaret; quia tamen sub aliena specie repræsentabat, potuit in imagine aquilæ eum alloqui, & ad videndum invitare.

8. ET ECCE EQVVS PALLIDVS. Interpres infra Apoc. 8. v. 7. & 9. v. 4. eandem vocem græcam χλωρὸς, vertit, *viridis*; est enim propriè color herbarum & foliorum, tam virentium æstate, quàm autumno in pallorem morientium. Uterque autem color Mahometi & Mahometanis rectè congruit, qui vitijs pallidis, invidiæ, avaritiæ, libidinis sunt deditissimi. Schytæ etiam & Turcæ, qui Mahometismum maximè propagaverunt, naturâ suâ sunt pallidi. Color etiam viridis fuit Mahometi peculiaris: unde hodie inter Turcas nemo potest cidarim viridem capite gestare, nisi fuerit ex progenie Mahometis. ET QVI SEDEBAT SVPER EVM. Diabolus nempè, qui præcedentium duorum equorum rufi & nigri fuit etiam insessor. Ipse enim est principalis auctor cladium, quæ Christi Ecclesiam invadunt, ad quas utitur infidelibus, tanquam equis, & instrumentis animatis. NOMEN ILLI MORS. Per metonymiam diabolus *mors* appellatur, quia auctor mortis tam corporalis, quàm spiritualis.

Quidam Interpretes mortem istam Mahometem interpretantur: sed conformius ad præcedentia sigilla, equus ipse pallidus est Mahometes, eques verò diabolus auctor mortis. Hunc autem equum potius, quàm pręcedentes duos, mors inequitat, quia nec tyranni gentiles primis trecentis Ecclesiæ annis, nec hęretici trecentis sequentibus, tot hominum animas interfecerunt, quot secta Mahometica, quæ per mille amplius annos hodie adhuc in pluribus terræ regionibus durat.

ET INFERNVS SEQVEBATVR EVM. Ut hiatu aperto innumerabiles animas absorberet, quas diabolus Mahometi inequitans interficit: à nulla enim secta, major, quàm à mahometica, inferno messis fuit.

Quidam per, *infernum*, intelligunt dæmones inferni incolas, diaboli equitis satellites, qui ipsum & Mahometem sequuntur, ut eorum conatus adjuvent. Alij, *infernum*, putant Antichristum esse, cujus inter pręcipuos præcursores fuit Mahometes.

ET DATA EST ILLI POTESTAS. Divinâ providentiâ, propter peccata Christianorum, id permittente & concedente: SVPER QVATVOR PARTES TERRÆ. Super omnes quatuor terræ plagas, Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem, & Australem, ut plurimos scilicet ubique terrarum interficiat. Secta enim Mahometis ab Arabia, unde tanquam à centro suo incepit, per vicinam Persiam, & vastissimas alias regiones, ac plurimas Oceani Indici insulas, ad ultimum

Orien-

Orientem excurrit. In Occidentem verò per uniuersam Africæ longitudinem, usque ad fretum Herculeum, & vicinam Hispaniam, cujus optimam partem Saraceni Mahometani per 800. circiter annos occupaverunt: In Septentrionem per Syriam & Palæstinam, ac totam Asiam Minorem, & maris Ægæi insulas, per Græciam, Thraciam, Hungariam, Illyricum; deinde ultra pontum Euxinum, mare Caspium, & Paludem Mæotim, in Tartariam latissimè effunditur: In Austrum per totam Ægyptum usque ad Abyssinos, complectendo etiam plurimas Oceani Africani insulas, expanditur. Unde hæc secta plus terræ & maris hodie, quàm olim Rom. Imperium complectitur, etsi Imperium Turcicum amplitudine superetur à Romano, ut ostendit Justus Lipsius lib. 1. de magnitud. Rom. cap. 3.

Verùm secta Mahometis multò latius, quàm Imperium Turcicum patet; nam Persæ, Tartari, & alia regna Orientis sunt religione Mahometani, licèt Turcarum Sultano subditi non sint. Non unus tamen est omnium Mahometismus, propter varias Alchorani interpretationes. In quatuor enim sectas divisi sunt Mahometani, quarum prima est Arabum & Maurorum, secunda Persarum, tertia, & omnium molestissima Turcarum, quarta Tartarorum.

Græci codices hodie non legunt, *Super quatuor partes terræ*, sed *super quartam partem terræ*. Minùs benè: nam illa superstitio mahometica, videtur plusquam quartam partem orbis terræ habitabilis, & cogniti tempore S. Ioannis, occupasse.

Interficere gladio. Data, inquam, est ei potestas ad interficiendum gladio, tam materiali, quàm spirituali. Nam Mahometes, postquam Arabiæ regnum est adeptus, gladio & armis religionem suam in vicinas provincias cœpit propagare, interficiendo eos, qui ejus Alchoranum nollent recipere, & servando eos, qui vellent; unde *Muselmannos*, id est, *Conservatos*, vocavit, sicuti Romani bello captos, & à morte conservatos, servos, appellaverunt.

Gladius autem spiritualis est verbum Dei adulteratum, quô Mahometes & hæretici animas suorum sectariorum interficiunt. Mahometes enim ex Mecha Arabiæ felicis urbe oriundus, circa annum Christi 620. imperante apud Romanos Heraclio, Alchoranum suum, tanquam à Deo per Angelum Gabrielem dictatum, composuit, adjutore Sergio, Hæresis Nestorianæ, aut, ut alii, Arianæ hæresis Monacho, qui multa ex Dei verbo, secundùm hæresim Nestorianam interpretato ei suggessit, miscendo etiam aliqua de Gentilismo & Iudaismo, quo plures ad suam sectam alliceret. Deinde omnem carnalium volupta-

voluptatum licentiam permittendo, quòd Moysis & Christi leges nimis severas, & hominum inclinationi minimè consentaneas fuisse diceret. Cæteros verò, qui istis illecebris attrahi non poterant, non prædicatione nuda, sicut Moyses & Christus, sed gladio, & vi adhibitâ, cogere statuit, unâ manu Alchoranum, alterâ gladium gestans.

A Monacho autem illo Nestoriano putatur vestes talares, & tot in oratione genuflexiones & procubitus accepisse, aliosque Monachorum orientalium ritus, quos adhuc hodie servant Turcæ.

Fame. Tam corporali, quàm spirituali; Saraceni enim & Turcæ quacumque incedunt, omnia ad pulverem usque devastant, & famem, ac terræ in futurum sterilitatem inducunt: unde dicere solent, Non crescere amplius herbam, ubi magni Sultani equus calcavit. Agri enim passim relinquuntur inculti, cùm Turcæ naturâ suâ sint admodum pigri: Christianos verò tædet agros colere pro Turcis, qui omnia ipsorum, quando libuerit, solent diripere.

Fame quoque spirituali, id est, subtractione Sacramentorum & omnis alimenti spiritualis, innumerabiles animas à tot jam annis interfecit secta Mahometis, severissimè interdicendo omnem in materia religionis disputationem, ne ipsi ad fidem Christi convertantur, & ad penum & apothecas spiritualium alimentorum in Ecclesia Christi perveniant. Unde nulli, aut paucissimi Mahometani ad fidem convertuntur.

Et morte, id est, mortalitate, sive peste corporali & spirituali. Videtur enim S. Ioannes respexisse ad tria ordinaria flagella Dei, quæ sunt, gladius, fames, & pestis. Dicitur autem mors specialiter eos interficere, qui peste moriuntur, quia nullæ aliæ causæ externæ apparent, à quibus vita adimatur, sicuti apparent, quando homines gladio aut fame pereunt.

Peste autem corporali innumeros homines perdit secta Mahometis, quia docet, fatali necessitate mortem unicuique homini evenire, nec fugâ, aut ullo remedio posse evitari. Unde pestem grassantem Turcæ non declinant, sed sani cum ægris conversantur, edunt & cubant: unde peste vix unquam carent.

Morte etiam, sive peste spirituali suorum animas interficit Mahometes, hoc est, mortiferâ persuasione & securitate, quâ se solos sanctos & Deo gratos esse existimant: unde Christianos per contemptum canes appellant. Illa enim tam firma persuasio & securitas est instar occultæ pestis, quæ eos sopit, & sine sensu viscera depascit.

Et

ET BESTIIS TERRÆ. Corporalibus beſtijs plurimos mortales interfecerunt Mahometani, dum vaſtatis & perditis eorum urbibus & regionibus, in ſylvas & deſerta à feris devorandos diſperſerunt. Beſtijs etiam ſpiritualibus, id eſt, concupiſcentijs & affectibus belluinis, ſuperbia præſertim leonina, harpyarum avaritiâ, libidine caninâ, ſuorum animas perdunt. Superbiſſimi enim, & avariſſmi, & libidinoſiſſimi ſunt Turcæ & Mahometani.

Sed ad libidinem maximè eis præivit Mahometes, dum tot unicuique uxores habere permiſit, quot poſſet alere; & docuit præcipuam hujus & futuræ vitæ beatitudinem in voluptatibus venereis conſiſtere: unde omni turpitudinum genere, tam ſecundùm quàm contra naturam, ſe polluunt Turcæ. Qui nuper Conſtantinopolim peregrinati ſunt, narrant, Amurathem, qui hodie eis imperat, quadringentas uxores in ſuo palatio alere.

9. ET CUM APERUISSET SIGILLUM QUINTUM. Nullo jam animalium amplius eum vocante, ut veniret & videret, quia quod jam viſurus eſt, continetur ſub omnibus quatuor Eccleſiæ ſtatibus, ad quos videndum quatuor animalia S. Ioannem ſingula ſuo ordine invitarunt. VIDI SUBTUS ALTARE. Non in terra, ſed in cœlo ipſo. Nam animæ iſtæ amictæ ſtolis albis dicuntur eſſe ante thronum Dei, Apoc. 7. v. 15.

Altare verò illud cæleſte eſt Chriſtus, ut SS. Patres paſſim interpretantur: quia ſuper ipſum, & Martyrum cruenta, & divinæ laudis ac bonorum operum incruenta ſacrificia Deo Patri immolantur: nam ſuper Chriſti merita fundantur, & inde habent, quòd in odorem ſuavitatis ad Deum patrem aſcendant. Unde tam altare holocauſtorum, in quo cremabantur animalia, quàm altare thymiamatis, in quo thura & ſuffitus adolebantur, fuerunt Chriſti Domini figura, ſicut totum templum judaicum figura cœli.

ANIMAS INTERFECTORUM. Quatuor primis illis Eccleſiæ temporibus, quæ per equos album, rufum, nigrũ & pallidum deſignata fuerunt.

Multi recentiores interpretantur, S. Ioannem vidiſſe animas iſtas Martyrum ſub altari, quia corpora Martyrum ſolent olim ſub altaribus in cryptis ſepeliri; & ideò dixiſſe, viſas à ſe animas, ubi ſunt earum corpora. Aut certè, *animam*, hîc accipi pro toto homine, ut dicat ſe vidiſſe S. Petrum, S. Paulum, &c. ſub altari, ſub quo eorum corpora, aut Reliquiæ ſepultæ erant. Verùm hæc interpretatio videtur violenta: vidit enim S. Ioannes nudas animas, quandoquidem pro reſurrectione & reditu ad ſua corpora Deo ſupplicent; deinde vidit eas in cœlo ſub altari cœleſti, non ſub altaribus terreſtribus, ubi ſunt

sunt earum corpora. Denique, quia altare cæleste Christus unicum est, cum altaria terrestria, sub quibus reliquiæ Martyrum jacent, sint innumerabilia, ideò videtur singulari numero dixisse, *subtus altare.*

Videtur ergo respexisse ad Christum, ut figuratum per altare holocaustorum Templi Salomonis, ideoque vocasse ipsum, *altare:* quod inde fermè evidens est, quia infra Apocal. 7. v. 15. dicit illas animas interfectorum esse ante thronum Dei, & servire Deo in templo ejus die ac nocte; cœlum nomine templi appellans, & animas, tanquam Sacerdotes in templo Salomonis ministrantes considerans. Unde restat, ut altare cæleste sit instar altaris holocaustorum, super quo animalia munda, sicuti super Christo Martyres, immolabantur.

Dicuntur autem animæ beatæ ante resurrectionem esse sub Christo altari, quia cùm careant carne propriâ, requiescunt in corpore Christi, quasi sub carne aliena, donec in resurrectione, resumptis proprijs corporibus, ponantur super altare, ut gloria corporum ipsorum omnibus jam sit conspicua, nec sub corpore Christi glorioso tanquam abscondita; etiamsi minor sit, quàm gloria ipsius altaris. Denique super altare ponentur in sacrificium novæ laudis, quâ agnoscent se hoc novissimum beneficium ex merito Christi adeptas esse.

S. Bernardus Serm 4. in Festo omnium SS. dicit ponendas super altare, non prælatione, sed contemplatione: quia nempè animæ illæ Divinitatem Christi, quæ eminentior est quàm Humanitas, post resurrectionem excellentiori modo contemplabuntur, ut ipse existimat: quia adeò viget in eis naturale desiderium corporis, ait ibid. Serm. 3. ut necdum tota earum affectio liberè pergat in Deum; sed contrahatur quodammodò, & rugam faciat, dum sui desiderio inclinantur: Unde notat S. Ioannem infra Apocal. 14. v. 5. dixisse, illas animas sine macula, non autem sine ruga esse ante thronum Dei.

Hæc verò privatæ affectionis ruga non est imperfectio contracta ex peccato originis, sed ex essentia ipsa animæ, quæ natura suâ est solùm quædam medietas integri & completi entis. Hinc cùm anima rationalis, etiam secundùm gradum rationalem sit forma corporis; secundùm etiam inclinationem rationalem, quæ nihil aliud est quàm voluntas, desiderio quodam, seu velleitate etiam elicita inclinatur naturaliter ad corpus, quam naturam gratia etiam supernaturalis beatitudinis non destruit.

Nec etiam ista velleitas cum perfecta in divinæ voluntatis beneplacitum resignatione pugnat: nolunt enim beatæ animæ contra Dei voluntatem, sed vellent resumere sua corpora, & beatitudinem suam com-

compleri, si Deo placeret; sine carne enim compleri earum lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest, ait Bernardus ibid. Serm. 3.

Atque ita hæc S. Bernardi sententia, quæ vehementer ab aliquibus recentioribus oppugnatur, probabiliter defendi potest: quæ etiam est S. Augustini & Haymonis hoc loco; imò S. Thomæ in suppl. quæst. 93. art. 1.

Nec verum est, quod quidam recentiorum aiunt, nullam esse sympatiam inter operationes naturales & supernaturales animæ rationalis: ut proinde, etiamsi naturale desiderium ad corpus in animabus beatis maneret, non ideo, inquiunt, visio & amor Dei remitti posset. Nam contrarium D. Thomas 2. 2. quæst 175. art. 4. ad 1. indicat, & contra Molinam & Suarez docet Smisingus de Deo Uno tract. 2. disp. 6. quæst. 9. n. 293. Et nos certè experimur ex desiderio alicujus boni creati, voluntatem nostram per quamdam sympatiam reddi languidiorem ad eliciendos actus charitatis supernaturalis.

PROPTER VERBUM DEI. Quod prædicabant vel fide tenebant: idcirco enim Martyres sunt à tyrannis interfecti. ET PROPTER TESTIMONIUM (Græci quidam codices interponunt, *Agni*) QUOD HABEBANT. Et quia ex sua, aut aliorum testificatione sciebantur esse Christiani, cujus nominis odio ab infidelibus fuerant interfecti.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA. Quæ magnum significat earum desiderium. DICENTES; USQUEQUO DOMINE. Non quòd moræ impatientes sint, aut tempus resurrectionis à Deo constitutum velint breviari. Cùm enim sua desideria ex Dei voluntate suspendant, nefas est credere, eas quidquam contra Dei nutum cupere. Solùm ergo illo modo loquendi significatur magnitudo desiderij rerum earum, quas sciunt Deum velle, inquit Beda. SANCTUS. Qui es tam sanctus & purus in temetipso, ideoque maculas peccatorum, & scelera tyrannorum adeò detestaris. ET VERUS. Et verax in promissis tuis, quibus nobis ultionem promisisti de inimicis nostris. NON JUDICAS. Non instituis judicium. ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM? Effusum à tyrannis super terram. DE IIS, QUI HABITANT IN TERRA. Græcè, *ab iis*. Repetendo scilicet illum de manu ipsorum, & puniendo eos, qui adhuc vivunt, & impunè habitant in terra. Respiciunt autem maximè ad extremam illam in judicio universali vindictam: optant enim diem illum ultimæ & universalis vindictæ cum regno Christi advenire, ut corpora sua resumant, & animo ac corpore beati cum Christo regnent.

Postulant autem vindictam fieri ab eo, cujus est vindictam sumere; nec ex odio inimicorum suorum sed amore & Zelo divinæ justitiæ. Sicut enim Deus vult vindictam exercere, tanquam justam & sibi gloriosam; ita Sancti ex eodem motivo, & divinæ voluntati se conformando, possunt illud idem optare. Optant etiam ex charitate erga ipsosmet Tyrannos; ut si prædestinati sint, flagellis convertantur ad pœnitentiam; si reprobi, ut citiùs eripiantur è vita, desinantque peccare, ut mitiùs posteà torqueantur in inferno: quod utique charitatis est & misericordiæ, inquit Haymo.

11. ET DATÆ SVNT ILLIS SINGVLÆ. Græcè, *data sunt singulis*; Sed Interpres voluit clarius significare, non nisi singulas singulis, non autem duplices singulis datas fuisse. STOLÆ ALBÆ, id est, Gloria animæ, donec in resurrectione corporum duplicibus vestiantur.

Duæ igitur sunt stolæ: prima est felicitas & requies animarum, secunda immortalitas & gloria corporum, ait S. Bernardus Serm. 3. in festo omnium SS. Non negat ergo S. Bernardus, animas Sanctorum beatas esse, & videre Deum ante resurrectionem corporum, ut multi eum interpretantur, (aliàs enim utramque stolam simul in resurrectione corporum diceret accipi) sed docet solùm cum S. Augustino, beatitudinem animæ tunc augendam, quando tota ejus affectio, ut loquuntur, completo naturali desiderio ad corpus, liberius in Deum feretur. Existimare autem videtur S. Bernardus, visionem illam futuram non tantum intensiorem, sed eminentiorem, & alterius rationis: ideoque Serm. 4. dicit, Christum tunc ministraturum animabus in corpore glorioso, novas delicias ante illud tempus penitus inexpertas manifestæ suæ contemplationis.

Aliàs eodem Serm. 4. discrimen ponit inter duos Abrahæ sinus, quorum unus fuit in tenebris & inferno (qui est limbus patrum, ubi animæ sanctæ ante Christi adventum in fide & exspectatione Salvatoris quiescebant) alter in luce multa, & in Cælo, ubi sunt animæ, quas subtus altare S. Joannes vidit. Lux autem illa, de qua loquitur S. Bernardus, non corporalis sed spiritualis, & in aliqua Dei visione consistere videtur.

Stola autem propriè est vestis muliebris, instar poderis demissa usque ad talos, cujus candor gloriam & gaudium, quo animæ illæ totæ perfunduntur, & quasi vestiuntur, significat: unde alibi *stola gloriæ* appellatur, Eccli. 15. v. 5.

ET DICTVM EST ILLIS. Per inspirationem cognitionis in Verbo vel extra Verbum. UT REQVIESCERENT. Quiete illâ, quam in beati-

beatitudine solius animæ possident. ADHVC TEMPVS MODICVM. Reverà enim modicum & momentaneum tempus est hinc usque ad resurrectionem generalem, si comparetur ad æternitatem gloriæ animæ & corporis quæ sequetur. Post istud verò modicum tempus exaudientur, & plenissimè vindicabitur sanguis earum confusione illâ publicâ Tyrannorum in judicio universali, & æternitate pœnarum, quæ mox sequentur. DONEC COMPLEANTVR. Numero & multitudine illâ, quâ Deus per æternam prædestinationem decrevit ædificare, tanquam lapidibus vivis, Ecclesiam suam triumphantem. Ex quo colligitur contra veteres semipelagianos certum & definitum esse à Deo numerum prædestinatorum, nec à fortuito liberi arbitrij cum gratia concursu, posse extendi aut contrahi. CONSERVI EORVM. Electi, qui eidem Domino usque ad finem sæculi servituri sunt. ET FRATRES EORVM. Et præsertim Martyres, qui peculiari societate martyrij, confratres eorum, & dilectissimi filij ejusdem patris sunt. QVI INTERFICIENDI SVNT, SICVT ET ILLI. Quibus etiam decreta est laurea martyrij: unde modicum tempus adhuc fluere debet, ut illam ipsi mereantur, & sint tyranni, qui necem inferant. Quo audito acquieverunt tanquam exauditi: oratio enim Beatorum semper exauditur, ait Carthus, quia non alio modo, tempore, loco aliquid fieri postulant, quàm Deo placet. Quo modo etiam omnes pij in hoc mundo orationum suarum formulas concipere debent.

12. ET VIDI, CVM APERVISSET SIGILLVM SEXTVM. Cum dictum esset animabus SS. Martyrum, ut requiescerent, donec compleretur numerus cæterorum interficiendorum; transvolando tempora intermedia, in quibus numerus ille paulatim colligitur, revelatur S. Joanni novissimum mundi tempus, quando ultimum complementum fiet, & plurimi tam ex Gentibus, quàm ex Judæis ad Christum ab Elia & Henoch conversi ab Anti-Christo interficientur. ET ECCE TERRÆ MOTVS MAGNVS. Maximus fortasse omnium quotquot à condito orbe præcesserunt. Quia enim status orbis terræ & totius Universi immutandus est, verisimile est hunc ultimum terræmotum futurum universalem; ideoque Christus de tempore illo ait, *Erunt terræmotus magni per loca*, Lucæ 21. v. 11. & de magnitudine ejus quasi intensiva Isaias ait, *Concutientur fundamenta terræ, confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius*, Isa. 24. v. 19. Unde videtur totus orbis terræ ab imis fundamentis concutiendus, & elevandus extra centrum. FACTVS EST. De re futura tanquam de præsenti loquitur, propter

 Prophe-

prophetiæ certitudinem. ET SOL FACTVS EST NIGER. Facies ejus nigra apparuit hominibus è terra spectantibus. Sicuti enim sol matutinus per vapores sanguineus, aut per nebulam pallidus apparet; ita tunc conspicuâ manente ejus figurâ, per nubes crassiores niger apparebit. Fortasse etiam, nigræ illæ maculæ quas recentiores Astronomi nuper deprehenderunt magno numero circa solem ambulare, congregandæ sunt simul in facie Solis obversa terris, ut obscuretur & nigrescat in toto hemisphœrio, etiamsi nubes non totum illud hemisphœrium obnubilent. TANQVAM SACCVS CILICINVS. ex nigris animalium pilis contextus, qualem saccum in magnis calamitatibus lugentes solent induere, ut Dei misericordiam provocent, ut Amos 8. v. 10. Joannæ 3. v. 5. 4. Regum 6. v. 30. & alibi. Color ergo ille solis cilicinus significat luctum, qui tunc imminebit toti orbi. ET LVNA TOTA FACTA EST SICVT SANGVIS. Velut solet in Eclipsi illa totali, quam Astrologi Martialem vocant, quia sanguineum illum colorem putant bella, & sanguinis effusionem significare.

13. ET STELLÆ DE CÆLO CECIDERVNT SVPER TERRAM. Stellæ crinitæ, & aliæ exhalationes in cælo superiori aëreo instar verarum stellarum lucentes, non tantùm ibi accendentur, & posteà extinguentur, ut solent: sed etiam ad terram usque decident ad augendum terrorem.

Tales autem stellæ, quando magnæ & publicæ calamitates instant, etiam nostris temporibus in superiori aëre, vel etiam inter vias planetarum accendi solent, ut nuper Anno 1618. ante bellum Germanicum, quod hoc anno 1646. adhuc durat, vidimus. Tunc verò plures magnitudine, & facie inusitatâ apparebunt, ut ultimam, & omnium maximam mundi calamitatem significent.

Cœlum autem hîc totam expansionem corporum transparentium à terra usque ad mundi culmen significat, in qua comprehenditur aër, æther, & stellarum regio: unde nunc pro cœlo aëreo, nunc pro æthereo, aut siderum regione accipitur.

Quidam tamen proprias stellas è cœlo sidereo in terra lapsuras interpretantur: quod non convenit magnitudini & moli, quam veris stellis dant Astronomi: unica enim talis stella si caderet, universum orbem terrarum cooperiret.

SICVT FICVS EMITTIT GROSSOS SVOS, id est, tam densè, quam arbor ficus decutit in terram ficus suas immaturas & ramis malè herentes. CVM A VENTO MAGNO MOVETVR. Imitatur Isaiam, qui de iisdem extremis temporibus loquens, ait, *Omnis militia cælorum defluet, sicut defluit*

defluit folium de vinea & ficu, Isa. 34. v. 4. Phrasi autem istâ hyperbolicâ significatur, superioris aëris aut ætheris cometas cælo suo infirmiter hærentes decutiendos esse in terram tam densè, quàm flores, folia & immatura poma, valido vento decuti solent in terram.

Mystico autem sensu *grossi* sunt homines adhuc imperfecti, & nondum bonorum operum maturitate solidati, qui magno tunc persecutionum vento decutientur in terram, id est, timore amittendi vitam & res terrenas à fide deficient.

De iisdem prodigiis Christus Dominus, *Sol obscurabitur*, inquit, *& Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo*, Matth. 24. v. 29.

14. ET CÆLVM RECESSIT. id est, & cælum, in quo sidera celata, & tanquam aurei characteres divinæ Majestatis inscripti sunt, ex oculis mortalium recedet & evanescet, abscondito scilicet Sole, Lunâ, & Stellis. SICVT LIBER INVOLVTVS. Sicut Scriptura libri abscondi & evanescere solet, nec legi potest, quando in volumen convolvitur. Libri enim Veterum erant quædam volumina ex corticibus arborum, aut pellibus animalium, quas non paginatim, ut hodie, compingebant, sed in volumina circa cylindros convolvebant, ut Apoc. 5. v. 1. iterùm diximus.

Isaias eadem tempora respiciens, *complicabuntur*, inquit, *sicut liber, cæli*, Isa. 34. v. 4. quibus verbis aliqui cessationem etiam motûs cœli significari putant; sicuti liber involutus & complicatus non ampliùs movetur & evolvitur ad legendum, sed quiescit sine motu. Quod si verum est, S. Ioannes sub hoc sigillo per anticipationem ponit, quod eventurum est post omnia sigilla, & post mortem Antichristi, imo post judicium generale, & omnium rerum consummationem, nam cessatio ista motûs cœli, & temporis universalis abolitio videtur omnium futura postrema.

ET OMNIS MONS ET INSVLÆ. Quæ nihil aliud sunt, quàm montes maris, quorum cacumina habitantur ab hominibus. DE LOCIS SVIS MOTÆ SVNT. Spiritu aliquo sub radicibus montium & insularum rarefacto, & superpositas moles in altum excutiente, aut etiam de loco in locum transferente, ut de quibusdam montibus terræ motu evulsis, & contrario motu instar arietum concurrentibus narrat Plinius lib. 2. cap. 83. & colles quosdam aliò migrasse in Anglia Anno 1575. & arboreta in Hibernia Anno 1586. refert Ribera.

Nullæ autem terræ regiones faciliùs terræ motu concutiuntur, quàm montes & insulæ, propter concavitates, quibus spiritum terræ motorem continent, & propter alimenta ignium, qui sæpè sub montibus & insulis ardent.

Licèt autem tales terræ motus causas suas naturales habeant; solet tamen Dei providentia ita illas disponere, ut tales effectus producant, quando bellorum, pestis, famis calamitates instant, ut homines præmoneantur, ut ad eas excipiendas se præparent, aut precibus avertant.

15. Et Reges terræ. Qui cæteris terrori esse, non ipsi facilè terreri solent. Et Principes. Græcè, *Magnates*. Principes minores infra regiam majestatem. Et tribuni. Græcè, *Chiliarchi* Qui mille militibus præsunt: sub quibus centuriones, & cæteri belli duces intelliguntur, qui periculis assueti maximè intrepidi esse solent. Et divites. Quos aliàs superbia divitiarum comes à turpi fuga continere solet. Et fortes. Animo, qui non facilè pavore consternantur. Et omnis servus et liber. Ac denique omnis universim, cujuscumque conditionis homo. Absconderunt se in speluncis, et in petris montium. Homines enim in maximo & publico terrore solent fugere urbes, & in montibus ac sylvis se abscondere.

Describit ergo ingentem & panicum quemdam omnium impiorum terrorem, quo visis illis cœli & terræ prodigijs, à mente quasi alienati, nullo conditionis suæ pudore & respectu, turpi fugâ per montium speluncas & petrarum antra dispergentur. *Erit enim tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* Matth. 24. v. 21.

16. Et dicunt. Spiritu prophetico video quasi jam dicentes. Montibus et petris. Sub quibus latitabant. Cadite super nos: Verba sunt hominum ad extremam desperationem redactorum. Qualia etiam usurpat Isaias in descriptione captivitatis duarum tribuum à Nabuchodonosore, Isa. 2. v. 19. & Osee in captivitate decem tribuum à Salmanazare, Osee 10. v. 8. & Christus in excidio Jerosolymæ à Tito Imp. Lucæ 23. v. 30. Quæ tres Judæorum calamitates fuerunt figuræ ultimæ & publicæ mundi calamitatis, de qua loquitur hic S Joannes. Et abscondite nos. Opprimendo videlicet. A facie sedentis super thronum. Dei Judicis. Et ab ira Agni. A vindicta illa, quâ Christus impios in ignem æternum mittet. Licèt enim amicis suis Agnus sit, erga tamen inimicos iram leoninam gerit. Impij autem eo tempore, vel per fidem, si fideles fuerint; vel relatu fidelium, cognoscent signa illa præambula esse futuri tremendi judicij universalis.

17 Quoniam veniet dies magnus. Dies judicij in Scriptura solet, *Dies Domini*, sæpius appellari: sed, *Dies magnus*, etiam vocatur Sophon. 1. v. 14. & Malach. 4. v. 5. quia res magnas & stupendas illâ

illâ die suâ Dominus operaturus est. IRÆ IPSORUM. Dies, inquam, iræ Dei & Agni, quam in impios exercebunt. Græcè, *ipsius*, Agni, qui in humilitate visibili iram suam exeret, terribilem illam sententiam fulminando, *Ite maledicti in ignem æternum*. Ex hoc loco, & Sophon. 1. v. 14. & 15. accepit Ecclesia, quod canit in officio Defunctorum: *Dies illa, dies ira, calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde*. ET QUIS POTERIT STARE? Quis erit tam fortis, ut animo & corpore non deficiat, & exanimis concidat ante tam tremendi Judicis conspectum. Similis locutio est apud Malachiam cap. 3. v. 2. *Quis stabit ad videndum eum?* nam *oculi eius tanquam flamma ignis, & de ore eius gladius utraque parte acutus exibat*, ut dixit Apoc. 1. v. 14. & 16.

CAPUT VII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quatuor Angeli tenentes quatuor ventos prohibentur nocere terræ & mari, donec centum quadraginta quatuor millia Electorum ex omni tribu Israël signata fuerint, nè improborum plagis involvantur. Deinde S. Ioannes illos cum innumerabili Electorum Gentilium turba videt sublatos in cælum laudantes Deum, & regnantes cum Deo & Agno.

Vers. 1.

POST HÆC. Post tantam illam omnium impiorum fugam & consternationem. VIDI QUATUOR ANGELOS. Boni an mali Angeli fuerint, est incertum: nam utrorumque ministerio ad puniendos homines impios utitur Deus. Sodoma & Gomorrha per bonos Angelos eversæ sunt, Gen. 19. Decem verò plagæ Ægypto immissæ per Angelos malos, Psal. 77. v. 49.

Ribera tamen hos Angelos apocalypticos fuisse bonos, colligit ex v. 3. sed Estius verisimilius fuisse malos ex Apocal. 9. v. 14. siquidem iidem sunt Angeli quatuor, de quibus hîc & ibi fit mentio.

STANTES SUPER QUATUOR ANGULOS TERRÆ. Qui parati & accincti ad divinæ vindictæ executionem, stabant super quatuor principalibus horizontis terræ angulis & cardinibus, unde flant quatuor venti cardinales, Eurus ab Ortu, Zephyrus ab Occasu, Auster à Meridie, Boreas à Septentrione. Sub istis autem quatuor principalibus intelli-

guntur

guntur quoque eorum collaterales usque ad triginta duos. TENENTES QVATVOR VENTOS TERRæ. Spiritum videlicet & materiam ventorum colligendo, & vi retinendo, ne difflueret: hoc enim propriè verbum græcum κρατοῦντες, id est, *tenentes*, significat. Retinent autem & comprimunt, ut majori deinde impetu emittantur, & terras turbine perflent.

Quidam Interpretes ex hoc loco, Aristotelem in causis motûs ventorum assignandis errasse, & ventorum etiam ordinariorum flatus ab Angelis potiùs excitari, quàm à nubibus repelli, vel pondere deorsum ruere colligunt; adeoque Angelos quosdam, tanquam Æolos ventis, sicut alios cælis movendis, præpositos esse philosophantur.

Sed colligi tantùm potest, Deum in extraordinarijs plagis per ventos & elementa mundo inferendis, bonorum aut malorum Angelorum ministerio uti; non autem Angelos esse ordinarios ventorum motores: aliàs enim nihil erit causæ, quare non etiam dicere oportet, Angelos movere fontes & flumina, ac maris æstus. Ad Angelos autem recurrere, quando aliæ causæ magis naturales & propinquæ inveniri possunt, est ad asylum ignorantiæ confugere, ut Philosophi loquuntur.

NE FLARENT SVPER TERRAM. Atque ita materia eorum per partes diffluerct. NEQVE SVPER MARE. Quod tamen ferè nunquam est sine ventis, etiam quando est maxima malacia super terram. NEQVE IN VLLAM ARBOREM. Quarum tamen cacumina, levi saltem vento plerumque perstringuntur, quando nullus ventus sentitur in terra, præsertim si arbores proceræ sint, vel montanæ. Describit ergo S. Joannes summam in terra, mari, aëre malaciam & tranquillitatem.

Ribera existimat, retentionem istam ventorum esse ipsam plagam, quia, inquit, sine ventorum flatu, quo aër, animalia, & plantæ eventilantur, omnia paulatim marcescunt. Sed verius est solùm esse præparationem ad futuram plagam & tempestatem, collecto per malaciam præcedentem spiritu multo, & impetu ventorum.

Plerique veterum Interpretum sub isto cortice litteræ longè aliud contineri, & quidem principaliter à Spiritu S. intentum existimant. Quatuor enim Angelos quatuor reges interpretantur, qui quatuor amplissima regna, qualia olim Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, possidebunt proximè ante Anti-Christi adventum. Isti tenebunt quatuor ventos, id est, inquiunt, quatuor Euangeliorum prædica-

prædicationem, ne ex ulla parte mundi salutaris doctrinæ aura aspiret regionibus terræ, insulis maris, aut ulli omnino homini, quem per arborem significari volunt. Alij aliud pro suo quisque ingenio excogitant. Sed præstat ad litteram, quantum fieri potest, hanc & alias Scripturas interpretari.

2. ET VIDI ALTERVM ANGELVM. Michaëlem fortasse, qui est princeps illorum septem Angelorum, qui adstant ante Deum, tanquam satellites ad omnem ejus nutum parati Apocal. 1. v. 4. Apocal. 4. v. 5. ASCENDENTEM. E terra, ubi versabatur occupatus in ministerio salutis hominum: per illos enim septem Angelos Deus res humanas, & mundi inferioris administrat. AB ORTV SOLIS. Quod eum res lætas adferre significat, sicut Sol ascendens supra horizontem nobis diem revehit. HABENTEM SIGNVM DEI VIVI. Tenentem in manu sua signatorium quoddam instrumentum, quo signarentur frontes servorum Dei: solent enim olim apud Romanos, & alias nationes, servi, sicut quædam animalia, ut oves & equi, notis & stigmatibus quibusdam distingui, qui idcirco *stigmatici* dicebantur. Dicit, *Dei vivi*, ad distinctionem Deorum idololatrarum, qui nec vitam in se habent, nec alijs dare possunt. Jubentur autem servi Dei hoc signaculo insigniri, ut vitam ab eo accipiant. ET CLAMAVIT VOCE MAGNA. Sicut clamare solemus, cum quis paratus est ad magnum malum alicui inferendum, ut eum à facinore avertamus. QVATVOR ANGELIS. Qui stabant tenentes quatuor ventos. QVIBVS DATVM EST. Facta est à Deo potestas, sive Angeli isti boni, sive mali fuerint. NOCERE TERRÆ ET MARI. Immittendo ventos, & excitando terrâ marique tempestates, quibus omnia dissiparent & perderent.

3. DICENS, NOLITE NOCERE TERRÆ ET MARI. Angeli enim boni, qualis erat iste, possunt malis Angelis imperare, & eos propriâ, vel saltem divinâ virtute cohibere. Alijs verò bonis Angelis voluntatem Dei sibi revelatam annuntiant. NEQVE ARBORIBVS. Specialiter nominat arbores, quia inter omnia terræ viventia arbores propter suam altitudinem maximè sunt obnoxiæ flatibus ventorum. QVOAD VSQVE SIGNEMVS. Signaverimus. Videtur autem ex verbo isto plurali Angelus ille non fuisse solus, sed comites habuisse alios Angelos bonos, qui juvarent illum ad signandum. SERVOS DEI NOSTRI. Pios homines & electos, ne ipsis per ventos & tempestates noceatis.

Quia dicit; *Dei nostri*, Ribera colligit, quatuor Angelos, quibus loquitur, fuisse bonos; quia Deus propriè est bonorum, non ma-

 lorum

lorum Angelorum. Sed infirma est collectio: videtur enim, ut jam dixi, *Deum nostrum*, appellare, respectu aliorum Angelorum bonorum, qui comites ejus erant, & in signando futuri adjutores.

In frontibus eorum. Ibi enim olim signari solent servi, ut signum frontis omnibus conspicuum esset. Deinde veluti in captivitate Babylonica, quæ fuit figura persecutionis Anti-Christi, Deus pios gementes & dolentes super scelera & abominationes, quæ fiebant in urbe Jerusalem, jussit signari frontes eorum signo *Tau*, Ezech. 9. v. 4. ita hîc jubet signari electos, qui erunt in fine mundi, nè ipsis noceant publicæ calamitates, & persecutio Anti-Christi. Unde signum hîc à S. Joanne visum, verisimiliter etiam fuit littera *Tau*, quæ olim in veteribus Hebræorum litteris, quibus adhuc hodie Samaritani utuntur, habebat figuram crucis, inquit Ezech. 9. S. Hieronymus. Unde hoc signo indicatur, eos, qui signantur, per meritum Crucis Christi liberandos esse, nè plagæ novissimę spiritualiter ipsis noceant, sed *omnia* adversa *cooperentur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, ad Rom. 8. v. 28.

Quidam hanc signationem interpretantur de signo crucis, qua in Sacramento Baptismi & Confirmationis frontes suscipientium signantur. Verum quia hoc signo Sacramentali etiam quidam reprobi signantur; indicatur potiùs signatio per gratiam efficacem, quâ electi ad singulos actus bonos perseveranter usque in finem & vitam æternam signantur: hæc enim est signatio propria Electorum. Unde nec frontes eorum reverà signabuntur litterâ *Tau*, aut alio signo externo, sed sub imagine talis signi S. Joanni repræsentata est interna animæ signatura, quâ Deus electos suos adversus gravissimas illorum temporum calamitates & tentationes conservabit, & veluti signo in frontibus eorum impresso, non eousque ab Angelis percussoribus vult affligi, ut succumbant.

Illa autem gratiæ signatura Angelis tribuitur, quia ad illam cooperantur tanquam *administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis*; ad Hebr. 1. v. ult.

Illius rei etiam figura fuit signatio illa sanguinis Agni in utroque poste, & superliminari domorum in quibus habitabant Israëlitæ in Ægypto; quo signo viso, Angelus primogenita Ægyptiorum percutiens, domos ipsorum præteribat, Exodi 12. v. 7. & 13. multorumque opinio est, signum illud sanguinis figuram litteræ *Tau*, sive crucis etiam habuisse. Unde ipsi Ægyptij in suis olim hieroglyphicis litteram *Tau*, id est, signum crucis pro signo vitæ usurpabant: quod verisimi-

verisimiliter acceperant ab Israëlitis.

Notandum quoque, quòd S. Bonaventura, quem non pauci ejusdem ordinis sequuntur, Angelum alterum de quo v. 2. & 3. S. Joannes loquitur, interpretetur fuisse S. Franciscum, qui propter stigmata vulnerum Christi ei impressa dicatur habere signum Dei vivi: unde inter S. Francisci encomia, Angelum sexti signaculi vocare eum solent. Sed ista interpretatio videtur magis accommodatitia quàm litteralis.

4 ET AVDIVI. Aure spirituali per Angeli vel Dei revelationem: nam oculis tantam multitudinem numerare & discernere non facile poterat. NVMERVM SIGNATORVM. Postquam scilicet Angelus ille, & comites ejus eos signassent. CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA SIGNATI. Signata: nam interpres ad homines, ex quibus conflata erant illa millia, non ad vocem respexit. EX OMNI TRIBV FILIORVM ISRAEL. Ex omnibus tribubus simul sumptis, excepta tamen tribu Dan, quæ propter certas rationes hîc omittitur.

Ribera, & quidam alij putant totidem præcisè Iudæorum millia in fine mundi per prædicationem Eliæ & Enoch, convertenda, signanda, & salvanda esse: aiuntque S. Ioanni præcisum illum numerum hîc revelatum fuisse; quod alijs Prophetis fuerat absconditum.

Sed cùm iterùm infra Apocal. 14. v. 1. dicantur centum quadraginta quatuor millia virginum sequi Agnum quocumque ierit, videtur potiùs in isto numero mysterium aliquod latere. Deinde mirum, & vix credibile est, in qualibet tribu præcisè duodecim millia, non plures nec pauciores salvandos esse.

Quid etiam causæ esset, quod ex tribu Ioseph in duas Ephraim & Manasse tribus divisâ, sint duplo plura millia signata, quàm ex tribu Iuda, vel aliâ quacumque.

Denique non est verisimile, quod ex tribu Dan, quæ hîc omittitur, nullus omninò salvandus sit: nam licet fortasse Antichristus ex illa tribu nasciturus sit, ideoque Danitæ, pertinaciùs quàm cæteri Iudæi, sint ei adhæsuri; tamen ubi ex Elia & Enoch se ab eo deceptos intelligent, ad Christum quoque convertentur. Vnde S. Paulus non tantùm centum quadraginta quatuor millia Israëlitarum in fine mundi, sed omnem Israëlem salvandum dicit, ad Rom. 11. v. 26.

Itaque dicamus potiùs cum Beda & Veteribus numerum 144. esse quadratum, cùm duodecies duodecim illum conficiant; ac proinde esse numerum stabilitatis & perfectionis, qui optimè convenit statui perfecto beatitudinis electorum.

Duodenarius etiam, ex quo tanquam radice resultat, quot millia signatorum ex qualibet tribu futura perhibentur, licèt sit numerus determinatus, maximè tamen idoneus est ut significet nobis indeterminatum & incognitum numerum omnium Judæorum, qui à quatuor mundi partibus in fide SS. Trinitatis congregati baptizabuntur & salvabuntur, ut S. Augustinus interpretatur: quater enim tria duodecim conficiunt. Propterea etiam Christus 12. Apostolos elegit, & 12. Patriarchas, quorum familias duodecim per mare rubrum & desertum in terram promissionis perduxit. Quæ fuit figura prædestinationis; quâ Deus electos per Baptismi aquam, & hujus vitæ desertum ad æternæ felicitatis patriam perducit.

5. Ex tribu Iuda &c. Ponuntur primo loco signati ex tribu Juda, quia nobilissima tribuum, ex qua Messias natus est. Deinde trepidantibus cæteris ante ingressum maris rubri, prima Moysen per medias undas versus terram promissionis secuta est. Transitus autem iste per mare rubrum & desertum in terram promissionis, figura fuit, ut ante dixi, transitus, quo millia signatorum ad æternam felicitatem tendunt. Aliàs autem ordine Nativitatis Judas inter filios Jacob quartus tantùm fuit. Ex tribu Ruben &c. Licèt Ruben maximus natu fuerit inter 12. fratres, non tamen idcirco proximus ponitur post Judam, quia ordo ætatis in sequentibus non observatur: aliàs enim post Ruben collocandi proximè erant Simeon & Levi.

Ribera & alij quidam putant in toto hoc catalogo servari ordinem nativitatis spiritualis, sive conversionis ad fidem per prædicationem Eliæ & Enoch.

Verùm obstat, quod Judæi jam non sint amplius per tribus distincti, nec vulgò sciant, ex quanam tribu oriundi sint. Unde inter se confusi & permixti Eliam & Enoch concionantes audient, & simul ad Christi fidem convertentur.

Fortasse autem ordinem sanctitatis, & zeli spiritualis pro Christo adversus Antichristum S. Ioannes secutus est: eo argumento, quod tribus Juda primo loco posita sit, quæ pietate & zelo pro Regibus suis ubique semper prima fuit, ut omnino etiam verosimile sit, futuram zelosissimam pro Christo suo adversus Antichristum.

Ex tribu Gad. Mirum est post Ruben statim subjici Gad, septimum filiorum Jacob, & quidem non ex libera, sed ex Selpha ancilla Liæ. Unde nisi fervoris & zeli spiritualis ordo spectetur, nihil fermè verosimile conjectare possumus. Plerique sensus mysticos in nominibus proprijs filiorum Jacob venantur; sed nos litteræ sensum præcipuè quærimus.

6. Ex

6. Ex tribv Aser. Hic octavus filiorum Jacob est ex eadem cum Gad matre Selpha. Ex tribv Nephthali. Sextus est filiorum, natus ex Bala ancilla Rachelis, cujus uterinus frater fuit Dan, de quo hîc nulla mentio.

In terra promissionis tribus Nephthali totam fermè Galilæam superiorem, usque ad fontes Jordanis, & Damascum, hoc est, terram irriguam, & valde fertilem occupavit. Hinc de ea prophetaverat Moyses: *Nephthali abundantiâ perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini*, Deut. 33. v. 23. Quod per allegoriam etiam referri potest ad benedictiones, quibus signati ad vitam æternam ex ista tribu in cælo perfruentur.

Ex tribv Manasse. Iste non Jacobi, sed Josephi naturalis filius fuit, sed cum fratre suo Ephraim à Jacob moriente adoptatus, Gen. 48. v. 16. unde quia ex una tribu Joseph duæ tribus, scilicet Manasse & Ephraim, factæ sunt, fuerunt in universum 13. tribus; & totidem hîc enumerandæ essent, nisi tribus Dan omitteretur.

7. Ex tribv Simeon. Hic fuit natû maximus post Ruben; Tribus autem ejus minima omnium quæ intraverunt terram promissionis: unde non propriam sortem, sed partem tantùm sortis tribus Iudę in ultimo angulo australi terræ sanctæ accepit, Iosue 19. v. 1. Ex ista tribu maxima pars Scribarum & Pharisęorum fuisse putatur, qui Christum Dominum ita persecuti sunt. Ex tribv Levi. Proximus natu post Simeonem fuit Levi, audaciâ, & animi ferociâ similis Simeoni: hi enim duo fuerunt auctores cædis Sichimorum ob sororis suæ Dinæ stuprum, Gen. 34. Unde Iacob moriens, vocat eos *vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat*, inquit, *anima mea*, Gen. 49. v. 6. Quibus verbis in allegorico sensu putatur Iacob etiam respexisse ad consilium, quod adversus Christum Scribæ & Pharisæi posteri Simeonis, cum Pontificibus & Sacerdotibus posteris Levi aliquando inituri erant.

Unde etiam in fratrem suum Iosephi, qui Christi figuram gessit, duo isti acerbissimi fuisse videntur, sicut *Targum*, & traditio Hebræorum habet. Quæ causa fortasse fuit, cur Ioseph Simeonem potiùs, quam alium quemlibet fratrum, ligari, & in carcerem detrudi voluerit, tanquam obsidem, donec ad eum Benjamin adduceretur, Genes. 42. v. 25.

Sicut tamen statim à morte Christi, quem interfecerant, multa turba Sacerdotum conversa est ad fidem per Apostolos Act. 6. v. 7. ita minimè mirum, si plurimi Levitæ in fine mundi per Eliam &

Enoch ad Christum convertantur, & in vitam æternam signentur. Sicuti enim in malum, ita in bonum valde zelosi fuerunt etiam olim Levitæ, ut patet, quando statim obtulerunt operam suam Moysi, ad scelus adorati vituli vindicandum, occideruntque uno die 23000. suorum fratrum. Quo facto meruerunt, ut tribus illa fieret sacerdotalis, Exo. 32. v. 29.

Ex tribu Issachar. Nonus fuit iste filiorum ex Lia, cujus tribus in sorte terræ promissionis felicissimam & amœnissimam Galilææ partem juxta Iordanem est sortita.

8. Ex tribu Zabulon. Decimus fratrum & ultimus hic est genitorum ex Lia. Tribus ejus in Galilæa à mari Ienesareth usque ad mare magnum, sive mediterraneum protendebatur.

Magna hujus tribus felicitas, quod in ea fuerit Nazareth, ubi Christus conceptus & educatus est. Bethsaida quoque in Galilæa est, patria SS. Petri, Andreæ, & Philippi: civitas etiam Capharnaum, in qua Christus tam diu habitavit, & ubi Euangelij prædicationem inchoavit Matth. 4. v. 13. in finibus Zabulon & Nephtali erat; & breviter plerique Apostoli, aut Zabulonitæ, aut Nephtalitæ fuisse putantur (ut ad Annum Christi 32. Baronius testatur) præter fratres Domini, qui licèt in terra illarum tribuum habitarent, & ibi essent educati; origine tamen ex tribu Juda erant, sicuti S. Joseph, B. Virgo, & ipse Christus, quibus erant cognati. Quod quidam colligunt ex illo Psal. 67. *Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali.*

Ex tribu Joseph. Cùm tribus Manasse ante nominata fuerit, tanquàm distincta à tribu Joseph, intelligitur hic tribus Ephraim filij Joseph, & fratris Manasse. Et quia tribus Ephraim multorum Ducum, ut Josue, Jeroboam, &c. mater fuit, adeòque nobilior tribu Manasse: ideò tribus Ephraim sæpè, *tribus*, vel, *domus Ioseph* in V. Testamento appellatur. Ex tribu Beniamin. Licèt ætate ultimus fratrum fuerit Benjamin, non tamen ideò in hac serie tribus ejus ultima ponitur, quia S. Joannes non sequitur ordinem ætatum Patriacharum ut ante notavimus. Sanctitate ergo fortasse ultima erit in fine mundi: quod videri potest significatum esse per sortem, quam Benjamitæ latitudine & longitudine omnium brevissimam adepti sunt olim in terra promissionis. Vel certè, pauciores, quàm aliæ tribus, signatos tunc habebit, quia numerus Benjamitarum valde accisus fuit propter uxorem Levitæ ab ipsis oppressam, Judic 20. Unde fortè jam & temporibus Anti-Christi tribus Benjamin minima omnium tribuum erit, Aliàs in terra promissionis sortem omnium sanctissimam habuit

habuit, quia Jerosolymam includebat, in qua posteà templum Domini ædificatum fuit.

Quare verò tribus Dan hîc omittatur, incertum est. Plerique tamen veterum S. Irenæum secuti, credunt Anti-Christum ex illa tribu nasciturum; & ideò paucos admodum signandos ex ista tribu, quia pertinacius, quàm cæteræ tribus, Anti-Christi contribulis sui castra sequentur. Aut certè, si reliquiæ tribus Dan per Eliam & Enoch etiam convertendæ sint, omittitur tamen Dan, tanquam pater Antichristi, qui in filio suo omnium reproborum personam gerit: ut Dan inter 12. Patriarchas sit, quod Judas Iscariotes inter XII. Apostolos. Et quia populo illi omnia in figura contingebant, hujus rei etiam figura præcessisse videtur, quando tribus Dan non contenta parte sortis tribus Juda, sibi assignatâ in terra Philisthym, à Juda longissimè recessit, & armatâ manu locum sibi fecit in ultima septentrionali parte terræ sanctæ ad montem Libani, & fontes Iordanis, expugnatâ urbe *Lays*, quam deinceps *Dan* appellaverunt Iudic. 18. Recessus enim iste à Iuda & vicina Vrbe Ierusalem ad ultimum Aquilonem, videtur esse figura apostasiæ à Christi religione ad diaboli cultum, qui in lateribus Aquilonis sedere dicitur, Isa. 14. v. 13.

9. POST HÆC VIDI TVRBAM MAGNAM. Græcè, *Post hæc vidi & ecce turba multa.* Postquam illa centum quadraginta quatuor millia signatorum ex Iudæis conspexissem, alia visio mihi subitò objecta fuit, videlicet turba plurima signatorum & salvandorum ex Gentibus. QVAM DINVMERARE NEMO POTERAT. Quam nullus homo mortalis numerare posset; tanto intervallo excedebat centum quadraginta quatuor millia signatorum ex Iudæis.

Utitur perperam hoc S. Ioannis testimonio Catharinus, ut probet, præter speciales quosdam, & maximos sanctos à Deo sine prævisis meritis ad gloriam electos (quos centum quadraginta quatuor millium signatorum numero significari putat) esse alios innumerabiles, quibus demùm post prævisa merita Deus decrevit gloriam.

Sed ista diversitas prædestinatorum à Catharino conficta, ab alijs passim meritò reijcitur: omnes enim homines, aut ante prævisa merita prædestinati sunt ad gloriam, sicut S. Augustinus, S. Thomas, & veritas habet: aut omnes post prævisa merita, ut docent, qui gratiam & prædestinationem hominum & Angelorum confundunt.

EX OMNIBVS GENTIBVS. Ex omni natione; sicut eandem vocem græcam vertit Interpres Apoc. 5. v. 9. ET TRIBVBVS. Et cognationibus. ET POPVLIS. Unusquisque autem populus multas tribus

& cogna

& cognationes continet. ET LINGVIS. Una etiam lingua per multos aliquando populos diffunditur.

Alio ergo ordine Apoc. 5. v. 9. S. Ioannes ista enumerat: tribus enim, quæ minimè omnium latè patet, ponitur ibi primo loco, & gradatim ascenditur ad nationem, sive gentem, quæ latissimè omnium patet. Hîc verò latissimum primo loco, deinde strictissimum ponitur, & postea iterùm reditur sursum, ad populos nempe & linguas.

STANTES ANTE THRONVM. Erecti in Dei contemplationem, qui sedebat super thronum. ET IN CONSPECTV AGNI. Et etiam ante Agnum, qui tanquam occisus stabat in medio throni & animalium, Apocal. 5. v. 6. Stant autem Sancti in conspectu Agni, quia ex Humanitatis ejus contemplatione speciali gaudio reficiuntur, inquit Carthus. AMICTI STOLIS ALBIS. Qui vestiti erant gloriâ animæ & corporis, tanquam longis & candidis stolis, quæ à capite eis defluunt usque ad pedes. ET PALMÆ IN MANIBVS EORVM. In signum victoriæ omnium tentationum, quas à carne, diabolo, mundo, in hac vita passi sunt. Alludit ad Græcorum certamina, in quibus præter varias coronas, ex lauro, olea, myrtho, quercu, ramus palmæ insuper dabatur in manum victoribus, ut lib. 8. cap. 4. Symphos. testatur Plutarchus.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA. Magna vox magnum fervorem charitatis significat DICENTES: SALVS DEO NOSTRO. Sit immortalis & æterna salus Deo nostro, qui salutis nostræ fons est & origo. Non orant ut Dei salus non deficiat, quæ deficere non potest; sed congratulantur ei de salute & immortalitate, quam habet per essentiam, & unde omnis salus in creaturas fluit per participationem.

Homines sancti *Deum suum* vocant potiori ratione, quàm sancti Angeli infra versu 12. quia beneficium prædestinationis excellentius est in hominibus, quàm in Angelis.

QVI SEDET SVPER THRONVM. Hic enim Deus Pater erat, qui homines è massa damnata elegit, ad salutem & felicitatem æternam. ET AGNO. Per cujus immolationem & meritum electio & prædestinatio Dei Patris executioni mandatur.

11. ET OMNES ANGELI STABANT. Tanquam Dei satellites ad mandata & nutum ejus paratissimi. IN CIRCVITV THRONI. Majori videlicet circulo dispositi, quo Angeli cingebant non tantùm thronum Dei, sed quatuor animalia, & 24. Seniores. Vide quæ diximus Apoc. 5. v. 11. & 12. ET CECIDERVNT IN CONSPECTV THRONI.

Proster-

Prosternentes se ante Deum in profundissimæ humilitatis & obedientiæ signum. IN FACIES SVAS. Angeli ergo isti facie & specie humanâ S. Joanni apparebant. ET ADORAVERVNT DEVM. Cadere enim in faciem suam olim ritus adorantium fuit.

12. DICENTES, AMEN. O ita sit, salvus sit, & vivat Deus noster & Agnus in æternum, à quibus homines salutem perditam recuperaverunt. Per illud ergo, *Amen*, Angeli confirmant laudem & congratulationem, quam homines paulò antè Deo & Agno dederunt: BENEDICTIO. Laus: laudando enim benè de aliquo dicimus. ET CLARITAS. Græcè, *& gloria*: Nam per gloriam aliquis fit clarus, & nominatus apud omnes. Gloria enim, ait S. Augustinus tract. 100. in Ioan. est frequens de aliquo fama cum laude. ET SAPIENTIA. Id est, sapientiæ fons, ex quo omnis sapientia creata descendit. ET GRATIARVM ACTIO. Quia enim ex ipso omnia bona promanant, perpetuâ gratiarum actione honorari debet. HONOR, ab omnibus creaturis intellectualibus ei exhibendus. ET VIRTVS. Potentia, quâ omnia facit & operatur in cœlo & in terra. ET FORTITVDO. Quæ virtutem & potentiam ejus insuperabilem facit: hæc enim est illa fortitudo, quâ *attingit à fine usque ad finem fortiter*, Sap. 8. v. 1. DEO NOSTRO sit IN SÆCVLA SECVLORVM. In omnem æternitatem. AMEN. Quâ clausulâ sancti Angeli ex amoris æstu desiderium suum super omnia præcedentia reflectunt, iterùmq; Deo benedictionem, claritatem &c. exoptant. Omnia enim quæ Deus habet per naturam Divinitatis, sunt ei iterum iterumque referenda per canticum laudis, ait Richardus.

13. ET RESPONDIT. Locutus est mihi: Hebræi enim *respondere*, sæpè usurpant pro, simpliciter alloqui, etiamsi nemo interrogaverit, ut Matth. 11. v. 25. & alibi. Aut certè admirationi S. Ioannis, & tacito desiderio cognoscendi respondit. UNVS DE SENIORIBVS. Ex illis viginti quatuor, qui sedebant in circuitu throni, Apocal. 4. v. 4. Quidam autem conjectant hunc seniorem fuisse Petrum principem Apostolorum, ut ait Carthus. Petrus enim & alij Apostoli multa nobis de gloria Sanctorum revelaverunt. Alcazar putat fuisse S. Lucam, Actuum Apostolorum scriptorem. HI, QVI AMICTI SVNT STOLIS ALBIS, QVI SVNT? Senior interrogat S. Ioannem, non ut ab eo discat, sed ut eum doceat, postquam ignorantiam suam fuerit confessus. ET VNDE VENERVNT? Unde & per quam viam ad tantam gloriam ascendere potuerunt?

14. ET DIXI ILLI: DOMINE MI, TV SCIS. Ego utrumque ignoro, & qui sint, & unde venerint: tu verò utrumque nosti, &

à te doceri debeo. ET DIXIT MIHI. Ignorantiæ enim confessio tam humilis doceri merebatur. HI SVNT, QVI VENERVNT DE TRIBVLATIONE MAGNA. Græcè verti potest, *De illa tribulatione, illa magna*: Quæ formula loquendi exaggerat tribulationem illam omnium maximam, quâ fideles tam Martyres, quàm Confessores exercebuntur sub imperio Antichristi. ET LAVERVNT STOLAS SVAS. Ut mirum non sit, eas tam mundas esse. ET DEALBAVERVNT EAS. Nec tantùm maculas eluerunt, sed etiam candore superfuso dealbaverunt. Quo significatur, justificationem peccatoris non esse nudam peccatorum ablutionem, sed gratiæ etiam sanctificantis infusionem. IN SANGVINE AGNI. Hoc autem non tantùm convenit Martyribus, qui & Agni, & suo sanguine dealbant stolas suas, sed etiam Confessoribus, quales plurimi erunt inter illos signatos & candidatos, tam ex Iudæis, quàm Gentibus. Omnes enim Electi gratiæ & gloriæ candorem ex sanguine, id est, ex merito Passionis Agni adepti sunt.

Sed quomodo stolas non potiùs rubricarunt, quam dealbaverunt in sanguine Agni, qui ruber, non albus est? Resp. Quia non rubedine suâ, sed aliâ virtute agit ille sanguis, nec est causa univoca, sed æquivoca, ut loquuntur Philosophi, respectu illius candoris. Deindè, ut Albertus Magnus, & pij quidam contemplantur: sicut sanguis ruber colore cordis & mamillarum in lac album transmutatur; ita Sanguis Christi calore charitatis cordis ejus decoctus, candorem induit, quo stolæ justorum dealbantur.

15. IDEO SVNT ANTE THRONVM DEI. Stantes videlicet, ut dixit v. 9. in contemplationem & admirationem Dei erecti. Cujus rei causam significat particula, *ideò*, quia scilicet justitiæ & gloriæ candore vestiti sunt: nulli enim alij ante thronum Deï stare, & eum contemplari possint. ET SERVIVNT EI DIE AC NOCTE. Semper, & sine ulla cessatione. Cum enim nox quiete aliquâ actiones hujus vitæ interpellet, in cælo nulla hujusmodi interpellatio erit.

Non ergo significatur, successionem diei & noctis in cælo futuram; quod expresse negatur infra Apocal. 21. v. 25. sed modus loquendi viæ transfertur ad phrasin patriæ: in hebraicâ enim, & omni ferè linguâ, cum volumus dicere aliquid perpetuò & incessanter fieri, dicimus fieri die ac nocte, quia dies & nox comprehendunt & inter se dividunt omne tempus.

Servitus autem illa Sanctorum est libera per charitatem, & infatigabilis per delectationem: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*, Psal. 35. ideoque torrens ille nunquam exarescit, quia fontem

tem

tem juxta se habet ex quo abundantia perpetuò suppletur.

In templo eivs. Cœlum enim est templum, in quo perfectè servitur Deo: cujus figura tantum & umbra fuit tabernaculum & templum Salomonis, in quo Sacerdotes *exemplari & umbra deserviebant cœlestium* ad Hebr. 8. v. 5. Sicut enim in templo manufacto & hujus creationis ad Hebr. 9. v. 11. Sacerdotes die ac nocte in sacrificijs, vel alijs sacris ministerijs erant occupati, ita beati in cœlo sacrificia laudis, & omne genus cultus, quod illi placere sciunt, Deo perpetuò offerunt. Et qvi sedet in throno. Licèt extra ipsos sedere & habitare videatur, attamen, Habitabit svper illos. Fixo quasi super ipsos tabernaculo suo, ut obumbret & protegat eos. Hoc enim verbum græcum significare hîc videtur: unde quidam vertunt, *Vmbraculo proteget eos*. Non dirigendo eos ad finem adipiscendum, inquit Carthus. sed conservando eos immobiliter in fine adepto. Isti enim, de quibus S. Joannes loquitur, non amplius in via sed in termino erant: Unde sequitur.

16. Non esvrient neqve sitient amplivs: Nullâ molestiâ internâ, qualis est molestia famis & satis ampliùs torquebuntur. Nec cadet svper illos sol, neqve vllvs æstvs. Nec ullâ etiam amplius afficientur molestia exteriori, qualis est illa, quæ à radijs solis media & torridâ æstate in nos cadentibus, vel ab æstu ex labore itineris, aut simili causa nascitur. Videtur alludere ad incommoditates, quas milites in bello interiùs exteriusque patiuntur: *Militia enim est vita hominis super terram* Job 7. v. 1. Vel alludit ad molestias athletarum, qui famen, sitim, solem, & æstum in certaminibus sustinent, *& ab omnibus se abstinent, ut corruptibilem coronam accipiant* 1. ad Cor. 9. v 25. Sancti verò ab ijsdem abstinent, ut accipiant incorruptã.

Respicit autem manifestè S. Joannes ad istum Isaiæ locum, *Non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol*, Isaiæ 49. versu 10.

Quidam interpres per *esuriem* & *sitim* hîc generaliter intelligunt desideria rerum terrenarum, adversus quæ Sancti in hac vita pugnant, & finiuntur demùm in altera. Ubi tamen etiam sine desiderio non erunt, juxta illud, *In quem Angeli desiderant prospicere*. 1. Pet. 1. v. 12. sed desiderio minimè cruciante. Quia enim Beati Deo fruuntur sine fastidio, ideò desiderant in sempiternum frui: qui enim illum edunt, adhuc esurient, & qui bibunt, adhuc sitient.

Solem verò & *æstum*, interpretantur externas à diabolo & mundo persecutiones: nam sicuti Sol quibusdam corporaliter nocet, ut quando *Sol ortus percussit super caput Ionæ, & æstuabat*, Ionæ 4. v. 8. ita non

ſemper Sol myſticè in bonam partem accipitur, ut quando Sole orto *ſemen exæſtuavit, & eo, quod non habebat radicem, exaruit*, Marci 4. v. 6.

17. QVONIAM AGNVS QVI IN MEDIO THRONI EST. Qui in medio juxta & ante thronum eſt, ut Apoc. 5. v 6. diximus. Nam talis ordo conſeſſus erat, ut in centro circuli eſſet ſedes Dei Patris ſedentis in throno; proximus ei, & ante pedes ejus ſtaret Agnus: deinde quatuor animalia, poſtea 24. Seniores, ac poſtremò maxima multitudo Angelorum, qui omnes includerent. REGET ILLOS. Sicut Paſtor regit paſcendo ſuas oves: hoc enim verbum græcum propriè ſignificat. Unde Arias & alij vertunt, *paſcet illos*: quod mirum videtur, quia Agni non ſolent paſcere & regere oves. Sed hic Agnus metaphoricus eſt ſimul paſtor verus: *Ego ſum paſtor bonus* &c. Ioan. 10. v. 11. Ipſe verò electas ſuas oves, non tantùm in Eccleſia militante, ſed etjam in triumphante paſcit, quia & lumen quo Deum vident, & charitatem quâ amant, & omnia bona quibus affluunt, ſuppeditat: gratiæ enim ejus dona ſunt. ET DEDVCET EOS, ſicut paſtor ſolet oves ſuas æſtu meridiani Solis æſtuantes; AD VITÆ FONTES AQVARVM. Quidam græci codices habent: *Ad vivos fontes aquarum*, id eſt, ex quibus aqua ſemper ſcaturit; & quidem aqua vitæ, quæ tribuit bibentibus vitam æternam. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, Pſalm. 35.

Quia verò oves iſtæ, quas Agnus ſic reget & deducet, perditæ fuerant, & ab ipſo miſerante reductæ, Iſaias Agnum *miſeratorem* appellat: *Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*, Iſa. 49. v. 10.

ET ABSTERGET DEVS OMNEM LACHRYMAM. Sicut pia mater parvulorum ſuorum lachrymas abſtergere ſolet, etiam quas ipſa caſtigando expreſſit. Dicit, *omnem lachrymam*; quia plurima ſunt genera lachrymarum, ſicut afflictionum, quas juſti patiuntur in hac vita mortali, quæ ideo vallis lachrymarum merito appellatur. AB OCVLIS EORVM. Indicat, ſemper aliquam lachrymam, totâ hâc vitâ durante, pendere ex oculis Iuſtorum. Unde in altera demùm vita oculi eorum ab omni lachryma perfectè ſiccantur: *Omnes enim, qui piè vivere volunt in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*, 2. ad Tim. 3. v. 12.

Lachrymæ tamen hujus vitæ ſine gaudio non ſunt, cùm gratia & charitas, quam Spiritus S. diffundit in cordibus noſtris, ſit gaudium & dulcedo quædam ſpiritualis; & quidem tanta, ut triſtitiam lachrymarum ita diminuat, ut Apoſtolus, *quaſi triſtitiam* appellet: *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, 2. ad Cor. 6. v. 10. ut cum Poëta dicere poſſint: *Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.*

CAPVT

CAPVT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aperitur septimum sigillum. Septem Angeli tubicines prodeunt in medium. Quatuor hoc capite tubis suis canunt, quintus & sextus capite seq. septimus in cap. 11. differtur. Ad singulos tubarum sonitus, grando, ignis, sanguis, & alia prodigia in terram vel aquas cadunt, aut Sol, Luna & Stellæ eclypsibus feriuntur.

Vers. 1.

ET CVM APERVISSET. Agnus, penes quem est scientiæ clavis. SIGILLVM SEPTIMVM. Quod ultimum est inter sigilla libri signati, quem vidit Apoc. 5. v. 1. FACTVM EST SILENTIVM IN CŒLO. Quatuor animalibus, & 24. Senioribus, omnique multitudine Angelorum, qui in circuitu throni & Agni erant, tacentibus, & exspectatione suspensis, cùm præter cæterorum sigillorum morem non statim in lucem prodiret, quod sub hoc sigillo septimo latebat. Quod rei magnitudinem, & magni moliminis apparatum significat. QVASI MEDIA HORA. Hoc enim tempus satis longum fuit ad indicandum rem magnam & extraordinariam exituram, quæ sub hoc septimo & extremo sigillo latebat; horrendas scilicet calamitates, ad sonitus sex primarum tubarum infligendas illis, qui non habent signum Dei in frontibus suis, ut dicet Apocal. 9. v. 5.

Beda & Richardus, *mediam horam*, interpretantur tempus breve, quo Ecclesia in silentio & magna tranquillitate erit post necem Antichristi: hoc enim tempus tantùm 45. dierum futurum interpretatur S. Hieronymus, Dan. 12. v. 12. Sed hæc tranquillitas Ecclesiæ sequetur omnes istas plagas, quas Angeli tubicines evocant, & interponetur inter Antichristi necem, & adventum Christi ad judicium, ut ibi S. Hieron. docet. Silentium autem hoc mediæ horæ antecedit plagas; imò præcedit Angelos tubicines, qui in fine silentij apparent parati ad eas infligendas.

Haymo post S. Gregorium & Bern. mysticè & pulchrè hoc mediæ horæ silentium interpretatur quietem contemplationis, quando anima cogitationum tumultus reprimendo, in internæ quietis secretum; quasi in quoddam silentium, ingreditur. Sed quia animo renitente, cogita-

Duodenarius etiam, ex quo tanquam radice resultat, quot millia signatorum ex qualibet tribu futura perhibentur, licèt sit numerus determinatus, maximè tamen idoneus est ut significet nobis indeterminatum & incognitum numerum omnium Júdæorum, qui à quatuor mundi partibus in fide SS. Trinitatis congregati baptizabuntur & salvabuntur, ut S. Augustinus interpretatur: quater enim tria duodecim conficiunt. Propterea etiam Christus 12. Apostolos elegit, & 12. Patriarchas, quorum familias duodecim per mare rubrum & desertum in terram promissionis perduxit. Quæ fuit figura prædestinationis; quâ Deus electos per Baptismi aquam, & hujus vitæ desertum ad æternæ felicitatis patriam perducit.

5. EX TRIBV IVDA &c. Ponuntur primo loco signati ex tribu Juda, quia nobilissima tribuum, ex qua Messias natus est. Deinde trepidantibus cæteris ante ingressum maris rubri, prima Moysen per medias undas versus terram promissionis secuta est. Transitus autem iste per mare rubrum & desertum in terram promissionis, figura fuit, ut ante dixi; transitus, quo millia signatorum ad æternam felicitatem tendunt. Aliàs autem ordine Nativitatis Judas inter filios Jacob quartus tantùm fuit. EX TRIBV RVBEN &c. Licèt Ruben maximus natu fuerit inter 12. fratres, non tamen idcirco proximus ponitur post Judam, quia ordo ætatis in sequentibus non observatur: aliàs enim post Ruben collocandi proximè erant Simeon & Levi.

Ribera & alij quidam putant in toto hoc catalogo servari ordinem nativitatis spiritualis, sive conversionis ad fidem per prædicationem Eliæ & Enoch.

Verùm obstat, quod Júdæi jam non sint amplius per tribus distincti, nec vulgò sciant, ex quanam tribu oriundi sint. Unde inter se confusi & permixti Eliam & Enoch concionantes audient, & simul ad Christi fidem convertentur.

Fortasse autem ordinem sanctitatis, & zeli spiritualis pro Christo adversus Antichristum S. Ioannes secutus est: eo argumento, quod tribus Júda primo loco posita sit, quæ pietate & zelo pro Regibus suis ubique semper prima fuit, ut omnino etiam verosimile sit, futuram zelosissimam pro Christo suo adversus Antichristum.

EX TRIBV GAD. Mirum est post Ruben statim subijci Gad, septimum filiorum Jacob, & quidem non ex libera, sed ex Selpha ancilla Liæ. Unde nisi fervoris & zeli spiritualis ordo spectetur; nihil fermè verosimile conjectare possumus. Plerique sensus mysticos in nominibus proprijs filiorum Jacob venantur; sed nos litteræ sensum præcipuè quærimus.

6. Ex

6. Ex tribv Aser. Hic octavus filiorum Jacob est ex eadem cum Gad matre Selpha. Ex tribv Nephthali. Sextus est filiorum, natus ex Bala ancilla Rachelis, cujus uterinus frater fuit Dan, de quo hîc nulla mentio.

In terra promissionis tribus Nephthali totam fermè Galilæam superiorem, usque ad fontes Jordanis, & Damascum, hoc est, terram irriguam, & valde fertilem occupavit. Hinc de ea prophetaverat Moyses: *Nephthali abundantiâ perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini*, Deut. 33. v. 23. Quod per allegoriam etiam referri potest ad benedictiones, quibus signati ad vitam æternam ex ista tribu in cælo perfruentur.

Ex tribv Manasse. Iste non Jacobi, sed Josephi naturalis filius fuit, sed cum fratre suo Ephraim à Jacob moriente adoptatus, Gen. 48. v. 16. unde quia ex una tribu Joseph duæ tribus, scilicet Manasse & Ephraim, factæ sunt, fuerunt in universum 13. tribus; & totidem hîc enumerandæ essent, nisi tribus Dan omitteretur.

7. Ex tribv Simeon. Hic fuit natû maximus post Ruben; Tribus autem ejus minima omnium quæ intraverunt terram promissionis: unde non propriam sortem, sed partem tantùm sortis tribus Iudę in ultimo angulò australi terræ sanctæ accepit, Iosue 19. v. 1. Ex ista tribu maxima pars Scribarum & Pharisęorum fuisse putatur, qui Christum Dominum ita persecuti sunt. Ex tribv Levi. Proximus natu post Simeonem fuit Levi, audaciâ, & animi ferociâ similis Simeoni: hi enim duo fuerunt auctores cædis Sichimorum ob sororis suæ Dinæ stuprum, Gen. 34. Unde Iacob moriens, vocat eos *vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat*, inquit, *anima mea*, Gen. 49. v. 6. Quibus verbis in allegorico sensu putatur Iacob etiam respexisse ad consilium, quod adversus Christum Scribæ & Pharisæi posteri Simeonis, cum Pontificibus & Sacerdotibus posteris Levi aliquando inituri erant.

Unde etiam in fratrem suum Ioseph, qui Christi figuram gessit, duo isti acerbissimi fuisse videntur, sicut *Targum*, & traditio Hebræorum habet. Quæ causa fortasse fuit, cur Ioseph Simeonem potiùs, quam alium quemlibet fratrum, ligari, & in carcerem detrudi voluerit, tanquam obsidem, donec ad eum Benjamin adduceretur, Genes. 42. v. 25.

Sicut tamen statim à morte Christi, quem interfecerant, multa turba Sacerdotum conversa est ad fidem per Apostolos Act. 6. v. 7. ita minimè mirum, si plurimi Levitæ in fine mundi per Eliam &

Enoch ad Christum convertantur, & in vitam æternam signentur. Sicuti enim in malum, ita in bonum valde zelosi fuerunt etiam olim Levitæ, ut patet, quando statim obtulerunt operam suam Moysi, ad scelus adorati vituli vindicandum, occideruntque uno die 23000. suorum fratrum. Quo facto meruerunt, ut tribus illa fieret sacerdotalis, Exo. 32. v. 29.

Ex tribv Issachar. Nonus fuit iste filiorum ex Lia, cujus tribus in sorte terræ promissionis felicissimam & amœnissimam Galilææ partem juxta Iordanem est sortita.

8. Ex tribv Zabvlon. Decimus fratrum & ultimus hic est genitorum ex Lia. Tribus ejus in Galilæa à mari Ienesareth usque ad mare magnum, sive mediterraneum protendebatur.

Magna hujus tribus felicitas, quod in ea fuerit Nazareth, ubi Christus conceptus & educatus est. Bethsaida quoque in Galilæa est, patria SS. Petri, Andreæ, & Philippi: civitas etiam Capharnaum, in qua Christus tam diu habitavit, & ubi Euangelij prædicationem inchoavit Matth. 4. v. 13. in finibus Zabulon & Nephtali erat; & breviter plerique Apostoli, aut Zabulonitæ, aut Nephtalitæ fuisse putantur (ut ad Annum Christi 32. Baronius testatur) præter fratres Domini, qui licèt in terra illarum tribuum habitarent, & ibi essent educati; origine tamen ex tribu Juda erant, sicuti S. Joseph, B. Virgo, & ipse Christus, quibus erant cognati. Quod quidam colligunt ex illo Psal. 67. *Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali.*

Ex tribv Joseph. Cùm tribus Manasse ante nominata fuerit, tanquàm distincta à tribu Joseph, intelligitur hic tribus Ephraim filij Joseph, & fratris Manasse. Et quia tribus Ephraim multorum Ducum, ut Josue, Jeroboam, &c. mater fuit, adeòque nobilior tribu Manasse: ideò tribus Ephraim sæpè, *tribus*, vel, *domus Ioseph* in V. Testamento appellatur. Ex tribv Beniamin. Licèt ætate ultimus fratrum fuerit Benjamin, non tamen ideò in hac serie tribus ejus ultima ponitur, quia S. Joannes non sequitur ordinem ætatum Patriacharum ut ante notavimus. Sanctitate ergo fortasse ultima erit in fine mundi: quod videri potest significatum esse per sortem, quam Benjamitæ latitudine & longitudine omnium brevissimam adepti sunt olim in terra promissionis. Vel certè, pauciores, quàm aliæ tribus, signatos tunc habebit, quia numerus Benjamitarum valde accisus fuit propter uxorem Levitæ ab ipsis oppressam, Judic 20. Unde fortè jam & temporibus Anti-Christi tribus Benjamin minima omnium tribuum erit. Aliàs in terra promissionis sortem omnium sanctissimam habuit

habuit, quia Jerosolymam includebat, in qua posteà templum Domini ædificatum fuit.

Quare verò tribus Dan hîc omittatur, incertum est. Plerique tamen veterum S. Irenæum secuti, credunt Anti-Christum ex illa tribu nasciturum; & ideò paucos admodum signandos ex ista tribu, quia pertinacius, quàm cæteræ tribus, Anti-Christi contribulis sui castra sequentur. Aut certè, si reliquiæ tribus Dan per Eliam & Enoch etiam convertendæ sint, omittitur tamen Dan, tanquam pater Antichristi, qui in filio suo omnium reproborum personam gerit: ut Dan inter 12. Patriarchas sit, quod Judas Iscariotes inter XII. Apostolos. Et quia populo illi omnia in figura contingebant, hujus rei etiam figura præcessisse videtur, quando tribus Dan non contenta parte sortis tribus Juda, sibi assignatâ in terra Philisthym, à Juda longissimè recessit, & armatâ manu locum sibi fecit in ultima septentrionali parte terræ sanctæ ad montem Libani, & fontes Iordanis, expugnatâ urbe *Lays*, quam deinceps *Dan* appellaverunt Iudic. 18. Recessus enim iste à Iuda & vicina Vrbe Ierusalem ad ultimum Aquilonem, videtur esse figura apostasiæ à Christi religione ad diaboli cultum, qui in lateribus Aquilonis sedere dicitur, Isa. 14. v. 13.

9. POST HÆC VIDI TVRBAM MAGNAM. Græcè, *Post hæc vidi & ecce turba multa*. Postquam illa centum quadraginta quatuor millia signatorum ex Iudæis conspexissem, alia visio mihi subitò objecta fuit, videlicet turba plurima signatorum & salvandorum ex Gentibus. QVAM DINVMERARE NEMO POTERAT. Quam nullus homo mortalis numerare posset; tanto intervallo excedebat centum quadraginta quatuor millia signatorum ex Iudæis.

Utitur perperam hoc S. Ioannis testimonio Catharinus, ut probet, præter speciales quosdam, & maximos sanctos à Deo sine prævisis meritis ad gloriam electos (quos centum quadraginta quatuor millium signatorum numero significari putat) esse alios innumerabiles, quibus demùm post prævisa merita Deus decrevit gloriam.

Sed ista diversitas prædestinatorum à Catharino conficta, ab alijs passim meritò reijcitur: omnes enim homines, aut ante prævisa merita prædestinati sunt ad gloriam, sicut S. Augustinus, S. Thomas, & veritas habet: aut omnes post prævisa merita, ut docent, qui gratiam & prædestinationem hominum & Angelorum confundunt.

EX OMNIBVS GENTIBVS. Ex omni natione; sicut eandem vocem græcam vertit Interpres Apoc. 5. v. 9. ET TRIBVBVS. Et cognationibus. ET POPVLIS. Unusquisque autem populus multas tribus

& cogna

& cognationes continet. ET LINGVIS. Una etiam lingua per multos aliquando populos diffunditur.

Alio ergo ordine Apoc. 5. v. 9. S. Ioannes ista enumerat: tribus enim, quæ minime omnium latè patet, ponitur ibi primo loco, & gradatim ascenditur ad nationem, sive gentem, quæ latissimè omnium patet. Hîc verò latissimum primo loco, deinde strictissimum ponitur, & postea iterùm reditur sursum, ad populos nempe & linguas.

STANTES ANTE THRONVM. Erecti in Dei contemplationem, qui sedebat super thronum. ET IN CONSPECTV AGNI. Et etiam ante Agnum, qui tanquam occisus stabat in medio throni & animalium, Apocal. 5. v. 6. Stant autem Sancti in conspectu Agni, quia ex Humanitatis ejus contemplatione speciali gaudio reficiuntur, inquit Carthus. AMICTI STOLIS ALBIS. Qui vestiti erant gloriâ animæ & corporis, tanquam longis & candidis stolis, quæ à capite eis defluunt usque ad pedes. ET PALMÆ IN MANIBVS EORVM. In signum victoriæ omnium tentationum, quas à carne, diabolo, mundo, in hac vita passi sunt. Alludit ad Græcorum certamina, in quibus præter varias coronas, ex lauro, olea, myrtho, quercu, ramus palmæ insuper dabatur in manum victoribus, ut lib. 8. cap. 4. Symphos. testatur Plutarchus.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA. Magna vox magnum fervorem charitatis significat DICENTES: SALVS DEO NOSTRO. Sit immortalis & æterna salus Deo nostro, qui salutis nostræ fons est & origo. Non orant ut Dei salus non deficiat, quæ deficere non potest; sed congratulantur ei de salute & immortalitate, quam habet per essentiam, & unde omnis salus in creaturas fluit per participationem.

Homines sancti *Deum suum* vocant potiori ratione, quàm sancti Angeli infra versu 12. quia beneficium prædestinationis excellentius est in hominibus, quàm in Angelis.

QVI SEDET SVPER THRONVM. Hic enim Deus Pater erat, qui homines è massa damnata elegit, ad salutem & felicitatem æternam. ET AGNO. Per cujus immolationem & meritum electio & prædestinatio Dei Patris executioni mandatur.

11. ET OMNES ANGELI STABANT. Tanquam Dei satellites ad mandata & nutum ejus paratissimi. IN CIRCVITV THRONI. Majori videlicet circulo dispositi, quo Angeli cingebant non tantùm thronum Dei, sed quatuor animalia, & 24. Seniores. Vide quæ diximus Apoc. 5. v. 11. & 12. ET CECIDERVNT IN CONSPECTV THRONI.

Proster-

Prosternentes se ante Deum in profundissimæ humilitatis & obedientiæ signum. IN FACIES SVAS. Angeli ergo isti facie & specie humanâ S. Joanni apparebant. ET ADORAVERVNT DEVM. Cadere enim in faciem suam olim ritus adorantium fuit.

12. DICENTES, AMEN. O ita sit, salvus sit, & vivat Deus noster & Agnus in æternum, à quibus homines salutem perditam recuperaverunt. Per illud ergo, *Amen*, Angeli confirmant laudem & congratulationem, quam homines paulò antè Deo & Agno dederunt: BENEDICTIO. Laus: laudando enim benè de aliquo dicimus. ET CLARITAS. Græcè, *& gloria*: Nam per gloriam aliquis fit clarus, & nominatus apud omnes. Gloria enim, ait S. Augustinus tract. 100. in Ioan. est frequens de aliquo fama cum laude. ET SAPIENTIA. Id est, sapientiæ fons, ex quo omnis sapientia creata descendit. ET GRATIARVM ACTIO. Quia enim ex ipso omnia bona promanant, perpetuâ gratiarum actione honorari debet. HONOR, ab omnibus creaturis intellectualibus ei exhibendus. ET VIRTVS. Potentia, quâ omnia facit & operatur in cœlo & in terra. ET FORTITVDO. Quæ virtutem & potentiam ejus insuperabilem facit: hæc enim est illa fortitudo, quâ *attingit à fine usque ad finem fortiter*, Sap. 8. v. 1. DEO NOSTRO sit IN SÆCVLA SECVLORVM. In omnem æternitatem. AMEN. Quâ clausulâ sancti Angeli ex amoris æstu desiderium suum super omnia præcedentia reflectunt, iterùmq; Deo benedictionem, claritatem &c. exoptant. Omnia enim quæ Deus habet per naturam Divinitatis, sunt ei iterum iterumque referenda per canticum laudis, ait Richardus.

13. ET RESPONDIT. Locutus est mihi: Hebræi enim *respondere*, sæpè usurpant pro, simpliciter alloqui, etiamsi nemo interrogaverit, ut Matth. 11. v. 25. & alibi. Aut certè admirationi S. Ioannis, & tacito desiderio cognoscendi respondit. UNVS DE SENIORIBVS. Ex illis viginti quatuor, qui sedebant in circuitu throni, Apocal. 4. v. 4. Quidam autem conjectant hunc seniorem fuisse Petrum principem Apostolorum, ut ait Carthus. Petrus enim & alij Apostoli multa nobis de gloria Sanctorum revelaverunt. Alcazar putat fuisse S. Lucam, Actuum Apostolorum scriptorem. HI, QVI AMICTI SVNT STOLIS ALBIS, QVI SVNT? Senior interrogat S. Ioannem, non ut ab eo discat, sed ut eum doceat, postquam ignorantiam suam fuerit confessus. ET VNDE VENERVNT? Unde & per quam viam ad tantam gloriam ascendere potuerunt?

14. ET DIXI ILLI: DOMINE MI, TV SCIS. Ego utrumque ignoro, & qui sint, & unde venerint: tu verò utrumque nosti, &

à te doceri debeo. ET DIXIT MIHI. Ignorantiæ enim confessio tam humilis doceri merebatur. HI SVNT, QVI VENERVNT DE TRIBVLATIONE MAGNA. Græcè verti potest, *De illa tribulatione, illa magna.* Quæ formula loquendi exaggerat tribulationem illam omnium maximam, quâ fideles tam Martyres, quàm Confessores exercebuntur sub imperio Antichristi. ET LAVERVNT STOLAS SVAS. Ut mirum non sit, eas tam mundas esse. ET DEALBAVERVNT EAS. Nec tantùm maculas eluerunt, sed etiam candore superfuso dealbaverunt. Quo significatur, justificationem peccatoris non esse nudam peccatorum ablutionem, sed gratiæ etiam sanctificantis infusionem. IN SANGVINE AGNI. Hoc autem non tantùm convenit Martyribus, qui & Agni, & suo sanguine dealbant stolas suas, sed etiam Confessoribus, quales plurimi erunt inter illos signatos & candidatos, tam ex Iudæis, quàm Gentibus. Omnes enim Electi gratiæ & gloriæ candorem ex sanguine, id est, ex merito Passionis Agni adepti sunt.

Sed quomodo stolas non potiùs rubricarunt, quam dealbaverunt in sanguine Agni, qui ruber, non albus est? Resp. Quia non rubedine suâ, sed aliâ virtute agit ille sanguis, nec est causa univoca, sed æquivoca, ut loquuntur Philosophi, respectu illius candoris. Deindè, ut Albertus Magnus, & pij quidam contemplantur: sicut sanguis ruber colore cordis & mamillarum in lac album transmutatur; ita Sanguis Christi calore charitatis cordis ejus decoctus, candorem induit, quo stolæ justorum dealbantur.

15. IDEO SVNT ANTE THRONVM DEI. Stantes videlicet, ut dixit v. 9. in contemplationem & admirationem Dei erecti. Cujus rei causam significat particula, *ideò*, quia scilicet justitiæ & gloriæ candore vestiti sunt: nulli enim alij ante thronum Deï stare, & eum contemplari possint. ET SERVIVNT EI DIE AC NOCTE. Semper, & sine ulla cessatione. Cum enim nox quiete aliquâ actiones hujus vitæ interpellet, in cælo nulla hujusmodi interpellatio erit.

Non ergo significatur, successionem diei & noctis in cælo futuram; quod expresse negatur infra Apocal. 21. v. 25. sed modus loquendi viæ transfertur ad phrasin patriæ: in hebraicâ enim, & omni ferè linguâ, cum volumus dicere aliquid perpetuò & incessanter fieri, dicimus fieri die ac nocte, quia dies & nox comprehendunt & inter se dividunt omne tempus.

Servitus autem illa Sanctorum est libera per charitatem, & infatigabilis per delectationem: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*, Psal. 35. ideoque torrens ille nunquam exarescit, quia fontem

tem juxta se habet ex quo abundantia perpetuò suppletur.

IN TEMPLO EIVS. Cœlum enim est templum, in quo perfectè servitur Deo: cujus figura tantum & umbra fuit tabernaculum & templum Salomonis, in quo Sacerdotes *exemplari & umbra deserviebant cœlestium* ad Hebr. 8. v. 5. Sicut enim in templo manufacto & hujus creationis ad Hebr. 9. v. 11. Sacerdotes die ac nocte in sacrificijs, vel alijs sacris ministerijs erant occupati, ita beati in cœlo sacrificia laudis, & omne genus cultus, quod illi placere sciunt, Deo perpetuò offerunt. ET QVI SEDET IN THRONO. Licèt extra ipsos sedere & habitare videatur, attamen, HABITABIT SVPER ILLOS. Fixo quasi super ipsos tabernaculo suo, ut obumbret & protegat eos. Hoc enim verbum græcum significare hîc videtur: unde quidam vertunt, *Vmbraculo proteget eos.* Non dirigendo eos ad finem adipiscendum, inquit Carthus. sed conservando eos immobiliter in fine adepto. Isti enim, de quibus S. Joannes loquitur, non amplius in via sed in termino erant: Unde sequitur.

16. NON ESVRIENT NEQVE SITIENT AMPLIVS: Nullâ molestiâ internâ, qualis est molestia famis & sitis ampliùs torquebuntur. NEC CADET SVPER ILLOS SOL, NEQVE VLLVS ÆSTVS. Nec ullâ etiam amplius afficientur molestia exteriori, qualis est illa, quæ à radijs solis media & torridâ æstate in nos cadentibus, vel ab æstu ex labore itineris, aut simili causa nascitur. Videtur alludere ad incommoditates, quas milites in bello interiùs exteriusque patiuntur: *Militia enim est vita hominis super terram* Job 7. v. 1. Vel alludit ad molestias athletarum, qui famen, sitim, solem, & æstum in certaminibus sustinent, *& ab omnibus se abstinent, ut corruptibilem coronam accipiant* 1. ad Cor. 9. v 25. Sancti verò ab ijsdem abstinent, ut accipiant incorruptã.

Respicit autem manifestè S. Joannes ad istum Isaiæ locum, *Non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol*, Isaiæ 49. versu 10.

Quidam interpres per *esuriem* & *sitim* hîc generaliter intelligunt desideria rerum terrenarum, adversus quæ Sancti in hac vita pugnant, & finiuntur demùm in altera. Ubi tamen etiam sine desiderio non erunt, juxta illud, *In quem Angeli desiderant prospicere.* 1. Pet. 1. v. 12. sed desiderio minimè cruciante. Quia enim Beati Deo fruuntur sine fastidio, ideò desiderant in sempiternum frui: qui enim illum edunt, adhuc esurient, & qui bibunt, adhuc sitient.

Solem verò & *æstum*, interpretantur externas à diabolo & mundo persecutiones: nam sicuti Sol quibusdam corporaliter nocet, ut quando *Sol ortus percussit super caput Ionæ, & æstuabat*, Ionæ 4. v. 8. ita non

 semper

CAPVT VIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Aperitur septimum sigillum. Septem Angeli tubicines prodeunt in medium. Quatuor hoc capite tubis suis canunt, quintus & sextus capite seq. septimus in cap. 11. differtur. Ad singulos tubarum sonitus, grando, ignis, sanguis, & alia prodigia in terram vel aquas cadunt, aut Sol, Luna & Stellæ eclypsibus feriuntur.

Vers. 1.

ET CVM APERVISSET. Agnus, penes quem est scientiæ clavis. SIGILLVM SEPTIMVM. Quod ultimum est inter sigilla libri signati, quem vidit Apoc. 5. v. 1. FACTVM EST SILENTIVM IN CŒLO. Quatuor animalibus, & 24. Senioribus, omnique multitudine Angelorum, qui in circuitu throni & Agni erant, tacentibus, & exspectatione suspensis, cùm præter cæterorum sigillorum morem non statim in lucem prodiret, quod sub hoc sigillo septimo latebat. Quod rei magnitudinem, & magni moliminis apparatum significat. QVASI MEDIA HORA. Hoc enim tempus satis longum fuit ad indicandum rem magnam & extraordinariam exituram, quæ sub hoc septimo & extremo sigillo latebat; horrendas scilicet calamitates, ad sonitus sex primarum tubarum infligendas illis, qui non habent signum Dei in frontibus suis, ut dicet Apocal. 9. v. 5.

Beda & Richardus, *mediam horam*, interpretantur tempus breve, quo Ecclesia in silentio & magna tranquillitate erit post necem Antichristi: hoc enim tempus tantùm 45. dierum futurum interpretatur S. Hieronymus, Dan. 12. v. 12. Sed hæc tranquillitas Ecclesiæ sequetur omnes istas plagas, quas Angeli tubicines evocant, & interponetur inter Antichristi necem, & adventum Christi ad judicium, ut ibi S. Hieron. docet. Silentium autem hoc mediæ horæ antecedit plagas; imò præcedit Angelos tubicines, qui in fine silentij apparent parati ad eas infligendas.

Haymo post S. Gregorium & Bern. mysticè & pulchrè hoc mediæ horæ silentium interpretatur quietem contemplationis, quando anima cogitationum tumultus reprimendo, in internæ quietis secretum, quasi in quoddam silentium, ingreditur. Sed quia animo renitente,

 cogita-

cogitationum tumultus se ingerunt, felix hora, sed brevis mora: unde factum est silentium in cœlo, quasi mediâ horâ, ait Bernardus.

Ad hujus silentij imitationem, multi, credo, Ordines Religiosorum mediam horam mentalis & silentis orationis quotidie manè & vesperi suis præscribunt. Quod tempus, licèt fortè sit nimis breve pro illis, qui per puncta & longos discursus meditantur: satis tamen longum est illis, qui statim in profundum orationis & contemplationis ingrediuntur. Quod tamen orationis silentium, nisi Deus det, anima suo studio & viribus procurare sibi non potest.

2. ET VIDI SEPTEM ANGELOS STANTES IN CONSPECTV DEI. Clariùs sic verti potest: *Vidi septem illos Angelos, qui stant in conspectu Dei:* sunt enim illi septem Angeli, de quibus antè facta mentio Apoc. 1. v. 4. & Apoc. 4. v. 5. quorum officium est, stare in conspectu Dei, non ut perpetuò assistentes, sed ut spiritus ministratorij, qui ad Dei nutum huc illuc in terram avolant: per hos enim, tanquam minorum Angelorum principes, Deus mundum inferiorem gubernat. ET DATÆ SVNT ILLIS. Verisimiliter ab Agno, qui sigilla libri reserabat. SEPTEM TVBÆ. Unicuique Angelo sua.

Fortassis autem proprias & veras tubas ad terrorem hominum, & calamitatum instantium denuntiationem inflabunt septem isti Angeli ante adventum Anti-Christi. Vel certè, ut pluribus interpretibus placet, per tubas significantur prædicatores euangelici, qui spiritu Dei, & Angelorum instinctu, adventum Anti Christi, & mundi subversionem proclamabunt. Mundus enim hic inferior ad clangorem septimæ tubæ concidet, ut olim in figura ad septem clangentium tubarum circuitum muri Iericho corruerunt, Iosue 6. v. 20. Prædicatores enim, quando publicas calamitates, aut res magnas annuntiant, tubis comparari solent. Unde Deus Osee excidium Ierosolymæ annuntiaturo dicit, *In gutture tuo sit tuba*, Osee 8. v. 1. &, *quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum,* Isa. 58. v. 1.

3. ET ALIVS ANGELVS VENIT. Aliqui Angelum Michaëlem, alij Gabrielem fuisse existimant; sed non benè: nam uterque inter septem illos Angelos, quibus datæ sunt tubæ, numeratur. Fuerit ergò potiùs aliquis ex ordine Seraphinorum, instar illius, qui calculo ignito de altari forcipe sublato, expiavit labia Isaiæ, Isa. 6. v. 6. ET STETIT ANTE ALTARE. Thymiamatis, ut patet ex sequentibus. Videbat autem S. Ioannes in cœlo altare simile altari thymiamatis templi Salomonis, sicut totum ipsum cœlum simile erat templo, ut patuit

Apocal.

Apocal. 7. v. 15. HABENS THVRIBVLVM AVREVM. Quale erat illud, quod summus Sacerdos implebat prunis altaris, & iniecto thymiamate, intrabat cum eo in Sancta Sanctorum, Lev. 16. v. 12. ET DATA SVNT ILLI INCENSA MVLTA. Græcè, *Thymiamata multa*, id est, aromata pretiosa & odorifera ad incendendum, quorum compositio ex stacte, onycha, galbano, & thure erat, ut narratur Exo. 30. v. 34. Quid autem hæc thymiamata significent, mox exponit S. Ioannes. UT DARET. Ut offeret Deo. DE ORATIONIBVS SANCTORVM OMNIVM. Incensa, inquam, composita, non ex stacte, onycha, &c. ut thymiama illud Aaronicum, sed ex orationibus omnium Sanctorum. SVPER ALTARE AVREVM. Simile altari thymiamatis in templo Salomonis, quod vestitum erat auro purissimo.

Hoc altare figura fuit Christi, super quo suffitus & thymiamata sanctarum orationum offeruntur Deo Patri, ideoque in missa orationes finire solemus, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c.

QVOD EST ANTE THRONVM DEI. Sicut enim in templo Salomonis altare aureum erat ante Propitiatorium, cui Deus insidere dicebatur inter alas Cherubinorum: ita S. Ioannes simile altare aureum videt in cœlo ante thronum Dei, sed in quo offerebantur, non thymiamata materialia, sed spiritalia, quæ sunt orationes Sanctorum.

4. ET ASCENDIT FVMVS INCENSORVM. Non qualiumcumque, sed, DE ORATIONIBVS SANCTORVM. Quæ composita erant ex orationibus Sanctorum. Ascendit autem fumus, quia thymiamata orationum, quas conferunt Sancti & amici Dei, magno charitatis igne incenduntur, & celeriter in cœlum volant. Nec solæ orationes propriè dictæ, sed omnia bona opera Sanctorum, hoc igne charitatis supposito, per modum suffitus gratissimi ad Deum ascendunt. Undè in omni opere ex charitate facto Sancti assiduè quodammodo orant, ut docet D. Thomas 2. 2. quest. 83. art. 14. DE MANV ANGELI. Ascendit, inquam, de manu Angeli imponentis thymiamata illa ardentibus prunis altaris aurei. CORAM DEO. Sicut enim fumus thymiamatis materialis, ex altari aureo templi Salomonis ascendebat versus Propitiatorium, in quo sedebat Deus: ita hic fumus thymiamatis spiritualis compositi ex orationibus Sanctorum ascendit versus Deum in cœlesti throno sedentem.

Hinc colligitur, orationes nostras per manus Angelorum Deo offerri, ac proinde falsum esse quod Sectarij docent, Beatos in cœlo pro nobis non orare: oblatio enim illa Thymiamatis orationum, fit per alteram

alteram Angelorum orationem, quâ nostras Deo commendant.

Colligitur etiam cum D. Thoma 3. p. quæst 83. art. 4. ad ult. Angelum aliquem Sacerdoti sacrificanti assistere, qui orationes populi & Sacerdotis offerat Deo: unde post Consecrationem Sacerdos orat & dicit: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Maiestatis tuæ*, &c. & ideò *Missa*, nominatur, ait S. Th. quia in ea Sacerdos per Angelum preces ad Deum mittit; & quando dicit, *Ite Missa est*, significat hostiam per Angelum missam esse ad Deum, ut ei sit accepta.

5. Et accepit Angelus thuribulum. Illud quod imposuerat altari thymiamatis cum carbonibus ad adolenda incensa quorum fumus ascenderat coram Deo, ut versu præc. dixit. Nec enim carbones vivi immediate superponebantur aureæ laminæ altaris thymiamatis, sed in thuribulo, sive prunario ad hoc fabricato. Et impleuit illud igne altaris. Holocaustorum, in quo semper ignis die ac nocte ardebat, & unde carbones adferri solebant, quando aromata incendenda erant in altari thymiamatis. Sicut enim totius templi, ita etiam utriusque altaris tam holocaustorum, quam thymiamatis, figuram in cœlo videbat S. Joannes.

Utrumque autem altare figura Christi fuit, & ignis ex altari in thuribulum assumptus, significat charitatis ignem ex Christi meritis diffundi in cordibus nostris tanquam thuribulis, ut orationum nostrarum suffitus odoriferi & grati ascendant in conspectum Dei.

Et misit in terram. Prunas ardentes, quibus thuribulum suum impleverat, effudit in terram; sicut apud Ezechielem vir lineis indutus jubetur implere manum prunis ignis, ex prunario quod erat inter rotas Cherubinorum, & effundere super Civitatem Ierusalem ad ejus combustionem & excidium significandum, Ezech. 10. v. 2. Ad quem locum planè alludere videtur hæc S. Joannis visio. Unde missio ista ignis in terram, significat exustionem, calamitates & plagas brevi iis inferendas, qui in frontibus suis non habent signum Dei & Agni. Ignis autem ille assumitur prius ex altari in thuribulum, & deinde spargitur in terram, ut ad pœnas istas reprobis infligendas thuribula & orationes Sanctorum concurrere & cooperari significentur. Licitum enim est amore justitiæ, & ad Dei gloriam orare, ut pœnæ justæ, & tempore statuto de peccatoribus sumantur. Non enim justus, quando videt impium à Deo puniri, ejus delectatur pœnâ, quia eum non odit; sed divinâ justitiâ, quia Deum diligit, ait S. Augustinus Psal. 78. Et facta sunt tonitrua. Ad terrorem hominum.

hominum. ET VOCES. Articulatæ cum ejulatu lugubri, & væ. ET FVLGVRA. Intermicantia ante crepitus tonitruorum, ut solet. ET TERRÆMOTVS MAGNVS. Hæc enim omnia sunt, quibus homines maximè terreri solent. Unde talia signa præmittet Deus, ut calamitatum imminentium eos admoneat: nihil enim terribilius esse solet, magno terræ tremore. Hinc Aristoteles Gallos Celtas, qui terræ motus nihil curare dicebantur, ultrà limites virtutis intrepidos esse dicit.

Qui tamen per Angelum istum intelligunt Christum, qui vocatur, *magni consilij Angelus*, longè aliter hæc interpretantur. Ignem charitatis, inquiunt, quâ corda fidelium inflammat, ex thuribulo humanitatis suæ in terram misit; sed præcipuè in die Pentecostes, quando in linguis igneis Spiritus Sanctus super Apostolos cecidit. Tunc facta sunt tonitrua, voces, & fulgura prædicationum & miraculorum, ac terræmotus, quo totus mundus conturbatus est ad insolitam illam novi Messiæ & Christianæ religionis annuntiationem.

Verùm S. Ioannes de futuris & extremis potiùs mundi temporibus, quàm de præteritis, & principio Euangelicæ prædicationis prophetare videtur.

6. ET SEPTEM ANGELI, QVI HABEBANT SEPTEM TVBAS. Destinati à Deo ad plagas infligendas, Christi & Christianorum hostibus. PRÆPARAVERVNT SE. Tubas ori admoventes. UT TVBA CANERENT. Unus post alterum, & quisque ordine suo.

7. ET PRIMVS ANGELVS TVBA CECINIT. Fortasse S. Michaël septem illorum Angelorum princeps. ET FACTA EST GRANDO. Similis plagæ septimæ, quâ Deus Ægyptum percussit, Exo. 9 v. 24. ET IGNIS, MISTA IN SANGVINE. Tria hæc mixta simul, grando & ignis cum sanguine. Vocabulum enim, *mista*, est neutrum pluralis numeri, ut ex Græco patet. ET MISSVM EST. Totum hoc in unam tempestatem convolutum. Potest etiam verti, *Et missa sunt*.

Hæc autem omnia simul in terram dejecta maximè terrifica sunt: grando enim, præsertim qualis fuit illa ægyptiaca, Exo. 9. v. 24. & ignis fulminum, terræ maximè nocent; pluvia verò sanguinea inter maximarum cladium prodigia habetur.

ET TERTIA PARS TERRÆ. Non continua, ut v.g. universa Europa, aut universa Africa, sed tertia pars discontinua, ut latiùs per omnes Orbis regiones terror & timor spargatur. Ideò enim partes tantùm aliquas terræ primùm feriet Deus, ut illi, quibus dare volet spiritum pœnitentiæ, terreantur & convertantur. COMBVSTA EST.

Igne fulmineo ædificijs, hominibus & animalibus absumptis. ET TERTIA PARS ARBORVM CONCREMATA EST. Hæc plaga respondet sextæ plagæ Æpypti; in hoc tamen dissimilis, quòd arbores Ægypti non concrematæ igne, sed grandine confractæ fuerint: nam *grando omne lignum regionis confregit*, Exo. 9. v. 25. ET OMNE FOENVM VIRIDE COMBVSTVM EST. Nomine *fœni* omne gramen seu herba intelligitur. Unde in sexta plaga Ægypti *cunctam herbam agri percussit grando*, Exo. 9. v. 6.

Non ergo tantùm tertia pars fœni, sicut tertia pars arborum, sed omne omnino fœnum combustum est; ad significandum, brevì omne humanum genus extinguendum esse: homines enim mortales & brevis vitæ, fœnum sæpè vocantur in Scriptura: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri*, Isa. 40. v. 6. *Homo sicut fœnum dies eius, & tanquam flos agri, sic efflorebit*, Psal. 102.

Tropologicè, per *terram*, homines viliores & subditi significantur: per *arbores*, Prælati & superiores; per *fœnum viride*, illi in quibus juventus, carnalis humor, & mundi prosperitas vigent, inquit Carthus. Qui tamen hunc sensum vult esse litteralem, quia sensus litteralis, ait, aliquando non per verba, sed per res ipsas exprimitur, sicut in plerisque hujus Apocalypsis locis est videre.

Sed licèt plagæ tam Ægipti, quàm istæ, quas vidit S. Joannes, si quis diligentius attendat, ut ait S. Irenæus lib. 4. cap. 50. omnibus gentibus infligantur secundum sensum saltem tropologicum vel spiritualem; illæ nihilominus reverà secundum litteram inflictæ sunt olim Ægiptijs, & in fine mundi infligendæ sunt Christianorum persecutoribus.

8. ET SECVNDVS ANGELVS TVBA CECINIT. Ut sicuti primus Angelus terram, & terræ viventia: ita iste aquas, & viventia in aquis flagellet. ET TANQVAM MONS MAGNVS IGNE ARDENS. Ingens aliquis igneus cometes. MISSVS EST IN MARE. Sicuti infrà Apoc. 16. primus Angelus primam phialam iræ Dei effundit super terram, secundus super mare, tertius super flumina: ita hîc etiam similis ordo servatur. ET FACTA EST TERTIA PARS MARIS SANGVIS. Cùm varia maria alluant varias terras, videtur tertia pars uniuscujusque maris vertenda in sanguinem. Hæc enim maris conversio fiet ad terrorem non unius tantùm regionis, sed omnium, quæ mari adjacent. Unde licèt unicus tantùm mons ardens missus in mare repræsentatus fuerit S. Ioanni; verisimile tamen est, in singula maria mittendos esse similes montes: ut mons unus in mare mediterraneum, alter in Ægæum, tertius in Euxinum, quartus in Caspium, quintus in mare rubrum;

deinde

deinde in Oceanum Hispanicum, Gallicum, Flandricum, Hollandicum &c. Aut certè, unicus ille mons in varias partes dissiliet, quarum una in hoc, altera in aliud mare cadet, ut versu sequenti de stella cadente in tertiam partem fluminum dicetur.

An autem igneus ille mons virtute naturali, an supernaturali vertet mare in sanguinem, incertum est. Fortasse enim corpora quædam igneo illi monti miscebuntur, quæ habeant virtutem naturalem convertendi aquam in sanguinem: Sicuti S. Augustinus fieri potuisse dicit, ut Magi Ægypti aquam in verum sanguinem, & virgas in veros serpentes, applicando activa passivis, naturaliter converterint.

Sensu verò spirituali, *mons magnus ardens*, est diabolus superbiâ tumidus & furore ardens, qui canente Angelo, id est, Ecclesia in suis Doctoribus prædicante, excluditur à cordibus electorum, & in mare reproborum mittitur; non quòd ante in ipsis non fuerit, sed quia projectus ex electis, amplius reprobis dominari incipit, ait post Bedam Haymo. Et aquam gratiæ divinæ in sanguinem carnalis sapientiæ vertit, quando apertè mala agere, & per humanam sapientiam excusare & defendere persuadet, ait idem Haymo. Sanguis enim in sacra Scriptura sæpè pro peccato & malo opere ponitur: *Libera me de sanguinibus*, Psalm. 50. *Sanguis sanguinem tetigit*, Osee 4. v. 2.

9. ET MORTVA EST TERTIA PARS CREATVRÆ. Quæ nempe erat in illa tertia parte maris versa in sanguinem. EORVM QVÆ HABEBANT ANIMAS IN MARI, id est, Animalium viventium in mari. Græcè: *Mortua est tertia pars creaturarum in mari habentium animas*: id est, non omnium omnino creaturarum, quæ sunt in mari; sed earum, quæ habent animas, ut piscium crustatorum, & omnium illic reptilium, quorum non est numerus: omnia enim ista animantia suffocantur in sanguine, quia non nisi in elemeno aquæ vivere possint.

Hæc autem plaga mitior est, quàm altera similis secutura Apoc. 16. v. 3. ubi dicitur omnis anima vivens moritura in mari; quia totum mare, non solùm tertia pars tunc convertetur in sanguinem. Deus enim à mitioribus plagis sensim & misericorditer ad graviores procedit.

Sensu spirituali quidam per *mare*, Ecclesiam in hoc sæculo adhuc fluctuantem intelligunt, cujus tertiam partem superbia diabolica in sanguine suffocat, dum fideles, qui in aqua divinæ gratiæ vivere & natare deberent, in sanguine carnalis prudentiæ vivere persuadet, gentili & inani Philosophiâ id approbante.

ET TERTIA PARS NAVIVM INTERIIT. Quæ navigabant in illa

tertia parte maris. Interierunt autem percussæ igne montis illius magni, & demersæ sunt. Si naves, dubium non videtur, quin etiam insulæ, quotquot in illa tertia maris erunt, eâdem plagâ involvendæ sint.

Spiritualiter & mysticè, *naves* sunt Prælati & Doctores Ecclesiæ, qui doctrinâ & exemplo suo alios portant, & ad æternæ salutis portum vehere debent; quorum etiam tertiam partem diabolus in sanguinem carnalis sapientiæ suæ demerget.

10. ET TERTIVS ANGELVS TVBA CECINIT. Angelus iste similis est Angelo tertio, qui Apocal. 16. v. 4. phialâ suâ aquas dulces corrumpet: nisi quòd ille aquas in sanguinem, hic in absinthium convertat. ET CECIDIT DE COELO. Aëreo. STELLA MAGNA. Cometes ingens similis monti illi magno v. præced. ARDENS TANQVAM FACVLA. Græcè, *tanquam lampas*. Hæc autem lampas videtur in casu suo in varias faculas, tanquam stellas minores dissiliisse, ut facere posset, quod sequitur. ET CECIDIT IN TERTIAM PARTEM FLVMINVM. Non in omnia flumina, ne omnium aquas corrumperet, & impotabiles redderet.

Una ergo pars istius stellæ, sive facula in Nilum v. g. altera in Danubium, tertia in Mosam &c. ceciderit; ita ut, si omnia flumina orbis terræ in unam summam colligantur, illa sint futura tertia pars totius summæ: & verisimiliter in illa flumina cecidit, quæ majorum peccatorum terras lavant.

ET IN FONTES AQVARVM. Et in tertiam quoque partem fontium, qui non in flumina, sed in rivulos tantùm scaturiunt, aut ex venis suis non effluunt, quales sunt aquæ puteorum. Hæc plaga sæva erit, quia dulcium aquarum inopiâ plurimi homines ardentissimâ siti torquebuntur.

11. ET NOMEN STELLÆ DICITVR ABSINTHIVM. Ab effectu suo, quia dulces fluminum & fontium aquas in amaritudinem absinthio similem vertet. ET FACTA EST TERTIA PARS AQVARVM. Dulcium omnium, tam fluminum, quàm fontium. Hinc enim colligitur, stellam in tertiam solùm partem fontium, non in omnes fontes cecidisse; licèt hoc versu præced. non expresserit, sicut expressit de fluminibus. IN ABSINTHIVM. Non in absinthium verum & hortense, quòd necare homines non solet, sed in amaritudinem pestiferam, ex venenatæ stellæ illius exhalatione conceptam, quæ tantùm vocatur absinthium, propter saporem amarissimo absinthio similem. Unde sequitur. ET MVLTI HOMINVM MORTVI SVNT DE AQVIS. Ex potu aquarum fluvio-

fluviorum & fontium, in quos stella illa cecidit. Ex aquis enim infectis, sicuti etiam ex aëre pestilenti, lues celerrimè contrahitur; quia duo ista elementa, in corpus potu vel respiratione assumpta, venas & arterias, cæterosque corporis meatus suâ liquiditate celerrimè pervadunt. Unde Hypocrates & Medici, aquarum & aëris puritatem maximum ad sanitatem momentum habere dicunt. QVIA AMARÆ FACTÆ SVNT. Amaritudine illâ pestilenti stellæ cadentis. Sic Aristoteles & Philosophi docent, Cometas pestilentiæ prognosticum esse, quia significant multis pestilentibus exhalationibus, ex quibus concrescunt cometæ, aërem inferiorem, quem respiramus, permixtum, & inquinatum esse.

Lyranus & P. Aureolus, sensu etiam litterali, tam hunc tertium Angelum, quàm stellam magnam, Pelagium hæresiarcham repræsentare existimant, qui de cœlo Ecclesiæ, in quo doctrinâ & religione magnus & splendidus habebatur, cecidit. Erat enim litteratus & Monachus, inquit Lyranus. Quamdiu inter sidera, id est, Doctores Ecclesiæ luxit, stella magna videbatur; sed ubi cecidit, infaustus cometes apparuit, & facula quæ extincta in aquis tetrum fœtorem emisit, ait Albertus Magnus. Nomen ejus absinthium, inquit Lyranus, quia contra dulcedinem gratiæ Spiritus S. prædicavit. Tertia verò pars aquarum corrupta est, quia magna pars Ecclesiæ per absinthium perversi ejus dogmatis infecta, & spiritualiter mortua est. Fontes quoque aquarum Baptismi corrupit, dum virtutem abluendi peccatum originis inesse negavit.

Existimant enim Lyranus, Aureolus, & alij, tam veteres quàm recentiores, quatuor Angelos, qui hoc cap. 8. tubas suas inflant, ad litteram repræsentare quatuor hæresiarchas, contra quos quatuor prima Ecclesiæ Concilia generalia celebrata sunt: Arium, Macedonium, Pelagium, & Eutychetem, qui in Concilijs Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Calchedonensi damnati sunt. Qui commentarius pro spirituali saltem sensu valere potest.

Nec rectè à quibusdam refellitur, quòd Concilium Ephes. non contra Pelagium, sed contra Nestorium convocatum fuerit: nam Nestoriana hæresis ramus tantùm est Pelagianæ; unde Cassianus eam spinosam Pelagij sobolem appellat. Nec in Concilio Ephes. tantùm Nestorius, sed Pelagiani etiam condemnati sunt, ut ex epistola Synodali ad Papam Celestinum patet. Triginta enim Pelagianis ex Occidente ad eum tanquam protectorem profugis stipatus, ad Synodum Ephes. venerat Nestorius. Ut enim Pelagiani & amicus eorum Nestorius faciliùs

defenderent, quemlibet hominem viribus arbitrij, sine gratia Dei, posse implere legem, & vivere sine peccato; finxerunt Christum purum hominem fuisse, qui naturæ viribus tam sanctè vixerit, ut Verbi divini habitaculum fieri meruerit.

Nec refert, quòd hæreses illæ jam dudùm præcesserint adventum Anti-Christi; quia hæresiarchæ sunt Antichristi præcursores: & totum tempus à Christi Ascensione, usque ad sæculi finem, *novissima mundi hora*, in Scripturis appellatur, 1. Ioan. 2. v. 18.

12. ET QVARTVS ANGELVS TVBA CECINIT. Hic quoq; similis est quarto Angelo Apocal. 16. v. 8. qui phialam suam effudit in Solem. ET PERCVSSA EST TERTIA PARS SOLIS. Eclypsi extraordinariâ, per interpositionem fortasse minorum planetarum, quos maculas Solis, aut astra borbonia hodie vocant: hi enim simul conglobati tertiam partem Solis facilè tegere possunt. Non fiet autem illa Solis eclypsis per interpositionem Lunæ, quia Luna eo tempore erit plena, & proinde longissimè distans à Sole, ut mox patebit. Deinde eclypsis Solis facta per interpositionem Lunæ nunquam est universalis in toto Orbe, qualis erit ista. ET TERTIA PARS LVNÆ. Videtur ergo Luna tunc futura in plenilunio. Incertum autem est, an eclypsis ista eventura sit propter ordinariam terræ interpositionem inter Solem & Lunam, an ex alia causa extraordinaria. ET TERTIA PARS STELLARVM. Non solùm ergo luminaria, sed cæteri quoque planetæ & stellæ fixæ partiali illâ eclypsi ferientur. ITA VT OBSCVRARETVR TERTIA PARS EORVM. Ministerio Angelorum corpora opaca interponentium, aut ex alijs causis extraordinarijs Deo notis. ET DIEI NON LVCERET PARS TERTIA. Obscuratâ enim tertiâ parte Solis; necesse etiam est, diem tertiâ parte luminis sui mutilari. ET NOCTIS SIMILITER. Obscuratâ scilicet tertiâ parte Lunæ & Stellarum, quæ noctem reddere solent illustrem.

Hæc plaga respondet nonæ plagæ Ægyptiorum, quâ obscuratis omnibus omninò sideribus, tenebræ tam densæ & palpabiles exortæ sunt, ut frater fratrem, & proximus proximum non videret, Exo. 10. v. 23. Unde hæc plaga mitior futura est quàm illa ægyptiaca.

Quod autem Christus generaliter dixit, *Erunt signa in Sole & Luna & Stellis*, Lucæ 21. v. 25. S. Ioannes hîc magis distinctè explicat.

Litteraliter, ut multi existimant, vel saltem mystico sensu, per *Solem* majores Ecclesiæ Prælati; per *Lunam*, inferiores Pastores & Ecclesiastici, qui à majoribus lumen, ut Luna à Sole, accipiunt; per *Stellas*, Religiosi inferiores, & Laici piè viventes significantur, quibus Ecclesia, ut cœlum minoribus stellis exornatur. Hi ter-

Hi tertiâ parte, id eſt, magno & notabili numero, obſcurabuntur, quia à fidei & morum integritate deficient: ubi enim luminaria, id eſt, Prælati & Paſtores tam ſæculares, quàm regulares, deficiunt, inferiorum quoque eclipſes ſequi ſolent. Unde hujus quarti Angeli tubam Carthuſianus prædicationem adverſus Eccleſiæ Prælatos & Paſtores interpretatur, qui olim, ſævientibus tyrannis & hæreticis, valdè ſancti fuerunt; ſed ubi pax Eccleſiæ reddita, negligentiùs agere, & quâdam ſecuritate torpere cœperunt.

Quod etiam hodie accidere videmus; & utinam tertiâ tantùm parte, inquit Gagnæus? Multi enim Prælati & Paſtores, qui doctrinâ lucere, & vitâ ardere deberent, ſimulatam tantùm, inquit, verorum Paſtorum & Rectorum perſonam gerunt. Obſcurâ deinde intelligentiæ claritate, in quibuſdam fidei & morum dogmatibus errant, & alios errare docent.

13. ET VIDI, ET AVDIVI VOCEM VNIVS AQVILÆ VOLANTIS. Vidit volantem, & audivit loquentis vocem. Haymo tamen utrumque verbum refert ad, *vocem*; ut ſignificetur, inquit, in ſpirituali viſione hoc eſſe videre, quod audire, & hoc audire, quod videre. Per *aquilam* S. Ioannes unum aliquem ex Angelis intelligit, ſpecie aquilæ volantis apparentem. Unde multi Codices græci legunt, & ſic vertit Eraſmus, *Vidi & audivi unum Angelum volantem.* Videtur autem hic Angelus fuiſſe alius ab illis ſeptem, quibus datæ erant tubæ. PER MEDIVM CŒLI. Ut faciliùs ab omnibus longè lateque audiretur. DICENTIS VOCE MAGNA. Quia de rebus magnis; & ut omnium feriret & percelleret aures, vociferabatur, VÆ, VÆ, væ. Triplicatur, *væ*, non tantùm ad exaggerandam calamitatum futurarum magnitudinem, ſed etiam ad ſignificandam SS. Trinitatis indignationem, ait Aretas: Reſpicitur etiam ad triplicem calamitatem trium Angelorum ſequentium, qui nondum tubas ſuas inflaverant, ut mox patebit. HABITANTIBVS IN TERRA. Et terrena amantibus: illi enim propriè, juxta ſenſum Scripturæ, habitant in terra, qui terræ affixi ſunt; cæteri licèt pedibus terram calcent, habitationem tamen, & converſationem in cœlis habent: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*, ad Philip. 3. v. 20. Anima enim potius eſt ubi amat, quàm ubi animat. DE CÆTERIS VOCIBVS TRIVM ANGELORVM. Væ, inquam, triplex propter tres cæteras tubæ voces trium Angelorum. QVI ERANT TVBA CANITVRI. Græcè, *qui tubâ canent.* Septem enim in univerſum erant Angeli, & quatuor jam cecinerant; unde tres adhuc reſtabant, qui plagas omnium ſæviſſimas annuntiaturi erant, niſi homines reſipiſcerent.

Deus

Deus enim, antequam peccatores feriat, solet minari, & dare significationem, *ut fugiant à facie arcus*, Psalm. 59.

Fortasse autem ante ultimas illas sæculi plagas, ad majorem hominum terrorem, Angelus aliquis specie aquilæ volantis talia in aëre reverà clamabit. Vel, ut alij interpretantur, per aquilam significantur zelosi quidam à Deo & Angelis excitati prędicatores, qui oppidatim & pagatim circumeuntes, imminentem Dei iram & plagas, magnâ & lamentabili voce hominibus annuntiabunt.

CAPUT IX.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quintus Angelus tubâ canit. Stella de cœlo cadit. De puteo abyssi exeunt locustæ monstrosæ & horribiles. Sextus Angelus canit: solvuntur quatuor Angeli mali, qui ligati erant in magno flumine Euphrate.

Vers. 1.

ET QUINTUS ANGELUS TUBA CECINIT. Statimque ubi oculos ad eum converti. ET VIDI STELLAM DE CŒLO CECIDISSE. Non cadentem vidi, sed jam cecidisse: incipiente enim tubæ sonitu tantâ celeritate cęcidit, ut casus advertentiam oculorum effugeret. IN TERRAM. Non in subterraneam abyssum; quia ideò in terram ceciderat, ut illam abyssum supernè aperiret. ET DATA EST EI, à Deo vel Agno, CLAVIS PUTEI ABYSSI. Potestas aperiendi puteum abyssi infernalis, ut inde, Deo permittente, exirent locustarum monstra, quæ statim describet.

Cùm autem dicat, datam esse stellæ clavem; certum est, nomine stellæ significari aliquam creaturam rationalem, Angelicam vel humanam.

Plurimi Antiquorum Luciferum interpretantur, de quo Propheta: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer*, Isaiæ 14. v. 12. Sed obstare videtur, quòd Lucifer jam olim de cœlo, nec ad terram solùm ceciderit, sed ad infernum detractus sit, in profundum laci, Isa. 14. v. 15. Stella verò ista apocalyptica visa est cadere in ipso sonitu tubæ quintæ. Undè potiùs fuerit unus ex principibus illis dęmonum, qui vocantur *Principes & potestates, rectoresque mundi tenebrarum harum*, ad Ephes. 6. v. 12.

Talis

Talis ergo aliquis dæmon, Dei imperio, instar stellæ de cælo aëreo cadentis in terram, accepit clavem abyssi ad aperiendas portas, id est, ad solvendos alios dæmones, quos Dei potentia quasi vinculis quibusdam ibi coërcet.

Multi tamen recentiores stellam istam Angelum bonum fuisse existimant, quia S. Joannes posteà vidit Angelum bonum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi Apoc. 20. v. 1. Sed cùm hîc Angelus dicatur cecidisse, & ibi descendisse de cœlo, innuitur potiùs aliqua diversitas inter utrumque: mali Angeli enim cadunt, boni descendunt de cœlo. Omnis autem Angelus, sive bonus, sive malus, habet clavem abyssi, quando datur ei potestas aperiendi portas inferni, quas dæmonibus clausit Deus.

2. ET APERVIT PVTEVM ABYSSI. Profunditas subterranea, sive aquâ, sive aëre, sive igne plena sit, vocatur *abyssus* græcè, id est, sine fundo, quando profunditas tanta est, ut fundus à nobis sciri non possit. Quæ optimè profunditati inferni convenit, quem communis Theologorum opinio in loco totius Universi profundissimo constituit. ET ASCENDIT FVMVS PVTEI. Significat tenebras errorum, & tristissimas ultimorum temporum calamitates prodituras ex inferno. SICVT FVMVS FORNACIS MAGNÆ. Ira enim diaboli magna & ardens est fornax magna, unde illum invidiæ & malevolentiæ fumum exspirat in homines. ET OBSCVRATVS EST SOL ET AER. Id est, lumen Solis in aëre, sive dies obscuratus est. DE FVMO PVTEI. Unde caligo errorum, & tristitia illorum temporum emanabit; quâ & lumen fidei, & publica Ecclesiæ lætitia involvetur: Sol enim, & aëris lumen res lætas; caligo fumi res tristes significat.

3. ET DE FVMO PVTEI. Cui permixtæ & quo involutæ erant. EXIERVNT LOCVSTÆ IN TERRAM. Non ut herbas terræ depascerent, sed ut homines affligerent. Non enim erunt locustæ similes ægyptiacis, quæ octava Ægypti plaga comederunt, quod residuum erat grandini, & corroserunt omnia ligna, quæ germinabant in agris Exo. 10. v. 5. illæ enim erant veræ locustæ, hæ autem locustæ rationales, ut ex descriptione formæ earum satis intelligitur.

Omnes veteres, inquit Carthusian. sub monstrosa & inusitata locustarum forma, hæreticos Antichristi præcursores intelligunt. Deinde tam exquisita formæ & omnium membrorum expressio significat aliquod majus mysterium sub illa monstrosa imagine latere.

Quidam tamen recentiores veras locustas novæ & monstrosæ formæ exituras de fumo putei existimant. Locustarum autem formas maximè

ximè esse variabiles,& alias aliis esse monstrosiores,tradunt Naturalistę.

ET DATA EST ILLIS POTESTAS. A Deo id permittente, & manum suam, quâ eas frænat, remittente. SICVT HABENT POTESTATEM. A natura sibi cum veneno inditam. SCORPIONES TERRÆ. Qui in Africa præsertim, & calidis regionibus nascuntur in terra, non in aquis, sicut scorpiones quidam aquatici minùs noxij. Hi autem scorpiones terrestres illam vim & potestatem habent, ut aculeo caudæ ferrum etiam pertundere valeant, & cum ictu venenum vulneri infundant.

4. ET PRÆCEPTVM EST ILLIS. A Deo, cujus providentia dæmonum & malorum hominum potestatem frænat & moderatur. NÆ LÆDERENT FŒNVM TERRÆ. Non enim erant ejusdem speciei cum vulgaribus locustis, quæ fœnum sive herbam terræ arrodunt. NEQ; OMNE VIRIDE. Quales sunt frutices & virgulta, inter herbas & arbores media. NEQVE OMNEM ARBOREM. Per tria ista, *fœnum viride; arborem*, tria genera hominum electorum, incipientes, proficientes, & perfecti, mysticè significantur. NISI TANTVM HOMINES. Locustæ enim istæ erant simulsemi scorpiones: scorpiones autem vix alia animalia, nisi solos homines invadunt. QVI NON HABENT SIGNVM DEI IN FRONTIBVS SVIS. Qui non sunt inter centum quadraginta quatuor illa millia, & turbam magnam signatorum signo Dei vivi Apoc. 7.

5. ET DATVM EST ILLIS. Data est locustis illis potestas sic limitata. NE OCCIDERENT EOS. Morte corporali. SED VT CRVCIARENT, lædendo & affligendo eos, MENSIBVS QVINQVE. Id est, tempore certo à Deo determinato. Videtur enim alludere ad quinque menses æstatis, quibus scorpij maximè solent hominibus nocere: nam Aprili, Maio, Junio, Julio & Augusto, veneno suo ardenti & adusto stimulati, homines ferire, & venenum effundere avidissimè solent, ut docet Bustamantinus lib. 6. cap. 15. de animantibus S. Scripturæ. Cæteris verò mensibus, & maximè hyeme scorpiones torpent.

Quod verò multi interpretantur per *quinque menses* significari quinque corporis sensus, in quibus homines affligentur, aut quinque vitæ ætates, infantiam, pueritiam, juventutem, virilitatem, & senectutem, videtur nimis contortum, nec huic loco satis concinnè posse accommodari.

ET CRVCIATVS EORVM. Quo locustæ illæ cruciabunt homines illos, qui non habent signum Dei in frontibus. UT CRVCIATVS SCORPII. Non enim locustæ simplices, sed semiscorpij sunt, cùm caudam, spiculum, & venenum scorpij in cauda gestent. CVM PERCVTIT HOMINEM.

MINEM. Quando ſcorpius caudæ ſuæ ſpiculo ferit hominem, in quo ſpiculo eſt fiſtula, quâ ſugit ſanguinem, & pro ſanguine refundit venenum: ſcorpius enim humano ſanguine maximè gaudet, quia homines præ cæteris animalibus copioliori & excellentiori ſanguine præditi ſunt. Vnde inter homines, maximè juvenes & ſanguineos, & præſertim virgines percutere ſolent, ut teſtatur Buſta-mantinus.

Hæc autem omnia, ſub velamento locuſtarum cruciantium homines, & aculeo caudæ inſtillantium venenum, videntur ſignificare quoddam genus armatorum hæreticorum & infidelium in fine mundi, qui per cruciatus, & vim armorum cogent homines ad ſuſcipiendum hæreſis & doctrinæ ſuæ venenum.

6. ET IN DIEBVS ILLIS. In tempore illorum quinque menſium. QVÆRENT HOMINES MORTEM. Ex impatientia cruciatuum, quibus eos affligent locuſtæ.

Beda tamen, Haymo, Richardus, & veterum non pauci, de hominibus ſanctis & electis hoc intelligunt, ſicut in perſecutione Decij B. Cyprianus accidiſſe dicit, inquit Beda, volentibus mori, non permittebatur occidi. Sed de malis & reprobis intelligendum eſſe, ex totius narrationis contextu facilè probatur: ait enim S. Ioannes v. 4. præceptum eſſe locuſtis, ut tantùm nocerent ijs, qui non habent ſignum Dei: deinde cruciandos eſſe cruciatu ſcorpionum, v. 5. unde cùm jam v. 6. dicit homines quæſituros mortem, de ijſdem hominibus omnino videtur intelligi.

Erunt ergo illi homines mali, & ſimiles illis, de quibus Chriſtus ait: *Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido, quid fiet,* Lucæ 23. v. 31.

ET NON INVENIENT EAM. Quia Dei providentia vult eos in cruciatibus vivere, & nondum mori, ideo enim mandatum eſt locuſtis, ne eos occiderent ſup. v. 5. ET DESIDERABVNT MORI. Imaginantes mortem eſſe unicum malorum præſentium effugium ac aſylum. ET FVGIET MORS AB EIS. Neminem enim mors interficit, niſi ex imperio aut permiſſu ejus, qui eſt Dominus vitæ & necis.

Cruciabunt autem ſolos Dei inimicos, ut Deus oſtendat eis, ſe eſſe, qui, quos vult liberat à malis. Unde locuſtæ illæ Ægyptiacis in hoc ſimiles erunt, quæ ſolis Ægyptijs, non Hebræis, nocebant, Exo. 10. Cujus diſcriminis cauſam reddit Sapiens: *Quia in hoc oſtendiſti*, inquit, *inimicis noſtris, quia tu es, qui liberas ab omni malo*, Sap. 16. v. 8.

Sed quomodo hæ locuſtæ apocalypticæ, ſi eo nomine hæretici & tyranni infideles intelligantur, nocebunt ſolùm malis Chriſtianis, cùm

 hæretici

hæretici & tyranni in bonos maximè soleant sævire.

Hoc argumento quidam à sententia veterum interpretum recedunt, maluntque veras locustas, quàm symbolicas intelligi.

Sed neque sine divino miraculo fieri potest, ut veræ locustæ solos malos homines feriant, & bonis parcant. Et profectò minori miraculo per symbolicas locustas hoc evenire poterit, si cogitemus diversas infidelium sectas, ut Lutheranos & Calvinistas, Turcas & Persas, acerrimis odijs & bellis se invicem aliquando exercere. Dei etiam providentiâ facilè accidere potest, ut pij fideles infidelium locustarum morsus fugiendo evadant, solique mali ab ipsis crucientur, quia earum adventum exspectare ausi sunt, tanquam ipsis magis affines, & in malitia socij. Erunt enim locustæ illæ antiquis Gothis, Longobardis, Wandalis similes, qui ex septentrione, aut alio orbis terræ angulo, tanquam flagellum Dei emissi, malos homines, Deo sic disponente, præcipuè castigabunt, & multis cruciatibus affligent.

7. ET SIMILITUDINES LOCUSTARUM. Formæ & imagines corporum ipsarum. SIMILES EQUIS PARATIS AD PRÆLIUM. Erant similes equis cathafractis, & armatis ad pugnam, quibus equites pharetrâ, clypeo, lanceâ aut sclopeto armati insident. Unde talem equum bellatorem Job describens: *Super ipsum*, inquit, *sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus*, Job. 39. v. 23.

Saltant etiam brevi volatu locustæ, ut generosi equi, subditis calcaribus, solent. Unde Deus iterùm apud Jobum ejusmodi equum locustæ comparans: *Nunquid*, ait, *suscitabis eum quasi locustas*, Job. 39. v. 20.

Eleganter dinde locustæ comparantur equis, quia crura & femora similia equis, & caput equinum habent. Unde nos Itali, *Cavalete*, eas vocamus, inquit Menochius.

Denique exercitus illi hæreticorum & infidelium, quibus in flagellum peccatorum utitur Deus, similes sunt exercitibus locustarum, quæ maria etiam ad prædam transvolant, & omnia terræ virentia vastant & depopulantur; unde Deorum ira pestis illa intelligitur, ait Plinius, lib. 11. cap. 29.

ET SUPER CAPITA EARUM TANQUAM CORONÆ. Quidam hoc interpretantur de punctis quibusdam subcinericij aut rufi coloris, quibus per modum circuli & coronæ quarumdam locustarum capita notantur. Sed hæc observatio nimis minuta est, nec huic loco convenit: vidit enim S. Joannes coronas istas, non tanquam pictas in earum capitibus, sed positas super capita, sicut coronæ regum & principum solent. SIMILES AURO. Repræsentabant enim aureas coronas regum, & aura-

& auratas galeas nobilium equitum, ex quibus exercitus ille locustarum conflabitur. Solent enim equites nobiliores olim auratis galeis & loricis militare. Itaque coronæ illæ significant, exercitum illum prædonum & præcursorum Antichristi magnâ parte compositum iri ex Regibus, Ducibus, Comitibus, cæterisque primariæ nobilitatis hominibus, qui coronas in insignibus suis gestare solent. Cæteri quoque eorum milites prædis & spolijs nationum divites, galeas suas auro & cristis, ut in tali rerum abundantia solet, ornabunt. ET FACIES EARVM TANQVAM FACIES HOMINVM. Ex hoc satis intelligitur, locustas illas, non veras, sed symbolicas esse: nec simplicem equum, sed equum cum suo equite in tali locusta repræsentari.

Vidit ergo S. Ioannes equites armatos, sub monstrosa specie locustarum, quæ instar hypocentaurorum ex equo & equite insidente erant compositæ: unde faciem hominis insidentis vocat faciem locustæ. Facies verò istæ hominum significant locustas, quamvis crudeles & feræ sint, vultu tamen simulare humanitatem.

8. ET HABEBANT CAPILLOS. Hinc quoque apparet, non esse veras locustas; quis enim unquam locustas capillatas vidit? Quòd autem quidam, earum alas *capillos* vocari putent, nimis frigidum est. Deinde v. sequenti fit mentio alarum, tanquam quæ à capillis distinguantur. SICVT CAPILLOS MVLIERVM. Prolixos scilicet & formosos, cincinnis ac flosculis calamistratos, ut hodie passim juvenes molles & effeminati gerunt. Locustæ ergo illæ cum morum feritate, libidine & lasciviâ animum corruptum habebunt, ut militum non pauci solent.

Lyranus putat ad litteram describi veteres illos Wandalos & Longobardos, qui prolixos capillos & barbas alebant. Sed cùm ad tempora viciniora Antichristo respiciat; potiùs aliquos similes Longobardis, quam Longobardos describit S. Ioannes.

ET DENTES EARVM. Locustæ non caudâ, sed dentibus; scorpiones non dentibus, sed caudâ nocent: ideò hæc monstra caput locustarum, caudam scorpionum gestant, ut capite & caudâ simul ac undique noceant. SICVTI DENTES LEONVM ERANT. Dentibus enim ita valere locustas, scribit Plinius lib. 11. cap. 29. ut morsu omnia, etiam fores tectorum, eradant. Quia autem leonum dentes fortissimi & acutissimi sunt, omniaque dilaniant, Scriptura vim, cui non potest resisti, dentibus leonum comparat, ut Ioël 1. v. 6. Eccli. 21. v. 3.

9. ET HABEBANT LORICAS. Locustæ enim & scorpij naturali quadam loricâ, aut similitudine loricæ loricati sunt; veluti etiam cancri, quibus scorpij valde sunt similes. SICVT LORICAS FERREAS. Repræ-

ſentabant enim loricas verè ferreas, quibus ſymbolicæ locuſtæ, ſive milites Antichriſti præcurſores pectora ſua munient.

Senſu verò ſpirituali in loricis ferreis, obdurata hæreticorum contra veritatem præcordia, notari, Beda, Richardus, Haymo, & plerique exiſtimant. Sicut enim lorica ferrea ſagittæ ictum repellit, ita dura obſtinatorum præcordiā jacula veritatis reſpuunt.

ET VOX ALARVM EARVM. Sonitus & ſtridor, quem gregatim volantes edebant locuſtæ. Grandiores enim tanto volant pennarum ſtridore, ait Plinius lib. 11. cap. 29. ut aliæ alites credantur, ſolemque obumbrant, ſollicitè ſuſpectantibus populis, ne ſuas terras operiant. SICVT VOX CVRRVVM EQVORVM MVLTORVM. Similis ſtridori rotarum, & falcium currum falcatorum, quos veteribus bellis maximo impetu ac ſonitu per medias hoſtium acies agebant, obvia quæque diſſcindentes & proterentes. CVRRENTIVM IN BELLVM. In prælium. Unde hinc iterum intelligitur, ſub locuſtarum illarum imagine, ferociſſimorum militum exercitum abſcondi.

Expaveſcendum autem magis, quàm exponendum eſt, ait Beda, quod vires huic exercitui ſic accreſcant. Primò fumus aſcendit, deinde, locuſtas profert, quæ priùs ſcorpionibus, mox equis & leonibus comparantur, quorum, etſi nudæ vires eſſent, ſufficerent; adduntur tamen etiam loricæ, nunc denique volatiles, & curribus bellantibus ſimiles dicuntur.

Volatus autem earum ſignificat, quòd celeriter & ſupernè advenient, ait Aretas: Deus enim qui dedit Angelo clavem abyſſi, ut inde exirent, ſupra v. 1. peſtem illam immittet adverſus eos, qui in frontibus ſuis ſignum ejus non habebunt.

10. ET HABEBANT CAVDAS. Ne quis putaret caudâ ſaltem innoxias eſſe, ſicuti ſolent veræ locuſtæ. SIMILES SCORPIONVM. Caudæ autem ſcorpionum, quantum ad figuram, caudis cancrorum non longè diſſimiles ſunt, ſi demas aculeum. ET ACVLEI ERANT IN CAVDIS EARVM. Aculeo enim caudæ feriunt, & venenum mortiferum inſtillant ſcorpiones, & magis, qui caudâ longiori, & ſeptena internodia in ea habent, cum plures ſena tantùm habeant, ut lib. 11. cap. 25. Plinius narrat.

Dicuntur autem priùs lingere locum, quem ferire volunt: aptâ hæreticorum ſimilitudine qui blandiuntur initio, & in fine, tanquam aculeo caudæ, venenum hæreſis ſuæ inſpirant. In eo quoque ſcorpiones ſunt ſimiles hæreticis, quod ſemper cauda in ictu eſt, ut ait Plinius, nulloque momento meditari ceſſant, nequando deſint occaſioni. Sic hære-

hæreticos videmus ſemper intentos, non ut infideles convertant, ſed ut fideles corrumpant.

Aculei caudarum magis fortaſſe litteraliter referri etiam poſſunt ad equitum gladios, quibus accincti, tanquam caudis quibuſdam, videri poſſunt, ut ad ſextam tubam infrà v. 19. videbimus, quando de caudis equorum mentio fiet.

Et potestas earum. Data ipſis à Deo. nocere hominibus. Cruciare, non tamen occidere homines impios, qui ſigno Dei non ſunt ſignati. Mensibus quinque. Diximus ſupra v. 5. alludi ad quinque menſes æſtatis inter utrumque æquinoctium ferventiſſimos, in quibus maximè ſæviunt ſcorpiones, veneni ſui ardore irritati. Unde etiam medio die, cum incaluere ſolis ardoribus, ait Plinius, ſæviores ſunt: item quando ſitiunt inexplebiles potu.

Lyranus tamen, *Menſes quinque*, interpretatur tempus quinque Regum Wandalorum, ſub quibus afflicta eſt 100. Annis Africa, à tempore mortis S. Auguſtini uſque ad annum Chriſti 533. Quando à Belizario Juſtiniani Imp. Duce, victo Rege Wandalorum Gilimere, everſum eſt Wandalorum in Africa imperium. Verum non tantum quinque, ſed ſex fuerunt Wandalorum Reges, Genſericus, Hunnericus, Gundabundus, Traſamundus, Hildericus, & Gilimer, tempore illorum centum annorum.

Deinde non in Africam tantùm, ſed in totum mundum, ut ait Aretas, locuſtarum iſtarum exercitus effundetur; non ergo ad tempora Wandalica jam dudum elapſa, ſed ad vicinora Antichriſto tempora referendum eſt, quæ hîc prophetat S. Joannes, ut ad v. 8. diximus.

11. Et habebant super se regem. Sicut enim filij Dei ſpiritu Dei, ita filij diaboli ſpiritu & imperio patris ſui aguntur. Diſſimiles ergo veris locuſtis ſunt iſtæ infernales locuſtæ; nam *regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas*, ait Sapiens Prov. 30. v. 27. ſuæ enim imbecillitatis naturaliter conſciæ, turmatim, nullo tamen certo duce, volant. Unde ſicut in regimine Democratico ſolet, ſingulæ locuſtæ ſunt ſibi quodammodo Duces & Reges. Quò etiam fortaſſe ſupra v. 7. reſpexit S. Joannes, quando dixit, in capitibus ſuis habere coronas aureas, quaſi ſcilicet totidem eſſent Duces & Reginæ. Angelum abyssi. Græcè verti etiam poteſt, *Illum Angelum illius abyſſi*: Diabolum ſcilicet inter malos abyſſi infernalis Angelos principem.

Arethas tamen Angelum bonum ſignificari putat, qualis ille, inquit, qui exercitum Sennacherib delevit 4. Reg. 19. & qui igne perdidit

didit Sodomam Gen. 19. Nemo enim malorum, ait, qui ignibus inferni addicti sunt, regiâ potestate dignus debet haberi.

Sed Angelus, qui delevit castra Sennacherib, vocatur, *Angelus Domini*, 4. Reg. 19. v. 35. & qui perdidit Sodomam, vocatur, *Dominus*, Gen. 19. v. 24. hic autem dicitur, *Angelus abyssi*, quod infernalem & malum Angelum propriè significat.

Nec ignis, & pœnæ inferni impediunt, quo minus ex aliorum conspiratione & consensu, Lucifer principem eorum, tanquam fabulosus ille Gentilium Pluto, se agat, aut per Tyrrannidem, & naturalium virium robur, quo cæteros dæmones ad imperata cogere possit. Unde sicut ex omnibus hyerarchijs & ordinibus aliqui Angeli ceciderunt; ita quosdam dæmones ex ordine Principatuum regnis à Lucifero impositos esse, alios ex infimo ordine singulis hominibus datos, Carthusianus & alij existimant: sicuti enim superbus ille apostata Altissimo similis esse concupivit; ita providentiam œconomiamque, quâ hoc universum gubernat, imitari gaudet.

CVI NOMEN HEBRAICE, ABADDON. A radice, *abad*, quod, *aperire*, vel, *perdere*, significat. Unde S. Joannes græcè scribens, & Græcis nomen illud explicans, addit: GRÆCE AVTEM APOLLYON. Hoc est, *perdens*; est enim participium verbi ἀπολλύειν, quod est, *perdere*. Hinc interpres noster, quia latinè scribebat, S. Joannem imitatus, interpretationem etiam latinam addit: LATINE HABENS NOMEN, EXTERMINANS. Id est, è medio tollens, & disperdens.

Talis enim per se & per suos est diabolus, nisi Deus potestatem ejus refrænet, sicuti hic refrænat nè perdat & interimat per suas locustas eos, qui signum Dei in fronte non habent. Nomen autem istud, sicuti etiam nomen, *Asmodæus*, Tob. 3. v. 8. non sunt nomina propria, quibus dæmones se invicem compellent, cum non loquantur sibi mutuò vocibus, sed conceptibus. Serviunt autem hominibus, sicut etiam bonorum Angelorum Michaëlis, Gabriëlis, &c. nomina, quibus homines hîc utuntur, non autem Angeli boni in cœlis, ut S. Gregorius & Theologi docent.

12. VÆ VNVM ABIIT. Una tribulatio ex tribus, quas aquila per medium cœli volans interminata est, habitantibus in terra, Apoc. 8. v. ult. jam transijt cum sonitu tubæ hujus quinti Angeli. ET ECCE VENIVNT. Ante finem mundi. ADHVC DVO VÆ POST HÆC. Duæ omnium maximæ tribulationes restant sub tuba sexti & septimi Angeli.

13. ET SEXTVS ANGELVS TVBA CECINIT. Proximè ante adventum

tum Antichristi. Et avdivi vocem vnam. Aliqui vertunt, *vocem quandam: Vnus* enim in Græco & omni ferè idiomate, interdum usurpatur pro, *quidam*; ut, *accedens unus scriba*, pro, *scriba quidam*, Matth. 8. v. 19. Aut certe vox hic dicitur, *una*, quia unica erat multorum simul clamantium. Ex qvatvor cornibvs altaris avrei. Id est, à quatuor angulis, seu ab omni parte altaris thymiamatis. Videtur autem hæc vox fuisse animarum, quæ erant subtùs altare ut dicitur Apoc. 6. v. 9. Qvod est ante ocvlos Dei. Totum enim cœlum, in quo Deum sedentem in throno, & Agnum, & animalia & Seniores & Angelos videbat S. Joannes, erat instar templi Salomonis, in quo ante Propitiatorium, sive thronum Dei, erat altare aureum. Hoc autem altare Christum significat, super quo orationum thymiamata offerri debent, ut sint accepta Deo.

14. Dicentem sexto Angelo. Rogantem, ut Deo permittente ac volente, faceret quod sequitur, ad vindictam suorum inimicorum, & justitiæ divinæ manifestationem. Solve qvatvor Angelos. Id est, quatuor malorum Angelorum principes, qui fortasse à Lucifero quatuor mundi primarijs Regnis, Assyriorum seu Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum; aut certè, quatuor orbis terræ partibus principalibus, Orienti, Occidenti, Meridiei, & Septentrioni, præpositi fuerant. Qvi alligati svnt. Virtute divinâ, aut bonorum Angelorum, qui dæmones coërcere, & certo loco etiam nolentes alligare possunt, nè passim vagari, & hominibus nocere valeant. Sic S. Raphaël Asmodæum luxuriæ dæmonium religavit in deserto superioris Ægypti, Tob. 8. v. 3. In flvmine magno Evphrate: Qui duo regna Orientis, Chaldæorum & Persarum, à duobus Regnis Occidentis, Græcorum & Romanorum, quodammodo separat. Unde 4. illi dæmones in Euphrate, tanquam in limite & veluti centro quodam quatuor illorum regnorum, & etiam regnorum quodammodo totius mundi, alligati sunt.

Euphrates sæpè in Scriptura, *fluvius magnus*, appellatur, ut Genes. 15. v. 18. Deuterom. 1. v. 7. Josue 1. v. 4. &c. quia major est Tigri & Jordane, alijsque fluvijs in Palæstina notis.

Solvi autem jubentur 4. isti dæmonum principes, tum ut tertiam partem hominum occiderent, ut mox dicetur; tum ut quatuor Regna, & præcipuè Orientem, excitent, ac præparent ad recipiendum Antichristum, eique se comitem adjungant; quia ex Regionibus Orientis trans Euphratem, venturus in Europam & Occidentem putatur; nasciturus ex progenie illorum Judæorum, qui olim à Salma-

nasare trans Euphratem in Assyrios abducti sunt, inquit Aretas; & quidem ex tribu Dan, ut multi Patres existimant.

Sensu autem mystico 4. illi dæmones in Euphrate ligati dicuntur, quia per Baptismi aquas potentia dæmonum multum refrænatur, nec sinuntur ita nocere illis, qui characterem Baptismi, tanquam signum Dei habebant, ut Richar. & multi veteres commentantur.

15. ET SOLVTI SVNT QVATVOR ANGELI, mali, ab illo bono Angelo sexto tubicine, qui eis Dei permissionem, & nocendi licentiam intimavit. Considerandum verò est, ait Haymo, quantum dæmones sævirent, si soluti essent, qui modò ligati etiam tantum sæviunt. QVI PARATI ERANT. Intenti ad tempus quo potestas nocendi hactenus ligata & restricta relaxaretur. IN HORAM, ET DIEM, ET MENSEM, ET ANNVM. Ad horam illius diei, mensis & anni, quam Deus ad punitionem hominum malorum constituit. UT OCCIDERENT TERTIAM PARTEM HOMINVM. Sub tuba Angeli quinti tantùm cruciati fuerant, non interfecti, homines impij. Hîc verò sub sexta tuba tertia pars eorum interficitur. Tantum enim de hominibus impijs hîc agit, ut ex v. 20. sequente colligitur.

16. ET NVMERVS EQVESTRIS EXERCITVS. Equitum illorum, qui tertiam partem impiorum interficient. VICIES MILLIES DENA MILLIA. Græcè, *Dua myriades myriadum* Quæ prædictam summam, sive ducentos milliones conficiunt: myrias enim una continet dena, sive decem millia. Qualis exercitus ab initio Mundi, huc usque non est auditus! nam tanquam prodigium Historici narrant, Xerzem Regem Persarum olim adversus Athenienses in aciem eduxisse quinquies centena millia, hoc est dimidium millionem. Quâ tamen multitudine major fuit exercitus Tamerlanis regis Tartarorum adversus Bajazethem Regem Turcarum, quem an. 1398. acie vicit, amissis suorum ducentis millibus: unde Euphratem majori sanguinis, quàm aquæ abundantiâ fluxisse narrant.

Quia verò omnibus retrò sæculis maximi semper exercitus populorum Orientalium, & equitum magis, quàm peditum fuerunt; hinc colligi potest, præcursores istos Antichristi, & ipsum Antichristum ex Regionibus Orientis exspectandum esse. Nam in hoc ducentorum millionum exercitu nulla peditum fit mentio. Universus ergo pæne Oriens à quatuor illis dæmonum principibus solutis, qui nunc in Euphrate ligati sunt, ad bellum illud universale excitabitur.

ET AVDIVI NVMERVM EORVM. Non enim poterat S. Joannes tantum exercitum oculis numerare, sed audivit ab Angelo aliquo ei dicente.

17. ET

17. ET ITA. Sicuti jam narrabo. VIDI EQUOS IN VISIONE. Ista spirituali. ET QUI SEDEBANT SUPER EOS. Non ergo equos solos vidit, sed cum equitibus armatis, qui ipsis insidebant. HABEBANT LORICAS IGNEAS. Habebant thoraces quidem ferreos, sicut locustæ suprà v. 9. sed quasi ignei coloris propter flammas bombardarum. ET HIACINTHINAS. Coloris hyacinthi, sive cærulei, qualis apparet naturalis color ferreæ loricæ. ET SULPHUREUS. A fumo bombardarum sulphureo, quo equites loricas & thoraces suos invicem petunt. Undè quando fumus à lorica resilit, loricæ fumum & ardorem sulphureum spirare videntur: ingredientia enim pulveris bombardij, sunt sulphur, salpetra, & carbo.

Quidam Interpretes hæc referunt ad tunicarum & Cappotarum colores, quas equites Orientales, ut Persæ, Turcæ, Poloni, Hungari, Croatæ, &c. loricis superinduere solent: aliquæ enim igneo sive rubro, aliæ hyacinthino sive cæruleo, aliæ denique sulphureo sive flavo colore tinctæ sunt.

ET CAPITA EQUORUM ERANT TANQUAM CAPITA LEONUM. Quia fumum & ignem vomere videbantur, ut irati & furibundi leones quodammodo faciunt. In visione superiori v. 8. dentes leoninos tribuit locustis, quia omnia dilacerabant; jam capita leonum tribuit equis, quia spirando fumum & ignem omnia perdunt. Unde sequitur, ET DE ORE EORUM PROCEDIT IGNIS. Sclopetorum & bombardarum, quæ ab equitibus supra capita equorum explosæ vomunt ignem, qui S. Joanni in visione repræsentatus est, quasi ex capite & ore equorum vomeretur, tot annis scilicet ante repertum bombardarum usum, qui in Europa apparuit solùm circa annum Christi 1350. etiamsi apud Chinenses & Japones in ultimo Oriente longè vetustiorem usum quidam referant. ET FUMUS ET SULPHUR. Quæ bombardarum ignem comitantur.

Ex his colligitur, præsentes prophetias non pertinere ad tempora antiqua Longobardorum, Wandalorum, & Gothorum, quia tunc nullus adhuc erat bombardarum usus in bello, sed ad posteriora secula: & quia de temporibus adventui Antichristi proximis S. Ioannes loquitur, patet bella ista Antichristi in fine mundi, & præcursorum ejus, igne & bombardis conficienda esse.

18. ET AB HIS TRIBUS PLAGIS. Igne, fumo, & sulphure, ut statim seipsum explicabit. Vocantur autem *plagæ*, per metonymiam, quia plagarum sunt causæ instrumentariæ. OCCISA EST TERTIA PARS HOMINUM. Malorum, ut hæreticorum, idololatrarum, &c.

ut ex v. 20 patebit. DE IGNE, ET DE FVMO, ET DE SVLPHVRE. Quia enim glandes & missilia, quæ excutiuntur ex bombardis non apparent; ideò igne sulphureo & fumo homines occidi videntur, quando ante bombardas cadunt. QVÆ PROCEDEBANT DE ORE IPSORVM. Quandoquidem tria illa, fumus, ignis, & sulphur, simul & uno ictu ex ore vomebantur; non videntur secundum sensum litteralem describi tres plagæ distinctæ, quarum una sit ignis, altera fumi, tertia sulphuris; sed unaquæque plaga & cædes hominum fit conjunctim à tribus illis causis.

19. POTESTAS ENIM EQVORVM. Quâ homines occidunt. IN ORE EORVM EST. Quia ex ore ipsorum, ignis, fumus, sulphur, instrumenta cædium, evomi videntur, quæ reverà tubis bombardarum, juxta capita equorum evomuntur. ET IN CAVDIS EORVM. In longis gladijs & acinacibus, quibus equites accincti erant, & S. Ioanni per modum caudarum equorum repræsentati fuerunt. Aut fortè caudæ istæ sunt prælongæ hastæ sive lanceæ, quarum pars magna retrò extabat, quales olim Macedonicæ Sarissæ, quas 24. cubitorum fuisse, Ælianus narrat. NAM CAVDÆ EORVM SIMILES SERPENTIBVS. Quia cuspide suâ mordent, & occidunt, sicut serpentes. Et eodem fortasse sensu ante v. 10. dixit, locustas habuisse caudas similes caudis scorpionum. HABENTES CAPITA. Nempè in cuspidibus suis quibus mordent. Quia enim Hebræi aciem gladij aut lanceæ, appellant os gladij vel lanceæ, quia tanquam ore & dentibus illâ parte mordent; ideoque tam frequens est in Scriptura veteris Testam. illa phrasis, *Percutere in ore gladij*: hinc in extremitate gladiorum aut lancearum, capita, & ora serpentina S. Ioanni repræsentata sunt, quia illâ parte, tanquam capite dentibus armato acerrimè ut serpentes, mordebunt. Quidam tamen hæc referunt ad capita capulorum in gladijs, qui in modum capitis serpentini aut aquilini &c. formari solent. Sed non bene: quia gladij capulo non mordent, nec nocent: sequitur enim, ET IN HIS NOCENT. Nec simplici fortè vulnere, sed venenato ictu, sicuti populi Orientales olim gladios & tela solent veneno inficere.

In sensu autem mystico (quem tamen plerique veterum Interpp. litteralem esse volunt) sub imagine monstrosorum equorum, hæretici, quibus diabolus inequitat, intelliguntur. In ore potestas eorum est, quia prædicatione suâ & eloquentiâ animas perdunt. Prædicatio verò eorum ignis, fumus, & sulphur esse dicitur, quia ad tormenta ignis, fumi & sulphuris infernalia animas mittunt. Vel certè, quia hæretici

auditores

auditores suos furore, & omnium cupiditatum ignibus inflammant, errorum fumo excæcant, sulphure pravi odoris & infamiæ inficiunt. Testatur enim adversus Lutherum Erasmus, se auditores Lutheranorum, quando ex concione egrederentur, sæpè vidisse tanquam ignem ore & oculis spirantes, & velut à cacodæmone possessos: ita ardentibus ministrorum prædicationibus accensi, adversus Catholicos, & præsertim Ecclesiasticos & Religiosos furebant. Potestas etiam eorum consistit in caudis capitatis, quibus nocent, quia uti solent operâ capitum & principum temporalium, ubi ore & prædicatione pervertere fideles non possunt. Temporalia enim instar caudarum retrò sunt, ait S. Gregorius, & sequi spiritualia debent, sicut cauda sequitur caput.

20. ET CÆTERI HOMINES. Duæ residuæ tertiæ partes hominum improborum. QVI NON SVNT OCCISI IN HIS PLAGIS. Nam solummodo tertia pars eorum occisa est, ut v. 18. narravit. NEQVE PŒNITENTIAM EGERVNT. Funera enim & tormenta peccatorum solent alios terrere, & ad respectum Numinis & pœnitentiam commovere. DE OPERIBVS MANVVM SVARVM. De peccatis opere externo perpetratis. Multi tamen, *Opera manuum*, hoc loco intelligunt, idola, de quibus mox sequetur. Sed non est necesse sic restringere: nam v. sequenti fit etiam mentio homicidiorum & furtorum, tanquam de operibus manuum impiorum, & in Scriptura, *opera manuum*, solent generalius accipi, ut, *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, Psalm. 9. UT NON ADORARENT DÆMONIA. Quæ in idolis adorari, & aliquando responsa & oracula per os eorum edere solent. Abstinere autem ab opere externo peccati, est principium pœnitentiæ. ET SIMVLACHRA AVREA ET ARGENTEA, &c. Multi interpretes hinc colligunt, homines reversuros ad veterem idololatriam ante Antichristi adventum, cùm hîc enumerentur peccata ultimorum mundi temporum. Sed cùm in quibusdam Asiæ, Africæ & Americæ regionibus adhuc vigeat idololatria, & incertum sit, an ante mundi finem sit penitus ibi excidenda; non est certum, idololatriam redituram in Europam, aut in alias regiones, unde jam dudum expulsa est. Milites autem isti sextæ tubæ, præcursores Antichristi, non tantùm Europam, sed universum terræ orbem, & regiones idololatrarum vastabunt. QVÆ NEQVE VIDERE POSSVNT, &c. Scriptura sæpè idololatris improperat, quod adorent idola, quæ oculos habent, & non vident &c. ut stuporem suum ipsis ostendat, quod adorent, tanquam Deos, res aliquas, quæ ipsis adoratoribus imperfectiores & ignobiliores sunt.

21. ET NON EGERVNT POENITENTIAM AB HOMICIDIIS SVIS. Plena enim omnia tunc erunt homicidijs, latrocinijs, & iniquitate. NEQVE A VENEFICIIS SVIS. Non enim armis tantùm, sed veneno, arte etiam dæmonis procurato, in vitas mutuas grassabuntur. NEQVE A FORNICATIONE SVA. Quidam fornicationem spiritualem & impropriam, id est, idololatriam, hîc intelligunt: sed non est necesse à verbi proprietate recedere. NEQVE A FVRTIS SVIS. Unde patet, qualis sit futurus ultimus hic mundi impœnitentis status; nempè, qualem ferream, & ultimam mundi ætatem describit Ovidius lib. 1. Metam.

------ Fugêre pudor, verumq́ʒ, fidesq́ʒ,
In quorum subiêre locum, fraudesq́ʒ, doliq́ʒ;
Insidiæq́ʒ, & vis, & amor sceleratus habendi.
Vivitur ex rapto, nec hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Lurida terribiles miscent Aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas. ------

Antequam hoc caput finiamus, notandum, quosdam recentiores, inter quos Bellarm. in præfatione Tomi 4. Controv. existimare, sonitum quintæ tubæ, & primos duodecim versus hujus cap. totamque locustarum narrationem ad Lutherum & Lutheranos, juxta propriam & litteralem intelligentiam pertinere.

Stella enim de cælo cadens v. 1. est Lutherus, è cælesti & monasticæ vitæ genere, in sæculi libidines, & terrenas voluptates cadens Data est ei clavis abyssi, ut magnum agmen monstrosarum locustarum, id est, veteres, & in inferno dudum sepultas hæreses revocaret. Quod partim per se, partim per alias ex ipso natas, Swinglianorum, Calvinistarum, Anabaptistarum, Ubiquetariorum, novorum Arianorum, & infinitas ferè alias hæreses, præstitit. Quibus aër & Sol, hoc est, Ecclesia & Christus obscuratus est.

Lutherani similes sunt locustis, animali sordido & ventricoso, quod quandoque conatur se in altum volatu attollere, sed semper in ventrem & terram recidit. Sectæ Lutheranicæ volant turmatim sine rege, sicut locustæ; nullum regem Sacrorum, sive Pontificem supra se visibilem habentes, nisi quod Angelus abyssi eos invisibiliter regat. Loricas ferreas, id est, obstinationem & duritiem pectoris incredibilem habent. In quo tamen Anabaptistæ omnes superant. Faciem blandam, ut homines, initio gerunt, quando se purum putum Dei verbum,

bum, & ſinceram veritatem adferre promittunt; ſed caudâ pungunt, ut ſcorpiones, quando in fine venenum pro melle lætiferum inſpirant: & cætera, quæ legere licebit apud Bellarm.

Verùm Bellarminus ſupponit, primis quatuor tubis ſignificari quatuor primas Eccleſiæ hæreſes, contra quas 4. prima Concilia generalia ſunt celebrata; ut proinde quinta tuba ſit quinta hæreſis Lutheri, adverſus quam Concilium Trid. congregatum fuit. Sed diximus ante, probabilius eſſe, quinque primas tubas ſpectare potiùs ad tempora ſequentia, & propinquiora Antichriſto.

Fatendum tamen eſt, nulli ex omnibus hæreſibus mundo hactenus notis, meliùs convenire ea, quæ narrantur de infernalibus locuſtis, quàm hæreſi Lutheri, & filiabus ejus. Ut proinde non improbabile ſit, hæreſes iſtas uſque ad tempora Antichriſti duraturas, & inter locuſtas illas, quæ Antichriſto adventanti viam facient, & deinde ſub ipſo duce militabunt, multos fore hæreſis illius Lutheranæ ſaltem reliquijs infectos.

CAPVT X.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deſcribit, quæ eventura ſunt inter ſextæ & ſeptimæ tubæ ſonitum. Angelus fortis deſcendit de cœlo, iurans adeſſe finem mundi, & temporum. Sequuntur 7. tonitrua. Denique S. Ioannes iubetur accipere & devorare librum apertum, qui initio, ut mel ſuave, in ore apparuit, ſed eo devorato, mox venter eius amaricatus eſt.

Verſ. 1.

ET VIDI ALIVM ANGELVM. Diverſum ab eo, qui cap. 9. v. 13. ſextam tubam inflaverat. FORTEM. Naturæ & gratiæ viribus. Eundem fortaſſe, qui Apocal. 5. v. 2. vocatus etiam eſt *Angelus fortis:* quem ibi diximus fuiſſe unum ex illis ſeptem principibus, quorum operâ Deus hunc mundum inferiorem gubernat. DESCENDENTEM DE COELO. Tanquam qui Dei mandata & decreta adferat hominibus. AMICTVM NVBE. Ad majeſtatem, & ad ſignificandum, obſcura eſſe, & veluti nube involuta, quæ annuntiaturus eſt de ultimo mundi ſtatu.

Plurimi veteres, hunc Angelum eſſe Chriſtum, Humanitate tanquam nube

nube amictum, & per Incarnationem de cœlo descendentem, interpretantur: sed sensu potiùs accommodatitio aut mystico, quàm litterali; hæc enim non ad tempora Incarnationis Verbi, sed ad finem mundi litteraliter spectare videntur.

ET IRIS IN CAPITE EIVS. Caput ejus cinctum erat parte aliquâ nubis iride depictâ, quasi pacem ferat hominibus, si pœnitentiam agere velint. Ab eo enim tempore, quo Deus post diluvium arcum suum, sive iridem, constituit signum fœderis inter se & terram, Gen. 9. v. 13. iris haberi cœpit pro symbolo pacis. ET FACIES EIVS ERAT VT SOL. Repræsentans scilicet amœnissimam & beatificam illam Dei faciem, quâ lumine vultus sui electos, qui pœnitentiam agunt, recreat. ET PEDES EIVS TANQVAM COLVMNÆ IGNIS. Ad conculcandum tormento ignis reprobos impœnitentes. Sic etiam Christi Domini pedes dicuntur eâdem de causâ similes aurichalco in camino ardenti, Apoc. 1. v. 15.

2. ET HABEBAT IN MANV SVA LIBELLVM APERTVM. Græcè *libellulum*, quod est diminutivi diminutivum, quem tamen postea v. 8. *librum*, sine diminutione appellat: est enim liber ille, qui anteà sigillis septem signatus fuit, & quem Agnus de dextera sedentis in throno accepit, Apoc. 5. v. 7. Unde quia Agnus omnia sigilla ordine, & septimum Apoc. 8. v. 1. aperuerat, jam dicitur esse apertus.

Vocatur autem hoc loco, *libellus*, quia fortasse minima pars tribulationum in eo scripta est, quas homines futuris temporibus sub Antichristi regno re ipsa experientur. Estius, & alij, qui libellum Sacræ Scripturæ esse dicunt; potiùs libellum, quàm librum vocari existimant, quia in S. Scriptura valde modica & exigua rerum divinarum notitia continetur, respectu ejus, quæ affulgebit beatis in futura vita.

ET POSVIT PEDEM SVVM DEXTRVM SVPER MARE. Ut significaret eos qui procul à continente in navibus vel insulis habitant, non evasuros plagas novissimas, nisi ad pœnitentiam se convertant. SINISTRVM AVTEM SVPER TERRAM. Ut significet, terræ etiam habitatores ultimis tribulationibus conculcandos.

Ponit dextrum pedem super mare, & sinistrum super terram, ut fortassè significet, dextro pede, & fortiùs conculcandos esse, qui nihil solidi habent, sed voluptatibus & libidinibus sæculi, sicut mare, toti diffluunt. Aliquantò verò molliùs conculcandos, qui fidei saltem fundamentum, aut terrenas quasdam virtutes habent: sicut dicit S. Augustinus lib. 4. cap. 3. contra Iul. *Minus Fabricius quàm Catilina punietur, non quia ille bonus, sed quia iste magis malus est.*

Notat

Notat Aretas, hunc Angelum mare & terram divaricatis tibijs calcantem, apparuisse instar ingentis colossi, quod etiam indicant pedes & tibiæ ejus, quæ tanquam columnæ erant.

Qui Angelum istum esse Christum, & hæc pertinere ad primum Verbi Incarnati de cœlo descensum existimant, illam pedis dextri super mare & sinistri super terram positionem, Euangelium terrâ marique, & tam in Gentibus, quàm in Iudæis plantandum interpretantur.

3. ET CLAMAVIT VOCE MAGNA. Ut totus mundus audiret, & aures arrigeret. QUEMADMODVM CVM LEO RVGIT. Iratâ & formidabili voce, qualis est irati leonis rugitus. Non dicit, quid clamaverit, sed verisimile est clamasse, *væ*, & æternorum suppliciorum horrendas minas peccatoribus, qui non agerent pœnitentiam.

An autem reverà Angelus aliquis amictus nube, facie instar Solis, pedibus instar columnarum ignis, descendet illis temporibus de cœlo, & clamabit, quæ sequuntur, dubitant interpretes. Ribera putat sub imagine Angeli tantùm repræsentari, quid facturi sint concionatores, qui venturi judicij, & pœnarum formidine, terrere conabuntur peccatores. Sed cùm omnia extremis illis mundi temporibus plena prodigijs futura sint, nihil absurdi erit, si dicamus, Angelum tali specie & voce apparriturum. Tales enim prodigiosæ voces Ierosolymis ante excidium, tam in templo, quàm per plateas civitatis, auditæ sunt, ut narrat Josephus. Excidium autem Jerosolymorum excidij mundi figura fuit.

ET CVM CLAMASSET, LOCVTA SVNT SEPTEM TONITRVA. In nubibus excitata ab Angelis, fortè illis septem tubicinibus, qui stant in conspectu Dei, Apoc. 8. v. 2. et per quos Deus hunc mundum elementarem administrat. VOCES SVAS. Articulatæ ergo voces erant, sed magnæ & terribiles, qualia solent esse tonitrua. Aretas autem per 7. tonitrua, intelligit septem Angelos instar tonitruorum vociferantes, non ipsos tonitruorum sonos.

4. ET CVM LOCVTA FVISSENT, EGO SCRIPTVRVS ERAM. Volebam scribere id, quod locuta fuerant. Hinc apparet, quod S. Ioannes in ista extasi, & mentis excessu usum sensuum & manus retinuerit, & solitum fuisse statim scribere, quæ videret & audiret, ut jussus etiam fuerat Apocal. 1. v. 11. ET AVDIVI VOCEM DE CŒLO. Aëreo, in quo sonuerant 7. illa tonitrua. DICENTEM MIHI, SIGNA. Id est, retine, quasi sub sigillo, & signaculo mentis & memoriæ tuæ. QVÆ LOCVTA SVNT SEPTEM TONITRVA. Quid autem fuerit locuta, nemo

ſcire poteſt. Varij varia conjectant: veriſimile eſt aliqua clariùs expreſſiſſe de ſtatu ultimorum temporum ſub Antichriſto, quæ non expediebat ab omnibus ſciri antequam eveniant. ET NOLI EA SCRIBERE. Nè omnibus, qui librum tuum legent, innoteſcant. Potuit tamen S. Ioannes narrare quibuſdam perfectis, aut alijs, quibus revelari Deus volebat.

5. ET ANGELVS LEVAVIT MANVM SVAM AD COELVM. Deum, qui in cœlo habitat, advocans in teſtem veritatis. Fuiſſe moris apud Judæos, ut quando jurabant, manum in cœlum attollerent, patet Gen. 14. v. 22. & interdum non tantùm dexteram, ſed ſimul ſiniſtram elevabant, Dan. 12. v. 7. Hâc imitatione, laici, quando hodie jurant, duos dexteræ digitos attollunt, Sacerdotes verò dexteram pectori admovent, advocantes Deum conſcientiæ ſuæ teſtem.

6. ET IVRAVIT. Ne peccatores impœnitentes & obſtinati putarent ea, quæ dicturus eſt, eſſe fabulas ad terrorem confictas. PER VIVENTEM IN SÆCVLA SÆCVLORVM. Per Deum immortalem, cujus vita eſt æternitas. Scriptura enim per, *ſæcula ſæculorum*, durationem omnibus ſæculis temporalibus majorem, ac proinde æternam ſignificare ſolet. QVI CREAVIT COELVM, ET EA, QVÆ IN EO SVNT. Qualia ſunt aſtra, & aſtrorum motus, qui curſu ſuo conficiunt ſæcula temporalia. Undè meritò per creatorem temporum, qui tempora omnia in manu ſua tenet, jurat, ceſſatura brevì tempora. ET TERRAM. Et qui creavit terram. ET EA, QVÆ IN EA SVNT. Animalia, plantas, cæteraque omnia, quæ in terra ad uſum hominum condita ſunt. ET MARE, ET EA, QVÆ IN EO SVNT. Qui etiam creavit mare, & piſces, & æſtus quoque & motus maris, quibus homines navigant, & commercia inter ſe agitant. Hæc autem addit, ut juramento per eum, qui omnia iſta creavit & conſervat, faciliùs credatur, omnia brevì per eundem Dominum eſſe perdenda, terram non amplius inhabitandam, mare non amplius navigandum. QVIA TEMPVS NON ERIT AMPLIVS. Quod tempus, quo mundi inferioris viciſſitudines gubernantur, ceſſabit, ceſſante cœli motu, in quo tempus fluit. Statim enim peracto judicio univerſali, Sol, Luna, & univerſa ſydera cum cœlis ſuis ſtabunt, quia tunc operis ſui penſum, propter quod creata ſunt, abſolverint. Tam diu enim ſolùm moventur, donec adimpleatur numerus electorum, ut per diei & noctis, æſtatis & hyemis, cæteraſque viciſſitudines, alimenta & neceſſaria mortalibus provideantur; quæ ſuperflua erunt, quando omnes futuri ſunt immortales.

Nec quies illa cœlorum, ut S. Thomas qu. 5. art. 5. de potentia docet,

docet, erit violenta, quia cœlum non ex inclinatione aliqua activa, sicut lapis, ad centrum movetur, sed indifferenter ad motum & quietem se habet, moveturque solùm, quamdiu ab extrinseco impellitur, non propter propriam perfectionem acquirendam, sed ut publico Universi bono serviat: propter istum enim finem sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescunt, Gen. 8. v. ult. quæ posteà quiescent, quando finis ille cessabit.

7. SED IN DIEBVS VOCIS SEPTIMI ANGELI. In tempore, quo canet septimus Angelus, quod fiet cap. sequenti v. 15. CVM CŒPERIT TVBA CANERE. Et quidem simul atque inceperit canere. CONSVMMABITVR MYSTERIVM DEI. Consummari & compleri incipient res illæ arcanæ & absconditæ, quibus Deus ab æterno constituit hoc sæculum finire. SICVT EVANGELIZAVIT. Bono & jucundo nuntio annuntiavit hominibus pijs, qui finem hujus sæculi, & Christi regnum advenire exoptant: *euangelizare* enim est, bonum & optatum nuntium adferre. PER SERVOS SVOS PROPHETAS. Tam Vet. quàm novi Testamenti Prophetas; qui multa de sæculi consummatione, de resurrectione mortuorum, de præmijs & glorificatione electorum, de pœnis & damnatione reproborum prophetaverunt.

8. ET AVDIVI VOCEM DE CŒLO ITERVM LOQVENTEM MECVM. Græcè: *Et vox, quam audivi de cœlo, iterum locuta est mecum.* Ut significet fuisse eandem, sive ejusdem Angeli vocem, quæ v. 4. dixerat ei, ut signaret, & secretum servaret, quod locuta fuerant septem tonitrua. VADE ET ACCIPE LIBRVM APERTVM. Interpres vertit jam, *librum*, quem anteà v. 2. *libellum*, verterat: est enim eadem utrobique vox græca diminutiva. Quare autem libellus vocetur, cum sit ille liber, qui intus & extra scriptus erat, & septem signaculis clausus, ibi dictum est. DE MANV ANGELI &c. Sensu tropologico, ire & à rebus terrenis mentem avertere jubetur, qui S. Scripturæ libros tractare vult; & ad Angelos & Deum accedere, ut intelligentiæ gratiam assequatur.

9. ET ABII AD ANGELVM. Non corporis, sed animi passibus. Non enim loco suo se movit S. Joannes, sed hæc repræsentabantur ab Angelis, & in ejus imaginatione & mente geri videbantur. ET DIXIT MIHI: ACCIPE LIBRVM. In quo descriptæ erant extremorum temporum calamitates. ET DEVORA ILLVM. Et demitte in memoriæ tuæ ventrem; insere visceribus tuis, & describe in latitudine tui cordis, ait Beda. ET FACIET AMARICARI VENTREM TVVM. Tristitiæ amaritudine afficiet & torquebit intestina animæ tuæ. SED IN ORE TVO. In principio, quando illarum rerum cognitionem

gustare, & in animum demittere incipies. ERIT DULCE TANQUAM MEL. Qualia solent esse quædam medicamenta, quæ medici melle condiunt, aut saccaro aspergunt, ut suaviter ingrediantur, sed posteà ventrem amaricant, torminum sonitus excitant, & vomitum provocant.

10. ET ACCEPI LIBRUM DE MANU ANGELI. In quo descripta divinæ præscientiæ decreta, quæ in hoc libro Apocalypseos à S. Joanne scripta sunt. ET DEVORAVI ILLUM. Licèt autem hæc ita fieri in ipsa visione imaginariâ vel intellectuali viderentur, non tamen reverà volumen ipsum devoravit, & in stomachum trajecit: sicuti nec Ezechiel, quando ait, *Comedi volumen, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Ezech. 3. v. 3. Sed sub hac imagine repræsentabatur, quod judicia Domini, quando in ventrem animæ demittuntur, *dulciora sint super mel & favum*, Psal. 18. ET ERAT IN ORE MEO. Ubi mandere & deglutire cœpi: TANQUAM MEL DULCE. Delectat enim mirum in modum futurarum rerum, & omnium, quæ Deus revelat, intelligentia.

Hinc etiam patet, Apocalypsin sancti Joannis multis figuris & imaginibus, veluti hoc loco, & de quatuor animalibus, &c. Apoc. 4. similem esse Prophetiæ Ezechielis.

ET CUM DEVORASSEM EUM, ac in ventre meo coquerem & ruminarem rerum in libro contentarum notitiam. AMARICATUS EST VENTER MEUS. Sicut Jeremias futuram contritionem populi sui cogitans, & in ventre animæ suæ ruminans clamat, *Ventrem meum, ventrem meum doleo*, Ierem. 4. v. 19. & Isaias: *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit*, Isa 16. v. 11. convulsione scilicet & sonitu torminum, tanquam citharæ lugubris.

Sic quamdiu sacrarum Scripturarum & Theologiæ doctrina in scholis à studiosis percipitur, est tanquam mel ducis in ore, sed ubi posteà in ventre concoquitur, & à Pastoribus populo, tanquam cibus in membra distribuitur, amaricatur venter propter difficultates, quas in pascendo grege experiuntur; & ideò quidam Doctr & *magnis* gratiæ *muneribus ditati, solius contemplationis studio inardescunt, servire utilitati proximorum refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt*, ait S. Gregorius p. 1. Past. cap. 5. Sed tales, inquit, *qui culmen regiminum vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro alijs acceperunt.* Undè non obstante amaritudine ventris, dicitur S. Joanni, quod sequitur.

11. ET DIXIT MIHI. Angelus, qui librum S. Joanni tradiderat) OPOR-

OPORTET TE ITERUM. Nam adhuc anteà Romæ coràm Imp. Domitiano, in Asia, & alijs Orbis partibus S. Joannes multa, prophetaverat. PROPHETARE GENTIBUS. Annuntiare illa futura tam amara & tristia, propter quæ amaricatus est venter tuus. Et deinde alia, quæ ex Pathmo in Asiam reversus tam verbo quàm scripto hujus Apocalypsis, & Euangelij tui prædicabis.

Plerique enim Antiquorum ex hoc loco colligunt, Euangelium à S. Joanne scriptum esse post Apocalypsin, postquam videlicet ab exilio insulæ Pathmos Ephesum redijsset.

Quod verò Ribera ait, improprium & inusitatum esse, ut *prophetare*, accipiatur pro, *prædicare*, sanè non videtur verum. Nam, *prophetia*, &, *prophetare*, passim apud S. Paulum accipitur generaliter pro, prædicare occulta Dei mysteria, quæ aliquis per divinam revelationem accepit, sivè illa res futuras, sivè præsentes, sivè præteritas, aut alias quascumque concernant, ut Rom. 12. v. 6. 1. ad Cor. 11. v. 4. 1. ad Cor. 12. v. 10. 1. ad Cor. 14. v. 1. &c. item Prov. 29. v. 18. ut optimi quique interpretes docent. Undè patet, S. Joannem in Euangelio suo maxime prophetasse, quando altissima illa de Christi Divinitate, quæ Deus ei revelaverat mysteria mundo prædicavit & propalavit.

ET POPULIS. Ut Asianis & Græcis, qui eâdem linguâ utebantur. ET LINGUIS. Ut Hebræis, Græcis, Latinis, qui non tantùm populis, sed etiam linguis sunt distincti. ET REGIBUS MULTIS. Quod si posteà Regibus verbo fortè non prophetavit S. Ioannes; Apocalypsis tamen, & Euangelij sui Scriptura adhuc hodie, & usquè ad finem sæculi omnibus regibus Christianis prophetat & concionatur.

Veteres non pauci, & inter recentiores Catharinus, hunc locum sic interpretantur, quasi S. Ioannes in fine sæculi cum Elia & Henoch sit prophetaturus, & prædicaturus multis regibus & gentibus &c. & deinde calicem martyrij cum illis duobus sub tyranno Antichristo bibiturus: unde etiam credunt, S. Ioannem usque ad illa tempora cùm Elia & Henoch in vivis retineri.

Sed S. Augustinus, S. Hieronymus, & plerique SS. Patrum veriùs tradunt, S. Ioannem mortuum esse, nec Eliæ & Henoch in fine sæculi sociandum. Unde verba illa, quæ Christus duobus fratribus Iacobo & Ioanni dicit, *Calicem quidem meum bibetis*, &c. Matt. 20. v. 22. non implenda esse existimant per martyrium Ioannis in fine sæculi, sed olim impleta per ferventis olei dolium, sive solùm per exilium, & cæte-

cæteras pro Christo persecutiones & tribulationes, quæ omnia ad calicem Domini pertinent. Et licet in dolio illo occisus non fuerit, non tamen defuit moriendi voluntas, nec causa physica, licet per miraculum divinitùs impedita fuerit: unde S. Ioannes inter martyres habetur.

CAPVT XI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Devorato libro aperto, qui anteà septem signaculis fuerat signatus, & notitiâ rerum futurarum à S. Ioanne summatim, & tanquam in volumine convoluto, in ventrem animæ demissâ, per partes in posterùm explicatur quid in eo libro contineatur, & per varias visionum imagines, sicut præcedentia, evolvuntur.

Datur ergo hoc cap. calamus S. Ioanni, ut templum & atrium, quod ab Antichristo occupabitur, metiatur. Adversus Antichristum mittentur Elias & Henoch, qui tandem interficientur, resurgent, & rapientur in cælum. Septimus Angelus tubâ canit. Viginti quatuor Seniores gratias Deo agunt, quia adest mundi finis, quo mortui resurgent, judicium exercebitur, electi præmium, reprobi supplicium æternum recipient. Aperitur templum Dei in cælo, & apparet in eo Arca Testamenti. Excitantur tonitrua, fulgura, terræmotus, grando.

Vers. 1.

ET DATVS EST, ab Angelo, MIHI CALAMVS. Arundo mensoria: unde infrà Apoc. 21. v. 15. vocatur *mensura arundinea.* Fuit autem calamus sex cubitorum & palmi verisimiliter, quantus narratur calamus Ezechielis cap. 40. v. 5. in visione huic simili. SIMILIS VIRGÆ. Non fuit ergò calamus scriptorius, ut Beda, & alij minùs benè interpretantur, sed similis Virgæ, quæ in mensuris agrorum solet adhiberi. ET DICTVM EST MIHI. Ab Angelo, qui instrumentum illud mensorium dederat. SVRGE ET METIRE TEMPLVM DEI. Longitudinem, latitudinem, & altitudinem templi Salomonis: quod licèt paulò ante combustum esset à Tito fratre Domitiani, quo imperante S. Ioannes hanc visionem vidit; repræsentabatur

batur tamen imaginationi ejus, quasi adhuc staret, ut in illo templo Ecclesia Christi figuraretur, quam hîc jubetur metiri. ET ALTARE. Holocaustorum, quod erat in atrio Sacerdotum interiori, proximè ante ostium Sancti, in quo Sancto erant altare thymiamatis, mensa panum propositionis, & candelabrum. ET ADORANTES IN EO. Et metire etiam Sacerdotes qui super illud altare Deo sacrificant, & illum adorant.

2. ATRIVM AVTEM, QVOD EST FORIS TEMPLVM. Atrium verò exterius, quod est extra templum. Nam templum propriè dictum, in quod solis Sacerdotibus & Levitis patebat ingressus, solummodò complectebatur Sanctum, Sanctum Sanctorum, & atrium interius, in quo erat altare holocaustorum, & mare æneum à 12. æneis bobus sustentatum. EIICE FORAS, ET NE METIARIS ILLVD. Repelle à mensura tua, tanquam indignum, circa quod metiendo occuperis.

Per istam phrasin, *ejice foras*, satis etiam indicat, se accipere continens pro contento, & sub nomine atrii exterioris, se intelligere homines, qui in atrio illo versantur, quos foras extra coetum Ecclesiæ electorum vult eijci, ut fiant tanquam ethnici & publicani. Undè hoc atrium exterius (quod erat quasi templum Iudæorum laicorum, in quo erat porticus illa Salomonis tam celebrata in Euangelijs) præcipitur quasi reijcere in ultimum atrium quod profanum vocabatur, in quod gentiles permixti Iudæis immundis ingredi poterant.

Cum ergo S. Joannes jubetur templum Dei & altare ultimis istis mundi temporibus metiri; quodammodo ei dicitur, ut consideret quis sub Antichristo sit futurus status Ecclesiæ Christi, cujus figura fuit templum Salomonis.

Deinde jubetur etiam metiri sacrificantes & adorantes Sacerdotes ac Levitas in atrio interiori, ut sciatur, quàm alti & eminentes in virtutibus sint futuri electi, qui sunt lectissima Ecclesiæ pars, & per Sacerdotes, & Levitas adorantes significantur. Electi enim omnes, sunt *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, 1. Pet. 2. v. 9.

QVONIAM DATVM EST. A Deo irato, & vindicante eorum peccata. GENTIBVS. Antichristo, & exercitui ejus, ex gentibus & omni colluvie hominum improborum conflato, quibus non licebit in illud atrium exterius ingredi. Undè cum Judæi existimarent, Trophymum gentilem à S. Paulo in illud templi atrium introductum fuisse, commota est tota civitas, Actor. 21. v. 30. Imò quidam existimant ipsum Antichristum futurum gentilem Mahumetarum, etiamsi ex Majo-

Majoribus Judæis & tribu Dan oriundum. Nam Cajetanus, & S. Vincentius Ferrerius eximiſtant Mahumetiſmum uſque ad tempora Antichriſti duraturum. ET CIVITATEM SANCTAM. Jeruſalem, quæ Eccleſiæ typus & figura eſt: cujus ſanctiſſima pars eſt templum ſive electi ex Eccleſia ad vitam æternam. CALCABUNT. Cædibus, perſecutionibus, & tribulationibus proterent. MENSIBUS QUADRAGINTA DUOBUS. Tribus annis cum dimidio; quanto tempore Antichriſti regnum durabit: nam *ſanctos Altiſſimi conteret, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc eſt tribus annis cum dimidio, Dan. 7. v. 25.

3. ET DABO DUOBUS TESTIBUS MEIS. Inſtruam duos teſtes, ad hoc à me electos, neceſſarijs donis & chariſmatibus Spiritus S. ad prædicandum & reſiſtendum Antichriſto. Loquitur enim Angelus in perſona Dei.

Quinam futuri ſint duo iſti teſtes, variæ tam veterum, quàm recentium interpretum ſunt ſententiæ. Omnes fermè conveniunt, unum eorum fore Eliam: quam celeberrimam in ſermonibus & cordibus fidelium ſententiam vocat Auguſtinus, lib. 20. cap. 29. Civ. Dei, propter illa verba Malachiæ 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus.*

De altero eſt majùs dubium. Aliqui dicunt fore Jeremiam, quia dictum eſt ei, *Prophetam in gentibus dedi te*, Jerem. 1. v. 5. & tamen, inquiunt non legitur Gentibus olim prophetaſſe; ergo hoc implendum videtur in fine ſæculi, maximè cùm de morte ejus in Scriptura nihil legatur. Verùm Jeremias prophetavit in gentibus, id eſt, de gentibus, aut ſuper gentes, ut ipſe Jerem. v. 10. ſatis ſe explicat: prophetavit enim Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium everſionem, Jerem. 25. v. 13. & alibi.

Alij Moyſen adjungunt Eliæ, ut S. Hilarius, Maldonatus Mat. 17. v. 3. Gagnæus, Janſenius Gand. in Concordia, & alij, propter verſum 6. hujus cap. *Et poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem*; quod fecit olim Moyſes in Ægypto.

Sed communior SS. Patrum ſententia & traditio eſt, Henoch futurum ſocium Eliæ: ad illum enim finem uterque olim tranſlatus eſſe videtur, Henoch. Gen. 5. v. 24. Elias 4. Reg. 2. v. 11. Undè Aretas ait, hoc ab Eccleſia invariabiliter recipi: & Rabanus dicit eſſe de fide: alij verò aut eſſe de fide, aut fidei proximum. Eo etiam ſpectare videntur iſta Scripturæ verba, *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*, Eccli 44. v. 16. quamquam inſpecto textu

textu græco locus iste parùm urgeat, ut Iansenius Ganden. ibi ostendit.

Non constat autem, quo loco Elias & Henoch tam diu vivant: nam incertum est, an supersit adhuc ille paradisus, ex quo primi parentes ejecti sunt; cùm plurimi, maxime recentiores, aquis diluvij fuisse deletum existiment. Nec textus græcus Eccli 44. interponit vocem, *paradisum*, sed ad verbum sic habet: *Henoch benè placuit Domino Deo, & translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus.* Cùm ergo Interpres noster addidit particulam, *in paradisum*, non paradisum illum à primis parentibus inhabitatum, sed quemlibet hortum amœnum significat, ut Cant. 4. v. 13. & alibi. In tali igitur horto Elias & Henoch servantur in adventum Antichristi.

An verò adhuc sint in statu merendi, dubitant Theologi. Viegas in hoc Apoc. loco affirmat, alij plures negant; quia sunt jam quasi extra viam, quamdiu vitam talem sine cibo & potu, nullo concupiscentiæ motu tentati, extra hominum societatem degunt. Deindè infinitum quodammodo meritorum supra alios Sanctos cumulum tanto tempore accumularent, cùm semper benè, & ex charitate operentur.

Redibunt tamen ad statum merendi, quando ad conversionem Iudæorum, & Martyrium hoc cap. narrandum revertentur.

Et prophetabunt. Prædicabunt fidem Christi, & Scripturas V. Testamenti, quæ de Messia sunt, Iudæis interpretabuntur: prophetare enim sic sæpè in Scriptura accipitur, ut cap. præcedenti v. ult. diximus. Diebus mille ducentis sexaginta: id est, tres annos cum dimidio, si unicuique mensi dies tantummodo 30. hoc est, unicuique anno dies 360. tribuamus. Undè cùm in anno solari communi sint dies 365. & horæ sex, Elias & Henoch non tres annos cum dimidio expletos, sed octodecim circiter diebus minùs prædicabunt.

Contra verò, cùm Antichristus dicatur regnaturus, & Sanctos contriturus per tempus & tempora, & dimidium temporis, Dan. 7. v. 25. spatium istud persecutionis Antichristi excedet diebus duodecim tres annos solares cum dimidio: Nam Dan. 12. v. 11. indicatur persecutio ista duratura 1290. diebus; ut proindè post prædicationem & martyrium Eliæ & Henoch, quos interfecturus est Antichristus, ipse 30. diebus sit supervicturus. Undè etiam colligi videtur, quòd Elias & Henoch sint prædicationem suam inchoaturi cum initio persecutionis Antichristi, nec tamen perventuri usque ad finem,

cùm tyrannus 30. diebus post eorum martyrium sit à Christo interficiendus.

AMICTI SACCIS. Cilicijs; ut non solum verbo, sed etiam exemplo pænitentiæ, & lugubri isto amictu Iudæos & peccatores permoveant ad pœnitentiam. Saccus autem pœnitentialis, de quo frequens est mentio in Scriptura, erat ex pilis & cetis animalium, non ex lino aut lanâ textus: unde Apocal. 6. v. 12. vocatur, *saccus cilicinus*, hoc est, saccus ex cetis aut pilis contextus, quem propriè cilicium vocamus; unde interpres ibi, *saccum cilicinum*, vertit.

4. HI SVNT DVÆ OLIVÆ. Tanquam duæ oleæ arbores, quia oleum gratiæ Dei prædicatione suâ producent, quo Iudæi & peccatores ungentur in fine mundi. ET DVO CANDELABRA. Fundentia fidei, & intelligentiæ lumen ijs, qui tunc in tenebris & umbra mortis sedebunt. Oleo igitur isto vulnus infirmitatis sanabitur, lumine tenebræ ignorantiæ dispellentur. IN CONSPECTV DOMINI TERRÆ STANTES. Parati & accincti, ut ad nutum Domini ad terram habitatam recurrant, & opus suum aggrediantur, propter quod tam diu extra cœtum hominum cæterorum in vivis retinentur.

Pro, *stantes*, secundùm latinam syntaxin, *stantia*, vertere oportebat; sed interpres ad homines, qui per illa candelabra significabantur, potiùs quàm ad vocem respexit.

Alludit autem sine dubio S. Ioannes ad locum similem, Zachar. 4. v. ult. ubi Propheta de ijsdem duabus olivis loquens, *isti sunt duo filij olei*, inquit, *qui assistunt dominatori universæ terræ:* quos etiam ante v. 11. duas olivas ad dextram & ad sinistram candelabri vocat.

5. ET SI QVIS VOLVERIT EOS NOCERE. Eis nocere, seu, eos lædere, ut mox eandem græcam phrasin vertet interpres. Hoc autem intellige, in diebus prophetiæ ipsorum, ut v. seq. loquitur, sive toto tempore ad prædicandum ipsis divinitùs destinato. Interpres retinuit, ut sæpè aliàs, Græcorum syntaxin, apud quos verbum, *nocere*, accusativum regit. IGNIS EXIET DE ORE EORVM. Prædicatio, & omne verbum ipsorum ardebit, & efficax erit instar ignis, adeò ut etiam ignem verum de cœlo, quando volent, evocare poterit. ET DEVORABIT INIMICOS EORVM. Qui ipsis nocere volent. Sic olim ad imperium Eliæ cælesti igne duo quinquagenarij cum suis 50. militibus, quos Rex Ochosias ad Eliam miserat, absumpti sunt, 4. Reg. 1. v. 10. &c. Undè zelus & spiritus ille, qui olim Eliam agebat, eum iterùm in fine sæculi corripiet, & similia signa & prodigia patrabit, ut veris miraculis falsa Antichristi miracula refellat. Non enim prædicatione

tione tantùm & armis, sed etiam magicis artibus & miraculis falsis Antichristus homines ad suam religionem, & se adorandum compellet. Undè ut paribus armis cum eo pugnent Elias & Henoch, virtutem miraculorum tribuet illis Deus.

Multi tamen Interpretes verba ista, *ignis exiet de ore eorum*, referunt tantùm ad ignitam Eliæ & Henoch prædicationem, quâ corda audientium inflammabunt: nam etiam *olim surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, Eccli 48. v. 1. Per ignem enim prædicatio sancta figuratur, ait Haymo, quia corda auditorum ad amorem Dei accendit.

Sed generaliùs etiam illa Ecclesiastici verba accipi debent, ut verbum Eliæ non solùm in prædicatione, sed etiam in imperio & patratione miraculorum instar faculæ arserit, actuosum & efficax sicut ignis in omni sermone & opere, ut varia ejus miracula & encomia, quæ statim subijcit Ecclesiasticus, satis indicant. Henoch quoque socius ejus eodem spiritu corripietur, venietque in spiritu & virtute Eliæ.

ET SI QVIS VOLVERIT EOS LÆDERE. Tempore illo ad prædicandum ipsis constituto, ut antè dixi. Nam aliàs in fine lædet eos Antichristus, quando martyrio afficiet. SIC OPORTET EVM OCCIDI. Debet & meretur interfici tali genere mortis ut ab igne cœlitus misso devoretur, qui tantos Dei famulos ausus sit velle lædere.

6. HI HABENT POTESTATEM CLAVDENDI CÆLVM. Nam Deus quodammado dedit ipsis cœli clavem, ut ipsum claudant & aperiant, quando placet. Quia enim amicorum omnia sunt communia, ait Philo Judæus, idcò Deus potestatem & divitias suas communicat Sanctis.

Cælum autem aëreum claudi dicitur, quando pluviam non mittit; aperiri, quando pluit. Sic clausit olim cælum Elias, quando neque pluvia, neque ros pluit annis tribus cum dimidio, 3. Reg. 17. v. 1. Et rursus cælum aperuit, quando posteà ad preces ejus cecidit pluvia grandis 3. Reg. 18. v. 45.

NE PLVAT DIEBVS PROPHETIÆ IPSORVM. Ut toto illo tempore prædicationis ipsorum, quod erit trium annorum cum dimidio, non pluat, nisi ipsi velint. Cum enim olim sub rege Achab tanto tempore Elias clauserit cœlum, acceptâ iterùm eâdem potestate, & cœli clave, tantumdem poterit. Nullibi tamen scriptum est, nec videtur verisimile, quòd usurus sit illâ potestate, ut scilicet tribus annis cum dimidio, hoc est, toto tempore continuo prædicationis suæ & persecutionis Antichristi, nulla pluvia casura sit in toto terrarum

orbe. Verisimile tamen est, quòd per intervalla, ad imperium ejus aut Henoch, nunc claudentur, nunc aperientur cœli.

Et potestatem habent super aquas. Super ergo duo elementa, aërem & aquam potestatem exercebunt, qualem Gentiles olim Jovi suo & Neptuno tribuebant. Cœlo aëris imperabunt, ut non pluat; elemento aquæ, ut in aliam naturam transeat. Convertendi eas in sanguinem. Sicut olim in Ægypto coram Pharaone fecit Moyses Exo. 7. v. 20. Undè istis verbis Moysen apertè describi, ait Maldon. Matt. 17. v. 3.

Sed cùm non unus tantùm, sed duo dicantur habituri illam potestatem, non indè certò confici potest, Moysen futurum socium Eliæ, ut credit Maldon. Nam Elias non legitur olim habuisse potestatem vertendi aquas in sanguinem, quam tamen habebit in fine sæculi.

Solùm ergo dicit S. Joannes, quod duo illi testes, quicumque illi futuri sint, habebunt potestatem similem potestati, quam Elias & Moyses olim habuerunt, & contra sacerdotes Baal, & magos Ægypti exercuerunt. Sicut enim Antichristus artibus & miraculis magicis ad perversionem fidelium utetur, veluti Sacerdotes Baal, & magi Ægypti olim faciebant: ita meritò duobus suis testibus similem potestatem, & talia arma dabit Deus, ut cum Antichristo pugnent, qualia Elias & Moyses olim habuerunt.

Et percutere terram. Et percutiendi terram. Ecce potestas in tertium elementum. Omni plaga. Quales fuerunt cæteræ plagæ Ægypti, ut ranarum, cyniphum, muscarum, locustarum, grandinis, &c. præter plagam sanguinis, quæ proximè præcessit. Ad plagas enim istas Ægypti S. Joannes hic respicit. Quotiescumque voluerint. Hæc clausula videtur etiam afficere duo membra præcedentia, ut dicantur habituri potestatem claudendi cœlum, quando voluerint uti illâ potestate; item vertendi aquas in sanguinem, &c. Undè ut hanc potestatem ostendant, verisimile est, aliquando per intervalla, ubi occasio dabit, illâ usuros esse.

7. Et cum finierint testimonium suum. Quando tempus sibi constitutum à Deo ad prædicandum & testificandum Christi Euangelium, absolverint. Bestia quæ ascendit de abysso. Verbum *ascendit*, est præsentis, non præteriti temporis: græcè enim, *Bestia illa ascendens de abysso*: id est, Antichristus, instar feræ bestiæ sævus & crudelis, qui secundùm æternam Dei ordinationem de abysso infernali ascendere debet. Quia enim spiritu diabolico, & artibus magicis instructus erit, dicitur de abysso, tanquam de schola quadam infer-

Infernali aſcendere ad homines in terra habitantes. Aliqui tamen per, *abyſſum*, intelligunt mare, quia infra Apoc. 13. v. 1. S. Ioannes dicit ſe vidiſſe beſtiam de mari aſcendentem. Sed illa eſt alia viſio. Nec dicit hîc ſe vidiſſe, aut videre beſtiam aſcendentem, ſed, beſtiam, quæ in divinâ prædeſtinatione aſcendere debet de abyſſo, facturam quod ſequitur. Probabilius ergo eſt, *abyſſum*, hîc accipi, ſicut ante, Apocal. 9. v. 1. FACIET ADVERSVS EOS BELLVM. Perſequendo illos duos teſtes, & eorum adhærentes. ET VINCET ILLOS. Eorum corpora, non animos: nam tandem in fine prædicationis capiet illos Antichriſtus, ET OCCIDET EOS. Omnibus & exquiſitiſſimis tormentis antea cruciatos.

8. ET CORPORA EORVM inſepulta IACEBVNT. Ad oſtentum & ludibrium. IN PLATEIS. Per quas etiam fortè raptabuntur à ſcurris & nebulonibus, ſicut ſceleratiſſimorum corpora ſolent. Græcè tamen, *iacebunt in platea*. In aliqua præcipua platea, velut in foro, vel ſpatioſâ ad ſpectandum plateâ. CIVITATIS MAGNÆ. Ieroſolymæ, quæ tunc temporis magna iterùm & populoſa civitas erit, quia ad eam undique, propter Antichriſtum ibi reſidentem, confluent Iudæi, tanquam ad ſuum Meſſiam: ideoque in illa civitate Iudæis potiſſimùm prophetabunt, & concionabuntur Elias & Henoch. QVÆ VOCATVR SPIRITVALITER. Senſu ſpirituali & myſtico. SODOMA. Propter multitudinem & fœditatem peccatorum, præſertim carnalium, quibus Ieroſolyma tunc æquabit aut ſuperabit veterem Sodoman.

Simili de cauſâ Iſaias Magiſtratus Ieroſolymæ vocat, *Principes Sodomorum*, & Judæos, *Populum Gomorrhæ*, Iſa. 1. v. 10. & Ieremias: *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*, Thren. 4.

ET ÆGYPTVS. Regio olim maximè dedita idololatriæ: nam Ægyptij, boves, feles, canes, crocodilos, cepas & allia ut Deos adorabant. Ieroſolyma ergo vocatur ſpiritualiter Ægyptus, quia in ea omnes Antichriſti ſectatores ibi eum ut Deum adorabunt & extollent *ſupra omne, quod dicitur Deus; ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus*, 2. ad Theſſ. 2. v. 4. UBI ET DOMINVS EORVM. In qua civitate Chriſtus Eliæ & Henoch, ac omnium Dominus, CRVCIFIXVS EST. Ex hac periphraſi videtur manifeſtum, hanc civitatem magnam eſſe Ieroſolymam, licet S. Hieronymus ep. 17. ingenioſè aliò hæc verba vertat; & Sodomam iſtam ſpiritualem interpretetur, non Ieroſolymam, ſed mundum univerſum, qui eſt civitas diaboli & impiorum. Nam nomine Paulæ & Euſtochij epiſtolam illam ad Marcellam Romæ agentem ſcribit, & perſuadere ei conatur, ut relictâ

Italiâ in terram ſanctam veniat. Et ut ſuaſio efficacior ſit, laudes terræ ſanctæ, & Jeroſolymæ ejus Metropolis undique conquirens, & hunc Apocal. locum tamen ſibi obijciens, ne nomen Sodomæ & Ægypti gloriam Ieroſolymæ obſcurarent, in alium ſenſum derivat.

9. ET VIDEBVNT. Sicut ſolent homines ex curioſitate, aut odio erga ſupplicio affectos, ad talia ſpectacula concurrere. DE TRIBVBVS, ET POPVLIS, ET LINGVIS, ET GENTIBVS. Plurimi enim ex omni natione tunc Jeroſolymam, tanquam ad Regiam & arcem Antichriſti confluxerint. CORPORA EORVM. Iacentia in plateis. PER TRES DIES ET DIMIDIVM. Qui interfluxerunt inter mortem & reſurrectionem ipſorum. ET CORPORA EORVM NON SINENT PONI IN MONVMENTIS. Tanquam qui indigni ſint ſepulturâ, & ut ad ſatietatem ſpectari, & illudi poſſint à nebulonibus. Sic cadavera furum aut latronum inſepulta in patibulo aut rota ad ſpectaculum exponi ſolent.

10. ET INHABITANTES TERRAM. Qui ex varijs Orbis terræ partibus tunc Jeroſolymis erunt. GAVDEBVNT SVPER ILLOS. Super morte illorum. ET IVCVNDABVNTVR. Lætabuntur, ſive ſigna externa interioris gaudij oſtendent: hoc enim propriè à gaudio lætitia diſtat, quod gaudium maneat in corde & affectu, lætitia verò in vocem, geſtum, plauſum, & externa ſigna exeat. Undè Stoici dicunt, ſapientem ſemper gaudere, placido nempe & interno gaudio; nunquàm lætari, hoc enim gravitatem ejus dedecere putant. ET MVNERA MITTENT INVICEM. Ad epulandum & celebrandum feſtas dapes, ut in publica lætitia fieri ſolet. QVONIAM HI DVO PROPHETÆ CRVCIAVERVNT EOS. Utendo adverſus eos poteſtate illâ claudendi cœlum, convertendi aquam in ſanguinem, & percutiendo omni plagâ terram: quomodo olim Moyſes cruciavit Pharaonem & Ægyptum. Deinde Elias & Henoch impiorum corda cruciaverunt, per acrem ſcelerum reprehenſionem, & minas ignium æternorum.

11. ET POST DIES TRES ET DIMIDIVM. Quibus cadavera eorum in plateis jacuerint ut ſcilicet quemadmodùm Chriſtum Dominum triennali & amplius; prædicatione imitati ſunt; ita etiam triduo circiter mortis, ac deinde reſurrectione imitentur. SPIRITVS VITÆ. Anima dans vitam corpori. A DEO. Remiſſus ad corpora. INTRAVIT IN EOS. Et rurſum corpora eorum animavit. Quod futurum erat, exponit per verbum præteritum, propter futuræ hiſtoriæ certitudinem, quam quaſi jam præteritam oculis propheticis cernebat. ET STETERVNT SVPER PEDES SVOS. In corporibus glorioſis ante

ante generalem resurrectionem à mortuis resuscitati. ET TIMOR MAGNVS. Iræ Dei. CECIDIT SVPER EOS. Timor in aliquem cadere dicitur, quando subitus & repentinus est. QVI VIDERVNT EOS. Videre enim corpora post tres dies cum dimidio mortua in plateis, & in tabem ac putredinem jam marcescentia, subitò reviviscere & erigi in pedes, magna profectò est timoris & tremoris materia, apud eos præsertim, qui ipsos occiderunt. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,* &c. Sap. 5. v. 2. Nec mirum est, Eliam & Henoch paululum ante alios tam multos veteris & novi Test. Sanctos in corporibus gloriosis resurgere, qui tam diu contra cursum naturæ in vita reservati beatitudine animæ caruerunt, quam alij Sancti morientes longo antè tempore adepti fuerunt.

12. ET AVDIERVNT. Tam ipsi resuscitati, quàm eorum spectatores. VOCEM MAGNAM. Ut à multis simul posset facilè audiri, & quia rem magnam ac stupendam annuntiabat. DE CŒLO. Ut intelligerent eam à Deo proficisci. DICENTEM EIS: ASCENDITE HVC. S. rum in aëra: non Angelicis manibus elevati, sed propriâ virtute, & dote agilitatis ascendentes. ET ASCENDERVNT IN CŒLVM. Non tantum aëreum, sed etiam sidereum & empyreum. IN NVBE. Illustrata sine dubio radijs, quibus corpora illa gloriosa corruscabant. Christum ergo hac sua ascensione imitati sunt, cui prædicatione, morte, resurrectione etiam assimilati fuerant: Christum enim ascendentem in cœlum nubes suscepit, & subduxit ab oculis spectantium, Act. 1. v. 9.

In divinarum rerum manifestatione Deus sæpè nubis ministerio utitur, ut notat Arethas: ut significet, quòd sicuti in nube lumen Solis opacitati & obscuritati nubis permixtum est, ita puram & liquidam cœlestium rerum veritatem non clarè videamus, quàm diu in corpore mortali vivimus; sed veluti in nube, & fidei divinæ obscuro. Vndè Deus populum suum per desertum deduxit in columna nubis, Exod. 13. v. 21. Nubes operuit montem Sinai, quando Lex data est Moysi, Exo. 19. v. 16. Quando dedicatum est templum Salomonis, Domus Dei impleta est nube, 2. Par. 5. v. 13. Nubes lucida obumbravit eos, qui cum Christo fuerunt in monte Thabor, Matt. 17. v. 5. Denique Christus veniet ad Iudicium in nubibus cœli, Matt. 26. v. 64.

ET VIDERVNT ILLOS INIMICI EORVM. Antichristus, & qui eos persecuti sunt, & occiderunt. Undè gementes dicere potuerunt, quod illi Sap. 5. v. 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,* &c.

13. ET

13. ET IN ILLA HORA. Quâ in cœlum ascenderunt. FACTVS EST TERRÆ MOTVS MAGNVS. Ad vindicandam necem illorum duorum Prophetarum, deinde ad instantium calamitatum præsagium. Solent enim magni terræ motus publicarum calamitatum esse prognosticon. ET DECIMA PARS CIVITATIS CECIDIT. Quassatis terræ motu ædificijs. ET OCCISA SVNT IN TERRÆ MOTV, oppressa ædificiorum ruinis, NOMINA HOMINVM SEPTEM MILLIA. Homines appellat nomina hominum, quia in talibus casibus hominum pereuntium catalogus scribi, & numerus nominum iniri solet. Vide quæ Apocal. 3. v. 4. de hac hebraica phrasi diximus. ET RELIQVI IN TIMOREM SVNT MISSI. Concussi sunt timore salutari quo conversi sunt ad pænitentiam. ET DEDERVNT GLORIAM DEO COELI. Qui dignis pœnis improbos, & Sanctos præmijs afficit. Videntur ergo Elias & Henoch non omnes Judæos prædicatione suâ ante mortem convertisse, sed aliquos etiam post mortem, miraculo scilicet isto resurrectionis & ascensionis in cœlum: & sic intelligendum esse quod Christus ait, *Elias venturus est, & restituet omnia*, Matth. 17. v. 11. & illud Malac. 4. v. ult. *Elias convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*

VÆ SECVNDVM ABIIT. Ex tribus illis Væ quæ aquila per medium cœli volans annuntiavit Apocal. 8. v. ult. Abijt autem secundum Væ non postquam Elias & Henoch ascenderunt in cœlum (quod ex ordine narrationis hujus cap. videri posset) sed ante eorum mortem. Cum enim S. Joannes dixisset v. 3. duos testes in subsidium fidelium, contra Antichristum, mittendos, eorum posteà historiam per anticipationem continuavit usque ad tempus mortis, & ascensionis eorum in cœlos, quod non sub secundo Væ, sed sub tertio & ultimo eveniet. ET ECCE VÆ TERTIVM VENIET CITO. Ultimę mundi ruentis calamitates, sub regno Antichristi, & judicio universali. Undè sequitur.

15. ET SEPTIMVS ANGELVS TVBA CECINIT. Annuntians jam adesse illud Væ tertium & ultimum: nam tria ultima mundi Væ, tubis trium ultimorum Angelorum, nempè, quinti, sexti, septimi, annuntiantur. ET FACTÆ SVNT VOCES MAGNÆ IN COELO. Voces Angelorum & animarum beatarum exultantium propter instantem mundi finem. DICENTES, FACTVM EST REGNVM HVIVS MVNDI. Regnum diaboli & impiorum, quo dominabantur, & vexabant pios in hoc mundo, brevi fiet sub tempore extremo hujus septimæ tubæ, DOMINI NOSTRI. Dei Patris. ET CHRISTI EIVS. Qui sanguine

suo

suo meruit, ut regnum illud ei conferretur. Propter quod etiam meritum dicitur illud regnum Deo patri suo tradere, quantum ad electos ex omni parte mundi salvandos: tunc enim erit *finis, cum ipse tradider.t Regnum Deo & Patri, & evacuaverit omnem principatum & potestatem,* 1. ad Cor. 15. v. 24.

Græci quidam Codd. *Facta sunt regna mundi Domini nostri &c.* id est, omnia regna mundi, adempta diabolo & ministris ejus, conversa sunt in unum regnum Domini N. &c.

ET REGNABIT IN SÆCULA SÆCULORUM. Regnum verò ejus erit æternum. Nam in electis suis, æternâ felicitate eos beando, in reprobis, suppliciis æternis flagellando, regnabit.

Multi recentiores propter hæc verba, *Factum est Regnum* &c. & similia Apocal. 10. v. 7. ubi dicitur, Cum septimus Angelus inceperit tubâ canere, consummabitur mysterium Dei, existimant, cantum septimi Angeli non poni hîc suo loco, sed ponendum esse infra Apoc. 19. ante versum 11. ubi putant collocandum esse Eliæ & Henoch ascensum in cœlum. Unde omnia, quæ cap. 12. & seqq. usque ad illum locum cap. 19. dicentur, spectare adhuc volunt ad tempus tubæ sexti Angeli. Sed quandoquidem S. Joannes tubas præcedentes suo loco & ordine posuerit, non oportet sine maxima & evidenti ratione ordinem septimæ tubæ perturbare.

Non est ergo sensus hujus v. 15. & versus 7. capitis 10. quòd immediatè post cantum septimæ tubæ regnum hujus mundi fiet Dei, & mysterium Dei statim consummabitur, Christusque ad judicium universale sit venturus; sed, quod tunc ultimum Væ, seu tempus ultimæ mundi calamitatis incipiet. Hoc autem tempus bella extrema Anti-Christi, & judicium universale complectitur. Undè etiam interpretes prædicti fatentur, bella contra Gog & Magog Apocal. 20. v. 7. antecessura esse judicium universale, & tamen sub tempore septimæ tubæ contineri. Undè mirum non est, aliquas etiam alias præcedentes calamitates sub eodem tempore comprehendi. Non enim solùm propter pœnas æternas damnatorum, quæ post judicium sequentur; sed etiam propter gravitatem & multitudinem quarundam ultimarum calamitatum, quæ præcedent Judicium, hoc ultimum septimæ tubæ Væ erit omnium acerbissimum.

Deniquè tria illa Væ, quæ Apocal. 5. v. ult. aquila volans habitantibus in terra proclamat, ad terrorem & pœnitentiam hominum adhuc habitantium in terra, principaliter destinantur: undè non tantùm primum & secundum Væ, sed etiam ultimum continet flagella

quædam, quibus tam pij quàm impij affligentur in terra, ante retributionem bonorum, & novissimum illud Væ damnatorum, quô pœnis æternis apud infernos plectentur.

16. ET VIGINTI QUATUOR SENIORES. Quos à tempore, quo ostium apertum fuit in cœlo, Apoc. 4. v. 4 S. Joannes semper in conspectu quasi habebat. QUI IN CONSPECTU DEI SEDENT. Circumvallantes thronum, Agnum, & quatuor animalia, circumvallati autem à multitudine Angelorum, ut ex figura totius consessus Apoc. 4. & 6. descripta patet. Mysticè autem Seniores, & omnes Sancti in conspectu Dei sedent, quia in omnibus, quæ faciunt & dicunt, semper Deum præsentem attendunt, ait Haymo. IN SEDIBUS SUIS. In potestate illa judiciaria, quâ mundum judicant cum Christo. CECIDERUNT IN FACIES SUAS. Omnia sua ad Deum referentes, ait iterum Haymo, quia sine ipso nihil possunt. Ritus autem ille cadendi in faciem suam inter adorandum, signum est profundissimæ humilitatis, quâ homo se, & omnia sua Deo submittit, & ei refert accepta.

17. GRATIAS AGIMUS TIBI DOMINE &c. Gratias agunt tam pro damnatione impiorum, quam pro sua glorificatione: utrumque enim cedit in gloriam Dei, quam in omnibus quærunt Sancti. QUI ES. In æternitate immutabilis, & proinde, QUI ERAS, quando mundus in principio condebatur. ET QUI VENTURUS ES. Brevì nempè ad universale & finale judicium. QUIA ACCEPISTI VIRTUTEM TUAM MAGNAM. Quia post paucum temporis omnipotentiâ tuâ uteris, & magnitudinem ejus ostendes, tam in flagellis impiorum, quàm in gloria Sanctorum.

Dicitur autem Deus accipere virtutem quam semper habet, quando eâ utitur, & ad operandum exurgit. Videtur enim quodammodo virtute carere, quando otiatur, nec eam facto ipso exercet.

ET REGNASTI. In electos & reprobos, seperando eos ab invicem, & duo regna tibi constituendo, quorum unum per subditorum tibi servientium perfectam obedientiam, alterum per rebellium castigationem gubernas & regis.

18. ET IRATÆ SUNT GENTES. Impij gentiles, & reprobi Judæi gentibus impietate similes in iram & indignationem exarserunt. ET ADVENIT IRA TUA. Quia jam advenit tempus iræ tuæ quâ impios à terrenis suis voluptatibus avulsos æternis flagellis tibi subdes. Copulativa, *Et*, sicut sæpè apud Hebræos, videtur hic accipi pro causali, *quia*; reddit enim rationem, quare iratæ sint gentes. ET TEMPUS MORTUORUM JUDICARI. Et venit tempus, ut mortui resurgant, & judi-

judicentur. ET REDDERE MERCEDEM SERVIS TUIS PROPHETIS. Quos occiderunt aut malè tractaverunt Judæi & impij: undè eorum glorificatio in iram, gemitum, & indignationem impiorum erumpet. ET SANCTIS. Qui sanctitate conspicui fuerunt in hoc mundo. ET TIMENTIBUS NOMEN TUUM. Et omnibus universim, qui timore filiali te timuerunt, & consequenter amaverunt, quia talis timor est amoris filius. PUSILLIS ET MAGNIS. Sive parvi, sive magni virtute fuerint: omnes enim in gradu suo mercedem recipient, quia in domo Dei Patris mansiones multæ sunt, Joan. 14. v. 2. ET EXTERMINANDI EOS. Et procijciendi in tenebras exteriores reprobos, QUI CORRUPERUNT TERRAM. Qui vias suas, sive conversationem & mores suos, ac aliorum corruperunt super terram. Ita enim Moyses phrasin istam explicat Genesis 6. v. 12.

19. ET APERTUM EST TEMPLUM DEI. Sanctum Sanctorum scilicet, quod erat sanctissima pars templi Salomonis Deo dedicati, in qua servabatur Arca Testamenti, in cujus propitiatorio inter alas Cherubin Deus sedebat, & responsa Judæis dabat. IN COELO. Licèt enim totum cœlum instar templi repræsentatum fuisset S. Joanni, ut patet Apoc. 7. v. 15. & ostium ejus apertum ei fuisset Apocal. 4. v. 1. nondum tamen secretissimum templi aditum ei reseratum fuerat, sed tantùm atrium Sacerdotum, ubi erat altare holocaustorum, & deinde Sanctum, ubi erat altare thymiamatis. ET VISA EST ARCA TESTAMENTI EIUS. Visione quadam sublimiori & secretiori visæ sunt à S. Joanne res magnæ, & velo fidei alijs absconditæ; sicuti arca Testamenti post velum Sancti Sanctorum latebat, & à nemine videbatur, nisi à Summo Sacerdote semel in anno quando locum illum templi secretissimum intrabat.

Non vidit tamen adhuc S. Joannes ea, quæ latebant in arca, sed hæc visio servatur Beatis, qui intima Divinitatis facie ad faciem vident. Per arcam hanc Testamenti plerique veterum interpretum intelligunt Christum; quia sicut manna inclusum erat arcæ in auro mundo, ita Divinitas Christi in Corpore sancto, ait Beda. Erat enim arca fabricata ex ligno sethim imputribili, & laminis aureis interiùs exteriusque obducta, cum operculo, sive propitiatorio ex auro purissimo. Quæ omnia optimè congruunt Humanitati Christi, quæ sapientiæ & charitatis aureo fulgore interiùs exteriusque refulget. Vocabatur autem arca Testamenti seu testimonij, quia in ea testamentum, sive tabulæ legis Mosaicæ inclusæ erant, quibus Deus voluntatem suam hominibus testabatur.

ET FACTA SVNT FVLGVRA. Hoc, & quæ sequuntur, significant Ecclesiæ mox futurum statum sub prædicatione Eliæ & Henoch, & Regno Antichristi, ac totius reliqui temporis, quod sub hac ultima tuba continetur. Fulgura autem sunt miracula, ut aiunt Beda & Richardus, quæ Elias & Henoch, cæterique regni Dei præcones patrabunt; instar enim fulgurum coruscabunt, & admirationem stuporemque videntibus incutient. ET VOCES. Euangelicæ prædicationis, quibus Judæi & alij ad fidem convertentur. ET TERRÆ MOTVS. Qui significant, homines in terra habitantes varijs bellorum Antichristi, Gog & Magog motibus concutiendos esse. ET GRANDO MAGNA. Quæ significat persecutores Ecclesiæ, qui feriunt quidem electos, sed ipso ictu, instar grandinis, confringuntur, & in partes dissiliunt.

CAPVT XII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostenditur sancto Ioanni mulier parturiens amicta sole, coronata stellis, calcans lunam, cujus partum draco parat devorare. Parit filium, qui raptus in cælum draconem hiantem eludit. Persequitur draco mulierem, quæ etiam fugiendo evadit in solitudinem. Revertitur draco, & reliquijs seminis ejus movet bellum.

Vers. 1.

ET SIGNVM MAGNVM APPARVIT IN COELO. Prodigiosa quædam, & rem magnam significans effigies apparuit mihi in aëre superiore, ubi etiam Sol, Luna, & Stellæ nobis versari videntur. Ex aëre enim, non ex ipso cœlo sidereo mulier illa v. 6. fugiet in solitudinem. MVLIER AMICTA SOLE. Signum verò istud erat, mulier induta non humanâ veste, sed amicta lumine solis tanquam vestimento.

Mulier illa sensu litterali, ex omnium ferè veterum interpretum sententiâ, est Ecclesia Christi, quæ lumine sui sponsi, qui sapientiæ & justitiæ sol est, in baptismate induitur. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ad Gal. 3. v. 27. Sicuti enim vestis corpus tegit, protegit, ornat; ita Christus per gratiæ suæ lumen tegit maculas & peccata præterita Ecclesiæ suæ, protegit eam a futuris, ornat virtutibus.

ET

Et luna sub pedibus eius. Gloriam temporalem,& omnia inferioris mundi mutabilia affectibus suis, tanquam pedibus, calcat ac infra se despicit. Talis enim est Ecclesia Christi secundùm præcipuam & selectam illam partem, quæ justos, quorum habitatio est in cœlis, comprehendit. Qui à multitudine & turba nascentium ac morientium rerum secreti, solius æternitatis amatores sunt, ut loquitur S. Augustinus Psal. 4.

Per lunam autem menstruis incrementis & decrementis mutabilem sæpè in scriptura significatur gloria & splendor rerum mutabilium hujus mundi: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*, Psal. 71. id est, inquit Beda, abundantiâ pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumet, cum *novissima inimica destruetur mors*, 1. ad Cor. 15. v. 26.

Et in capite eius. Quô principium nascentis Ecclesiæ, & nobilissima ejus pars significatur. Corona stellarum duodecim. Corona duodecim Apostolorum, qui tanquam lucidissimæ stellæ primæ magnitudinis in capite Ecclesiæ fulgent. Vocantur autem semper XII. Apostoli, licèt post accessum S. Pauli facti sint tredecim, quia tantùm duodecim à Christô in principiô fuerunt electi.

S. Bernardus serm. super hoc caput Apocal. licèt ex totâ serie visionis, dicat etiam hanc mulierem esse præsentem Ecclesiam in terris militantem: addit tamen, non inconvenienter intelligi B. V. Mariam; quod Aretæ, & quibusdam alijs Græcis etiam placet. Virgo enim amicta est sole, quia profundissimam divinæ Sapientiæ abyssum, ultra quàm credi potest, penetravit, & ei velut immersa ac inclusa fuit, ait S. Bern, Quia enim Solem Sapientiæ Christum visceribus continebat, qui tamen matre suâ major erat; ideò ultra eam se effudit, & circumfusus uterum vestivit, in quo continebatur. Luna autem, id est, stultitia, ait S. Bern. sub pedibus ejus est, eamque calcat: nam Luna stultam lunaticorum mutabilitatem aliquando significat, juxta illud, *Stultus ut Luna mutatur, homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol*, Eccli. 27. v. 12. Stellas autem 12. quibus corona Virginis ornatur, idem Bernar. 12. gratiæ ejus prærogativas interpretatur: ut quòd sine corruptione fœcunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera, &c. Sed videtur Virgini non satis convenire, quod sequitur:

2. Et in utero habens. Prolem utero gestans, sive prægnans. Græci enim mulierem prægnantem, in utero habentem, vocare solent. Clamabat parturiens. Præ dolore pariendi. Et cruciabatur ut pariat. Quia Ecclesia temporibus illis Antichristi cum magna difficul-

difficultate & molestiâ filios suos Christo pariet, pugnando & contendendo cum antichristo & ejus ministris, qui tam verbo, quàm armis & falsis miraculis, & omni conatu impedient, ne quis ad Baptismi regenerationem, aut Christi fidem adducatur. Undè Christus ad illa tempora respiciens, *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terrâ?* Lucæ 18, v. 8.

Hanc tamen etiam particulam B. V. Mariæ accommodat Aretas: licèt enim, more cæterarum fæminarum, uteri dolores non senserit; doluit tamen & cruciata est, quando sponsus ejus suspectam adulterij habere cœpit: deinde quando gravida, & cum periculo sui amabilissimi partus, ex Nazareth longo & difficili itinere in Bethleem ire compulsa fuit.

3. ET VISUM EST ALIUD SIGNUM IN CŒLO. In aëreo cœlo, juxta mulierem ipsam amictam Sole. ET ECCE DRACO MAGNUS. Diabolus, ut S. Ioannes interpretatur v. 9. *Magnus* est, quia *rex super universos filios superbiæ*, Iob. 41. v. ult. ET RUFUS. Ruber, quia sanguine interfectorum à se respersus, & ardenti irâ in omnes homines inflammatus. Vulnere enim, quod humano generi in primis parentibus inflixit, omnes corporaliter & spiritualiter interfecit, & alia vulnera quotidie, & sanguinem sanguini addit. HABENS CAPITA SEPTEM. Septem reges, qui in fine mundi adjungent se Antichristo & draconi, cujus instrumentum ad expugnandam Ecclesiam, erit Antichristus. Nam eo tempore Rom. Imperium divisum erit in X. Reges; ex quibus tres armis expugnabit Antichristus, Dan. 7. v. 24. reliqui VII. se ei ultrò subijcient, & associabunt, ut in illo cap. 7. Dan. post S. Irenæum docet S. Hieronymus, cujus Commentarium laudat S. Augustinus lib. 20. cap. 23. Civit. Dei. ET CORNUA DECEM. Regna X. quorum potentiâ, robore & armis draco per Antichristum Ecclesiam Christi oppugnabit. Nam quod in cornibus regna significentur, Zacharias & Daniel manifestant, ait Haymo, quorum uterque dicit se vidisse quatuor cornua, quæ sunt quatuor regna principalia. ET IN CAPITIBUS DIADEMATA SEPTEM. Totidem nempè, quot sunt capita. Nam 7. illi reges, qui jungent se draconi in Antichristo, retinebunt diademata & insignia regum, non autem tres alij, Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ reges, Dan. 11. v. 43. quorum cornua evellet & humiliabit Antichristus, Dan. 7. v. 8. & 24.

Istorum tamen etiam trium regna inter decem cornua draconis & Antichristi numerantur, quia trium interfectorum regnis & opibus utentur ad Ecclesiæ expugnationem: *Dominabitur* enim Antichristus *thesauro-*

ſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Aegypti, &c. Dan. 11. v. 43.

Quamvis autem hæc S. Joannis viſio quædam ſimilia habeat cum viſione Dan. 7. non tamen eadem eſt; nam in beſtia Danielis terribili habente dentes ferreos magnos, &c. Dan. 7. v. 7. nulla fit mentio 7. capitum aut diadematum, ſed tantum 10. cornuum; quæ Angelus Danieli interpretatur eſſe 10. reges, Dan. 7. v. 24. quos parvulum cornu undecimum, id eſt, Antichriſtus, ſibi ſubijciet, Dan. 7. v. 8. & 24.

Ex quadam tamen ſimilitudine & analogia ad prophetiam illam Danielis, videtur hæc viſio S. Joannis ad litteram explicanda, quandoquidem utraque de ijſdem extremis Antichriſti temporibus loquatur.

Falli quoque videntur quidam recentiores, dum inter 7. capita draconis imaginantur caput unum cæteris majus, quod propriè ſit Antichriſti, & in quo ſolo plantata ſunt illa cornua decem. Nullo modo enim hoc indicatur, nec ſatis concinnè fingi poteſt: nam 7. illa regum capita ultrò accedent poteſtati, & velut corpori Antichriſti, poſtquam tria cornua ex decem, id eſt, regna Ægypti, Africæ & Æthiopiæ expugnaverit. Unde omnia illa ſeptem ſunt aliorum regum capita. Deinde quandoquidem 10. cornua ſint 10. iſtorum regum regna, quorum robore & opibus utetur Antichriſtus, ſingula potiùs ſuo capiti infigenda ſunt præter illa tria cornua, quæ, ſublatis è medio eorum capitibus, ſibi adſcivit Antichriſtus, infigendo fortaſſe ea trium aliorum regum capitibus, qui Ægypto, Africæ, & Æthiopiæ proximi erunt, & quorum regnis tria illa regna acceſſerunt.

Quod ſi verum eſt, tria ex 7. capitibus bina cornua habent, ut ſic univerſim draco, ſeu Antichriſtus ſeptem tantùm capita, & tamen decem cornua geſtet.

In figura ergo draconis, ſeu hydræ illius ſepticipitis, repræſentatur potentia diaboli quam in inſtrumento ſuo Antichriſto habebit, poſtquàm totum Romanum, ſive totius mundi imperium in X. regna anteà diviſum ſibi ſubjecerit.

Undè imaginari oportet, quaſi corpus draconis ſit Antichriſtus, anima autèm quodammodo ejus ſit diabolus: nam Antichriſtus omnem diaboli virtutem ſuſcipiet, ut lib. 5. cap. 25. loquitur S. Irenæus. Diabolus enim ipſum quodammodo animabit, & movebit operando per eum mira & miracula, eodem fermè modo, quo olim ſerpente uſus

usus est, per quem primos parentes decepit. Undè sicut diabolus in Scriptura vocatur serpens, quia in serpentem intravit, & eo tanquam instrumento est usus; sic etiam vocari potest draco & Antichristus.

Multi autèm veteres interp. non reflectentes se ad visionem illam bestiæ Danielis, videntur sensum mysticum pro litterali accepisse dum 7 capita draconis, 7. vitia capitalia, quibus diabolus fideles & Ecclesiam oppugnat, interpretantur. Per cornua verò decem intelligunt potentiam, qua diabolus adversus X. Decalogi præcepta pugnat.

Inter veteres tamen Beda magis quàm alij litteráliter: Diabolus in 7. capitibus, inquit, omnes reges suos, & in X. cornibus omne regnum comprehendit. Secutus nempè S. Augustini dubitationem, qui lib. 20. cap. 23. Civit. Dei, ait, se vereri, ne Antichristus inopinatus adveniat, etiamsi præcisè non sint X. reges in orbe Romano. Quid si enim, inquit, denario numero universitas regum, sicut millenario, centenario, septenario plerumque universitas etiam significatur.

4. ET CAVDA EIVS. Extrema pars draconis, seu extremum tempus, quod datum est diabolo, ut per Antichristum noceat Ecclesiæ. TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARVM CŒLI. Notabilem partem fidelium Ecclesiæ doctrinâ & pietate illustrium, voluminibus caudæ implicitam detrahebat. *Tertiam partem*, non sumi hîc mathematicè & præcisè, facilè colligitur ex Apoc. 8. v. 8. 9. & seqq. ubi tertia pars, pro parte magna & notabili, licèt non sit præcise tertia, accipitur. Pars enim tertia alicujus totiùs, est pars ejus satis magna & notabilis. ET MISIT EAS IN TERRAM. E cælestis vitæ sublimitate in terrenarum rerum (ut sunt voluptates, divitiæ, honores) amorem dejecit: *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, & nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*, Matth. 24. v. 21.

Stellæ autem illæ, quæ in Ecclesia sic fulgebant & à dracone in terram dejectæ sunt, in numero electorum non fuerunt: unde satanæ extremitas, ait S. Gregorius, lib. 32. cap. 12. Mor. per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia inveniet, obtinendo, reprobos ostendet. Ubi Antichristum hominem à satana assumptum vocat, quia ipsum totum sic satanas possidebit, ut sit futurus velut anima draconis, & Antichristus velut corpus ejus, ut antea diximus.

In cauda tamen ista draconis, Richardus adulationem & fraudem potiùs, quàm vim significari credit: nam quos per apertam, inquit, sævitiam

ſævitiam, non valebit, per occultam fraudulentiam, quæ figuratur in cauda, ſeducet.

Hinc patet, ex hoc Apoc. loco non ſolidè probari à Scholaſticis, Draconem ſivè Luciferum ſuaſione ſua tertiam partem Angelorum in principio conditi orbis, caudâ ſuâ traxiſſe de cœlo; cum hîc non agatur de eo, quod in principio mundi fecit, ſed quod in fine per Anti-Chriſtum facturus eſt.

Poteſt tamen dici, quod Spiritus S. in S. Joanne loquens, etiam ſimul reſpexerit ad id, quod olim in principio draco per ſe in Angelis malis fecit, cui ſimile in fine mundi per Antichriſtum facturus eſt in hominibus. Undè hic ſenſus vocari poſſet vel ſpiritualis, vel litteralis ſecundarius, à S. Spiritu interìm etiam intentus, ut ait Suarez. lib. 7. c. 17. de Angel.

ET DRACO STETIT ANTE MVLIEREM. Inſidians partui exituro ex utero ejus. QVÆ ERAT PARITVRA. Nam jam parturiebat, ut v. 2. dixit, & hoc draco animadverterat. UT CVM PEPERISSET. Quandoquidem impedire non poterat, ne in utero Eccleſiæ ad Baptiſmum geſtaretur. FILIVM EIVS DEVORARET. Hac corticis litteralis imagine ſignificatur, quod diabolus per Antichriſtum non ſolum fideles in fide adultos, & fortes, cælique ſtellas, in terram caudâ ſuâ detrahere, & eas conculcare conabitur ut dicitur Dan. 8. v. 10. ſed etiam ex utero Eccleſiæ per baptiſmi regenerationem recenter natos devorare & perdere tentabit, ut omne Chriſti ſemen extinguat: Filius autem iſte Eccleſiæ non eſt homo aliquis ſingularis, ſed populus integer illorum fidelium, qui tunc temporis per Chriſti baptiſmum renaſcentur. Sicut enim Eccleſiam, quæ eſt multorum fidelium congregatio, ſub imagine fœminæ ſingularis repræſentavit; ita etiam partum ejus, etiamſi populus integer ſit, filium in ſingulari numero appellavit.

5. ET PEPERIT FILIVM. Nec imbecillem, & animo effœminatum, ſed MASCVLVM. Animi maſculi & virilis. Tales enim pleroſque filios in fine illo ſæculi pariet mater Eccleſia; ſicut enim ſæviſſima omnium, quotquot unquàm fuerunt, erit tunc temporis Antichriſti perſecutio; ita Deus fideles ſuos electos, majori quàm unquam, animi robore firmabit, ut ei reſiſtere, & minas ejus omnes ac tormenta contemnere valeant. QVI RECTVRVS ERAT OMNES GENTES. Qui cum Chriſto in judicio univerſali paulò poſt ſecuturo judicabit, ſeveriſſimè reget & conteret (ut habet Hebr. lectio Pſal. 2. unde hæc verba deſumpta ſunt) omnes reproborum nationes. Nam populus

 ille

ille masculus illustrium & invictorum Sanctorum, in quos incurret, & instar grandinis dissiliet potentia Antichristi, sedebunt cum Elia & Henoch, & Apost. in judicio super sedes XII. judicantes XII. tribus Israël & omnes mundi gentes. IN VIRGA FERREA. Duro imperio, ac veluti ferreo sceptro. Hoc propriè tribuitur Christo in Psal. 2. v. 9. sed etiam alijs Sanctis Christo in judicio assessuris, & ferream illam virgam oris ejus, sivè sententiam, *Ite maledicti in ignem æternum*, approbaturis tribuit S. Joannes supra Apoc. 2. v. 27. ET RAPTVS EST FILIVS EIVS. Ne draco eum devorare posset: quod fieret, si tentationi & persecutioni ejus succumberet. Ideoque *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*, Sap. 4. v. 11. Undè raptus ille fiet per mortem, sivè ab Antichristo, sivè ab alijs causis illatam.

Populus etiam ille electorum, vel aliqui ex eis cum corpore & anima rapientur, eruntque de numero illorum, de quibus Apostolus ait, *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Christo in aëra*, 1. ad Thess. 4. v. 16.

AD DEVM. In cœlum, ut Dei aspectu ibi fruatur. ET AD THRONVM EIVS. Ut sedeat circa thronum ejus, & regnet cum ipso: quomodo etiam supra Apoc. 3. v. 21. dicitur, *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*. Aliqui etiam ipsorum rapientur ad thronum Christi, ut cum ipso judice sedeant in nubibus super sedes XII. inter Apostolos, & Sanctorum præcipuos.

Si verò hunc locum Apoc. de Christo, non de populo electorum, qui erunt in fine sæculi, interpretemur, videtur, ut notat Jansen. in Conc. intelligendus esse non de prima nativitate Christi ex utero Virginis, sed de secunda nativitate resurrectionis, ad quam per magnos suos, & Ecclesiæ parturientis dolores pervenit. Paulò enim post hanc secundam Nativitatem quando ascendit in cœlum, raptus est ad Deum, & ad thronum ejus, ubi à dextris Patris sedet. Vox autem ista, *raptus*, non tam violentiam, quàm celeritatem significat.

6. ET MVLIER FVGIT IN SOLITVDINEM. Ecclesia in membris suis infirmioribus, ubi vidit aliquos ex masculis & robustis suis filijs per martyrium raptos ad Deum, exterrita fugit in deserta, & per sylvas, montes & speluncas dispersa est. *Fugit*, dictum est per anticipationem; nam posteà demùm fugiet, quando draco projectus fuerit in terram, & mulieri ad fugiendum dabuntur duæ alæ aquilæ magnæ, infra v. 14.

Sensu autem mystico anima Christiana in tentationibus fugit in solitu-

ſolitudinem, quando extra terrenorum deſideriorum tumultus, & mundi ſuperfluas curas, ait Haymo, in ſecretum mentis refugit, ubi Deum adjutorem invenit.

Ubi habebat locum paratum a Deo. Ubi providentia divina diſpoſuerat, & præparaverat ei locum, in quo ſe ſalvare poſſet. Ut ibi pascant eam. Ut Paſtores, qui plebem ſuam in iſta fuga comitabuntur, eam pane ſpirituali Verbi Dei paſcant, & etiam panis corporalis curam gerant, ne fame in ſolitudine pereat. Diebus mille ducentis sexaginta. Tribus fermè annis cum dimidio, quanto tempore Eliam & Henoch eſſe prophetaturos, dixit Apoc. 11. v. 3. Undè eo tempore, quo plebs Chriſtiana infirmior cum ſuis Paſtoribus in ſylvis & ſolitudinibus errabit, Elias & Henoch palam tam prædicationibus quam miraculis reſiſtent Antichriſto: quos etiam adjuvabunt maſculi illi Eccleſiæ filij, qui inter labores & martyria, paulatim nunc hic, nunc alter ad Deum rapientur, ut v. 5. dixit.

An autem fuga iſta Eccleſiæ ſolùm futura ſit in terra ſancta, & circa Jeroſolymam ubi reſidebit Antichriſtus, incertum eſt. Fortaſſe etiam alibi toto orbe Chriſtiano ſimilis fuga fiet; nam perſecutio Antichriſti per ipſum, aut ſaltem per miniſtros ejus, in omnibus mundi regnis, ubi Chriſtiani erunt, eo tempore fervebit.

Hoc quoque animadverſione dignum eſt, quòd Eccleſia illius ultimi temporis tot circiter diebus paſcetur in ſolitudine à ſuis Paſtoribus quot ipſe Chriſtus in carne prima Euangelij ſui ſemina per Judæam & Galilæam ſparſit. Cœpit enim ab anno ætat. 30. prædicare, & in anno 34. juxta veriorem computum, eſt crucifixus. Undè prædicatio Chriſti, regnum & prædicatio Antichriſti, prædicatio Eliæ & Henoch, & prædicatio Paſtorum ad plebem in ſolitudinibus fugitivam, ejuſdem ferè temporis erunt, id eſt, trium ferè annorum cum dimidio.

7. Et factum est prælium magnum. Inter duces & exercitus magnos, animis etiam & viribus magnis præliantes. In cœlo. Aëro, ubi antè v. 5. ſe draconem vidiſſe dicit.

Quidam interpretes recentiores cœlum iſtud aëreum, in quo verſantur dæmones, dicunt ſolam infimam & mediam, non ſupremam aëris regionem comprehendere. Verùm cùm quidam homines in altiſſimis montibus, etiam ſupra nubes, habitent aut tranſeant, ſpatium aëris dæmonibus à Deo circumconſcriptum etiam ad ſupremam aëris regionem ſe extendit; ire enim dæmones poſſunt, quocumque homines aſcendunt, quandoquidem ad exercitium hominum, extra inferni carcerem, uſque ad finem ſæculi vagari ſinantur.

MICHAEL. Qui præsidet nunc Ecclesiæ, sicut olim præsidebat Synagogæ. ET ANGELI EIVS. Milites ejus ex inferioribus Angelorum ordinibus, quos ex Dei ordinatione regnis, provincijs, civitatibus, & singulis hominibus præficit. Hi enim omnes sub ipso militant, in regenda Ecclesia, & procuranda salute electorum eum adjuvant. PRÆLIABANTVR CVM DRACONE. Lucifero ET DRACO PVGNABAT. Tanquam dux adversi exercitus. ET ANGELI EIVS. Mali Angeli milites ejus, quos in principio mundi, caudâ suâ de cœlo empyreo secum traxit.

Istâ visione imaginariâ ostensum fuit S. Ioanni hoc prælium in cœlo inferiori aëreo, ubi aëreæ *potestates, & mundi rectores tenebrarum harum* Ephes. 6. v. 12. habitant, ut in isto prælij simulacro intelligeret, acerrimum illud & extremum spirituale prælium, quod inter Angelos bonos & malos in fine mundi futurum est, cùm Angeli mali, tam per se, quàm per Antichristum, ejusque satellites, Dei electos oppugnabunt, quos Michaël & Angeli boni ex adverso defendent.

Videtur autem Spiritus S. etiam hîc alludere ad primum prælium, quod in principio mundi inter bonos & malos Angelos in cœlo empyreo commissum est; quasi dicat, quòd sicut olim in principio sæculi Michaël cum Angelis suis in supremo cælo pugnavit adversus draconem Luciferum, & Angelos ejus; ita in fine sæculi in cœlo aëreo infimo iterùm pugnaturus sit; atque ita, sicut olim à summo cœlo ad infimum aëreum detrusus est; ita in fine à cœlo infimo ad terram quodammodò detrudetur, donec tandem post judicium universale ad imam inferni sub terra abyssum, qua non datur ultra, præcipitabitur.

Undè sensus ille, quo hic locus de primo prælio à multis exponitur, potest dici litteralis secundarius, ut v. 4. in simili dictum est. Aliàs enim primariò ad litteram de prælio in fine sæculi loquitur, ut benè notat S. Gregorius hom. 34. in Euang.

Quidam autem Theologi existimant, non eundem fore Michaëlem, qui in principio mundi de cælo empyreo dejecit Luciferum, & qui in fine de cælo aëreo deijciet in terram. Ille enim prior videtur fuisse de supremo ordine Seraphinorum, posterior verò de Archangelis aut Principatibus infimæ hierarchiæ, quorum officium est, Ecclesiam militantem gubernare, & curam gerere electorum. Unde etiam verisimile est, milites ejus ad hoc postremum prælium congregatos, ex Angelis Provinciarum & hominum custodibus fuisse, qui ad eandem infimam hierarchiam pertinent.

Cùm

Cùm autem Angeli nominibus proprijs careant, ut nuper dicebamus, nomen, *Michaël*, est quasi appellativum, & multis potest convenire, omnibus scilicet, qui causam Dei adversus superbos defendunt: *Michaël* enim, hebraicè significat, *Quis ut Deus?*

8. ET NON VALVERVNT. Non prævaluerunt draco & milites ejus adversus Michaëlem & Angelos ejus. NEQVE LOCVS INVENTVS EST EORVM AMPLIVS IN COELO. Neque locum ampliùs habuerunt in cælo: quando enim quis loco suo deijcitur, non est ampliùs locus ejus. Sic etiam alibi loquitur Scriptura, *Quæres locum eius, & non invenies*, Psalm. 36. v. 10.

9. ET PROIECTVS EST DRACO ILLE MAGNVS. Olim in cœlo magnus naturæ & gratiæ dotibus, nunc etiam magnus, quia *Rex super universos filios superbiæ*, Iob. 41. v. ult. SERPENS ANTIQVVS. Qui antiquitus serpente instrumento usus, primos parentes, & totum genus humanum in peccatum & mortem impulit.

Hinc patet, quod directè ad litteram S. Ioannes non loquatur de primo prælio Michaëlis & draconis, quod accidit ante creationem hominis, & antequam diabolus esset serpens, multò minus esset serpens antiquus.

QVI VOCATVR, grecè videlicet, DIABOLVS. Calumniator: olim enim apud primos parentes impudenter calumniatus est Deum, quasi ex invidia prohibuisset ipsis fructum arboris scientiæ boni & mali, ne essent Deo similes. Deindè quotidie adhuc homines apud Deum accusat & calumniatur: non quod falsa de illis crimina Deo persuadere conetur (quem scit omnia scire) sed quando de peccatis, quæ dimissa esse nescit, justos tamen adhuc accusat. Vndè S. Augustinus serm. 8. de verb. D. Cùm tu ipse fueris accusator, & Dominus liberator, quid ille nisi calumniator? ET SATANAS. Adversarius: quia à principio sæculi usque ad finem non cessat adversari hominibus, & circumeundo quærere, quem devoret. *Satanas* autem vox est Syriaca à radice hebræa, *satan*, quod adversari, seu, contrariari, significat. QVI SEDVCIT. Qui per se, vel per emissarios suos abducit, & errare facit homines extra viam justitiæ: VNIVERSVM ORBEM. Omnes homines adultos, qui pedes habent ad ambulandum in via virtutis aut vitij. *Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus &c.* 1. Ioan. 1. v. 8. ET PROIECTVS EST IN TERRAM. Victus à Michaële è cœlo aëreo in terram dejectus fuisse, à S. Joanne visus est, ut significaretur, quod à Sanctis & electis Dei, quos in cœlo aëreo, tanquam terrâ sublimiores oppugnabat, sit abactus, & ad terrenos homines, quos possidet, reda-

redactus, ut serpens terram suam ibi comedat: Gen. 3. v. 14. & pascatur terrenis eorum affectibus. ET ANGELI EIVS CVM ILLO MISSI SVNT. In terram: totus enim exercitus dæmonum cum duce suo in terram prostratus est.

10. ET AVDIVI VOCEM MAGNAM In magnæ lætitiæ signum. IN COELO. Angelorum enim & beatarum animarum vox erat. DICENTEM. Lætum hunc pæana canentem, & victoriæ triumphum. Congratulantur enim Angeli saluti fratrum suorum, id est, civium futurorum, nunc autem peregrinorum, ait Beda. NVNC FACTA EST SALVS. Nunc per victoriam istam manifestata est salus, quâ Christus electos suos salute gratiæ in hac vita, & salute gloriæ in altera salvat. In Scriptura autem dicitur interdum aliquid fieri, quando in notitia hominum quodammodo generatur, & palam fit, licèt anteà reverà factum fuerit. ET VIRTVS. Potentia Gratiæ. ET REGNVM DEI NOSTRI. Quo regnat in suis electis, quos subjectos & obedientes sibi facit, quidquid diabolus eos ab ipso alienare conetur ET POTESTAS CHRISTI EIVS. Quam Christus erga electos suos ostendit, dum legem arduam, & fidem incomprehensibilium eis persuadet, quod omni miraculo est mirabilius, ait Carthus. QVIA PROIECTVS EST ACCVSATOR. Qui in peccata præcipitare, & de ijs accusabiles reddere non cessat, ut secum perdat in gehennam. FRATRVM NOSTRORVM. Electos adhuc in hac mortalitate peregrinantes vocant fratres suos, quia filij ejusdem patris adoptivi sunt, futuri hæredes Dei, & cohæredes ipsorum ac Christi. QVI ACCVSABAT ILLOS. Antequam victus esset. Diaboli autem accusatio nihil est aliud, quàm in malum præcipitatio, ait Haymo; tunc enim accusat, quando dignos accusatione reddit, non loquendo exteriùs, sed odiendo interiùs. Non enim tam stultus est, ut aliquod eorum peccatum Deo revelare conetur, quod ei occultum esse existimet. ANTE CONSPECTVM DEI NOSTRI. In cujus conspectum ilicò ascendunt iniquitates nostræ, simul atque committuntur. DIE AC NOCTE. Quo assiduitas significatur, quâ diabolus semper ad hominibus nocendum est intentus.

11. ET IPSI. Fratres nostri, quamvis adhuc in infirmitate carnis ambulantes. VICERVNT EVM. Non tamen viribus suis, sed PROPTER SANGVINEM AGNI. Per virtutem sanguinis Christi, quo occultè ungebantur, ut tanquam athletæ invicti, non succumberent adversario in hoc certamine. ET PROPTER VERBVM TESTIMONII SVI. Et per testificationem fidei, & nominis Christi, & quidem usque ad mortem & martyrium. Undè addit; ET NON DILEXERVNT

RVNT ANIMAS SVAS. Et oderunt vitam suam, eo scilicet sensu, quo Christus dicit: *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*, Lucæ 14. vers. 26. Odio enim quodammodo habetur vita, quando contemnitur, & morti exponitur pro amore Christi. Est autem hîc figura Miosis, *non diligere*, pro, *odisse*, quâ minus dicitur, quàm significatur. USQVE AD MORTEM. Etiam usque ad martyrium.

Inter causas victoriæ primò ponit sanguinem Agni, sivè gratiam Christi, quâ interiùs unguntur & roborantur martyres: deinde ponit confessionem & testimonium fidei externum, quod à gratiâ interiori manat, usque ad mortem & martyrium.

12. PROPTEREA LÆTAMINI COELI. Propter istam electorum victoriam, vos cœli novâ lætitiæ luce gaudium vestrum testemini. Sic alias sępè creaturę insensibiles per prosopopœiam ad lętitiam excitantantur, quando lætiæ causa tanta est, ut creaturarum rationalium lætitiam videatur excedere. Quali etiam prosopopœiâ Psal. 148. & in cantico trium puerorum Dan. 3. Sol & Luna, montes & colles &c. ad laudem & benedictionem Dei excitantur. ET QVI HABITATIS IN EIS. Vos quoque beatæ mentes Ecclesiæ triumphantis, quæ habitatis in cælestibus, aut Sancti Ecclesiæ militantis, quorum conversatio est in cœlis, lætamini. VÆ TERRÆ ET MARI. E contra verò luctus, & horror hominibus terrestribus, qui affectu terræ, insulis maris, & mari adhærent, in quibus negotiantur, & lucra ac voluptates suas venantur. QVIA DESCENDIT DIABOLVS AD VOS. Projectus in terram & mare à Michaële & Angelis ejus. HABENS IRAM MAGNAM. In vos paratam, ut quandoquidem ex cœlo, & animabus cœlestis conversationis sit ejectus, vos saltem terrenos homines ad plura & majora scelera, & profundiorem damnationem pertrahat. SCIENS QVOD MODICVM TEMPVS HABET. Ex Scripturis sanctis, & signis jam præteritis intelligens, parum temporis ad nocendum hominibus sibi restare usque ad finem sæculi, & judicium universale, ideòque brevitatem temporis magnitudine iræ, & acerbitate odij compensare festinat.

13. ET POSTQVAM VIDIT DRACO, QVOD PROIECTVS ESSET IN TERRAM. Non tamen animo fractus, nec iram adversus victores Ecclesiæ filios abijciens. PERSECVTVS EST MVLIEREM. Ecclesiam, & multitudinem fidelium ex bonis & malis permixtam: inexplicabili enim astu diabolus Ecclesiam impugnans, quantò plus deijcitur, tanto magis persequitur, ait Beda. Undè spiritus immundus ejectus ex homine,

homine, assumit alios septem nequiores se, & revertitur unde exivit, Lucæ 11. v. 24. Imò postquàm diabolus Christum ipsum frustrà tentasset, non abjecit animum iterùm revertendi, ut notat Carth. nam *consummatâ omni tentatione*, ait Lucas, *diabolus recessit ab illo usque ad tempus*, Lucæ 4. v. 13.

14. ET DATÆ SUNT MULIERI. A Spiritu S. *per cuius sapientiam plumescit accipiter*, &, *ad cuius præceptum elevatur aquila*, *& in arduis ponit nidum suum*, Job. 39. v. 26. & 27. ALÆ DUÆ AQUILÆ MAGNÆ. Ut celerius & sublimiùs persequentem se draconem effugeret.

Servatur autem decor & proportio, dum mulieri alæ magnæ aptantur, quæ si in avem mutaretur, magna profectò esset avis, & magnis alis indigeret.

Hac porrò imagine mulieris volantis significatur, quod Ecclesia Spiritus S. instinctu cum suis Pastoribus, ut v. 6. dictum est celeri fugâ, ad evadendam diaboli & Antichristi sævissimam omnium persecutionem, fugiet in solitudines & deserta. Undè duæ istæ alæ possunt dici esse amor & timor: amor Christianæ Religionis, & timor amittendi aliquos ex infirmioribus suis membris. His enim duabus de causis tanquam alis, Ecclesia ad illam fugam incitabitur.

Alij, duas alas, vitam activam & contemplativam, aut duo Testamenta interpretantur, aliaque dicunt, quæ non satis huic loco videntur convenire.

UT VOLARET IN DESERTUM. Ut per solitudines, sylvas, & montes dispersa, persecutionem effugeret, ut v. 6. diximus.

Mysticè autem Spiritus S. dat animabus sanctis duas alas, ut extra turbida hujus mundi, in solitudinem mentis avolent: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*, Psal. 54. v. 8. Quæ nunc alæ columbæ, propter donum Spiritus S. nunc alæ aquilæ, propter excelsum volatum, dicuntur, inquit Beda, quas sibi dari, ut extra regni & sæculi curas evolaret, optans Rex David; *Quis dabit mihi pennas*, inquit, *sicut columbæ, & volabo, & requiescam*, Psal. eod. v. 7.

Pennæ verò aquilæ sunt, quibus ad præceptum Dei elevatur aquila Job. 39. v. 27. dum missionibus divinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita, ait ibi S. Gregorius. Quod speciale specimen & signum electorum esse solet, inquit, dum cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse vident, atque omne, quod in mundo enimet, amore æternitatis calcant: & huc refert illud Isa. 58. v. ult. *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ*. Altitudines enim terræ, sunt divitiæ, honores, & dignitates, quæ quisquis per ima desideria

deria incedit, alta esse æstimat, ait S. Gregorius; sed si semel in cælestibus cor figitur, mox, quàm abjecta sunt cernitur.

IN LOCVM SVVM. Quem habebat paratum à Deo, ut v.6. diximus. UBI ALITVM. Spiritualiter & corporaliter à suis Pastoribus, ut eod v. diximus. PER TEMPVS, ET TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS. Per annum unum & annos duos cum dimidio: ita enim interpretatur S. Hieronymus Dan. 7. v. 25. & patet supra Apoc. 12. v.6. ubi S. Joannes resolvit totum istud tempus in dies 1260. qui tres circiter annos cum dimidio conficiunt: & licèt græcè, *tempora*, plurali num. non duali S. Joannes hîc expresserit; in Hebræo tamen sive Chaldæo apud Danielem num. duali vox illa exprimitur, ut S. Hieronymus, & post eum S. Augustinus lib. 20. cap. 23. Civ. fatentur, ut per eam duo tempora, sive duo anni notentur.

S. Ioannes tamen in num. plurali hîc exprimit, sed Græci sæpè num. plurali pro duali utuntur, quia vetustissimi inter Græcos tantùm duos numeros, singularem & pluralem habebant, & posteà, ex imitatione Hebræorum, dualem addiderunt, ut Diomedes Grammaticus testatur; licet veterem morem utendi plurali pro duali, nonnumquam retineant. Quod Latini etiam generaliter servant, quibus numerum dualem in linguam suam recipere non placuit.

A FACIE SERPENTIS. Longè remota ab aspectu draconis, sive Antichristi, in quo serpens diabolus, tanquam in organo suo principali habitat.

15. ET MISIT SERPENS EX ORE SVO. Per imperium oris sui. Serpentem vocat, quem draconem ante appellavit, quia droco est species serpentis, & deinde quia diabolus Antichristi inhabitator, est serpens ille antiquus, ut v. 9. dixit. POST MVLIEREM. Fugientem & avolantem in desertum. AQVAM TANQVAM FLVMEN. Celeres instar rapidi fluminis aut torrentis militum persequentium turmas: flumina enim, torrentes, & fluctus aquarum sæpè in Scriptura vim persecutionum & inundantium malorum significant: *Ite ad gentem conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius*, Isa. 18. v. 2. *Torrentem pertransivit anima nostra* &c, Psal. 123. *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, Psal. 87. UT EAM FACERET TRAHI A FLVMINE. Ut Ecclesiæ fugientis multitudinem militari illa manu ex fuga retraheret, & malis ac morte afficeret.

Hæc autem extremi temporis historia sub imagine serpentis aut draconis magni ex ore suo vomentis flumen aptè repræsentata est S. Ioanni, quia sunt quidam marini dracones & balenæ quæ ore aut narium fistulis integra quasi flumina exspuunt. Talis est draco ille, de

quo Ps. 103. *Draco iste* (Hebr. *Leviathan*) *quem formasti ad illudendum ei:* hic enim draco marinus est tam stupendæ magnitudinis, ut montem totum, & quandoque integram insulam adæquet. Hinc Isaias apposité ad nostrum Apoc. locum, vocat Leviathan, *serpentem tortuosum*, Isaiæ 27. v. 10. in qua serpentis tortuosi imagine, diabolus, uti hoc loco, figuratur.

16. ET ADIVVIT TERRA MVLIEREM. Quod nisi fecisset, flumen illud fugientem facilè assequi potuisset, quia Ecclesia cum parvulis & senioribus suis fugiens, equitatum Antichristi persequentem effugere non potuisset. Nam licet celeriter, quantum fieri poterat, & aquilæ alis in desertum volaret, equi tamen militum Antichristi velociores erunt aquilis, ut de Chaldæorum equis loquitur Ieremias cap. 4. v. 13. ET APERVIT TERRA OS SVVM. Hiatum grandem sub pedibus persequentium, Angelo aliquo ad Dei imperium terram findente & aperiente. ET ABSORBVIT FLVMEN. Equites & milites Antichristi hiatu suo absorbuit, ut olim absorpti sunt Dathan & Abiron, Num. 16. Quo miraculo in rebus tam anxijs valde confirmabuntur fideles, videntes Deum tantâ evidentiâ pro se pugnare.

Multi varios alios sensus hîc sibi fingunt, sed iste videtur esse maximè litteralis.

17. ET IRATVS EST DRACO IN MVLIEREM. Ubi eam effugisse, & exercitum suum terræ hiatu absorptum intellexit: timens tamen alios submittere, ne simile quid etiam ipsis accideret, ABIIT FACERE PRÆLIVM. Ut vi & tormentis fidem & constantiam eorum expugnaret. CVM RELIQVIS DE SEMINE EIVS. Cum reliquis Ecclesiæ filijs, qui fugere noluerant, sed ducibus Eliâ & Henoch in media persecutionis tempestate, contra ministros Antichristi, prædicatione & miraculis pugnantes remanserant. QVI CVSTODIVNT MANDATA DEI. Qui per excellentiam sunt intrepidi custodes mandatorum Dei, jubentis pro fide & justitia agonizare usque ad mortem. ET HABENT TESTIMONIVM IESV CHRISTI. Qui opere externo testantur se esse milites Christi, & veluti insignia militiæ ejus gestare, quæ sunt stigmata, vulnera, mortes, inter quas nomen & fidem ejus tam impavidè defendunt.

18. ET STETIT draco SVPER ARENAM MARIS. In littore maris arenoso, exspectans bestiam è mari ascensuram cap. seq. v. 1. ut ei virtutem & potestatem suam largiatur, ibid. v. 2.

Multi Græci legunt: *Et steti super arenam maris*; quo modo etiam vertit Erasmus: ut S. Ioannes dicat se visione imaginariâ constitutum fuisse

fuisse in littore maris, ut videret è mari bestiam ascendentem, quæ proximè sequetur. Unde Aretas, Erasmus & alij ab hoc v. ult. inchoant caput sequens.

Mysticè autem diabolus stat super arenam maris, quando in cordibus bonorum operum sterilibus, fluxis, & inconstantibus (qualis est arena maris) habitat, & libenter requiescit. Et quia loco frugiferarum arborum arena littoralis calamos arundinum & juncorum frequenter gignit; hinc apud Jobum draco sub umbra in secreto calami, & in locis humentibus dormire dicitur, Iob. 40. v. 16. Per calamos autem sæculares homines designantur, ait S. Greg. qui more calami intùs sunt per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri. Per loca verò humentia, lubricitas & humor carnis significatur. Undè duo vitia tanguntur, quæ humano generi, inquit S.Greg. immaniter dominantur, unum spiritus, alterum carnis: elatio spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit.

CAPVT XIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

S. Ioannes videt bestiam monstrosissimam ascendentem de mari, cui draco dat virtutem suam. Caput unum bestiæ quasi occisum sanatur. Bestia cum Sanctis bellum facit, & eam adorant omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ Agni. Hæc bestia ignem de cælo descendere, & signa magna facit. Numerus autem nominis bestiæ prioris & principalis est sexcenti sexaginta sex.

Vers. 1.

ET VIDI DE MARI BESTIAM. Vox græca, feram bestiam, significat. ASCENDENTEM. Emergentem ex mari in littus juxta draconem, qui super arenam littoris stabat.

Sicut res eadem varijs hieroglyphicis & figuris repræsentari potest; ita Antichristus, qui paulò ante figuratus fuit in corpore draconis, capitibus 7. & cornibus 10. armato, quod à diabolo illud inhabitante, tanquam instrumentum, regebatur: in alio jam monstro marino depingitur, quod in aliquibus cum dracone consentit, in alijs dissimile est.

Per hunc verò ascensum è mari, quidam suspicantur significari,

quòd Antichristus ingenti ex insulis maris & terris remotis collecto exercitu, classe adventurus sit navali, ut regiones mediterraneas inundet & obruat.

Habentem capita septem. Septem reges sibi adhærentes, qui ultrò se ipsi subdiderunt, ut Apoc. 12. v. 3. dictum est. Simili modo per quatuor capita Pardi, repræsentati sunt quatuor reges, Antipater rex Macedoniæ, Antigonus rex Asiæ, Seleucus rex Syriæ, Ptolomæus rex Ægypti, in quos regnum Alexandri Magni divisum est, Dan. 7. v. 6. Et cornua decem. Regna decem, quia trium etiam regum, quos interfecit, regna, præter septem, quæ ultrò se ei subijcient, imperio suo adjunget Antichristus, ut Apoc. 12. v. 3. narravimus. Et super cornua eius decem diademata. Quæ sunt insignia decem regnorum, quorum se regem faciet.

Draco tamen Apoc. 12. v. 3. habet tantùm septem diademata in septem capitibus, non in cornibus decem; ad significandum, quod solùm septem reges cum diadematibus suis accessuri sint draconi in Antichristo: ipse verò Antichristus regijs suis insignijs posteà eos exuet, & decem cornuum, id est, regnorum diademata sibi imponet.

Et super capita eius. Quæ sunt 7. capita regum, qui cum eo coalescent, tanquam quidam exercituum ejus duces. Nomina blasphemiæ. Adeò illi 7. reges in Deum & Sanctos ejus blasphemi, & similes Antichristo erunt, ut loco 7. diadematum sibi ab Antichristo ademptorum, gestare in capitibus suis videantur inscripta nomina horrendarum blasphemiarum, quibus Christi & Sanctorum inimicitiam testentur, & de ea glorientur.

2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, Pectore scilicet & corpore reliquo, exceptis pedibus, & oris rictu, ut mox dicet. Est autem pardus maculosum, ferocissimum, & velocissimum animal, cujus fœmina, Panthæra, id est, tota effera vocatur. Undè per pardum repræsentatus est Alexander Magnus Dan. 7. v. 6. qui incredibili velocitate 6. annorum spatio Syriam, Palæstinam, Ægyptum, & vniversam Asiam usque ad Indum sibi subjecit, immensos terrarum tractus victorijs potiùs, quàm bellis percurrens. Similis autem in Antichristo, & major bellandi & subjugandi celeritas, & ferocia: maculosus etiam erit instar pardi, hoc est, varius & versipellis, in omnes formas se transformans, ut homines decipere, & ad suam religionem perducere possit. Deindè [varius propter gentes ex toto orbe varias & permixtas,] quas secum in exercitibus suis trahet. Et

pedes

Et pedes eivs sicvt pedes vrsi. Fortissimos pedes, & validissima brachia ursi habent, quibus adversus tauros & apros pugnant, ut Arist. lib. 8. hist. animal. cap. 5. narrat: undè robur & potentia Antichristi significatur. Incedit etiam ursus duobus pedibus more humano, & hominem se simulat, cùm sit bestia, & fera pessima. Sic feritatem suam humanis moribus interdum teget Antichristus, ut simplices decipiat. Et os eivs, sicvt os leonis. Horribilis autem est rictus oris leonini, & dentes oris, quibus omnia dilaniat. Undè quia caput leoni validissimum, urso debilissimum est, pedes vero robustissimi; ideò ex duabus istis feris bestijs, quod fortissimum est, eligitur, & datur Antichristo, ut in corpore pardi maculoso, diversitas gentium, quibus constabit exercitus ejus: in pedibus verò ursinis, & ore ac capite leonino robur ejusdem exercitus significetur. Hinc patet, in Antichristi regno & potentiâ futurum, quidquid olim in regno Chaldæorum, Persarum, & Græcorum præcipuum fuit; nam regnum Chaldæorum leænæ, Persarum urso, Græcorum pardo comparatur Dan. 7. v. 4. 5. & 6. Et dedit illi draco. Dei providentiâ majorem tunc diabolo licentiam, quam unquam anteà permittente. Virtvtem svam. Totam potentiam suam, quantum homini mortali à diabolo communicari potest, ad expugnandam armis, tormentis, dolis, præstigijs, & falsis miraculis, totam, si fieri posset, Christi religionem: nam adventus Antichristi erit *secundùm operationem satanæ in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus*, 2. ad Thes. 2. v. 9. Et potestatem magnam. Vox græca significat potestatem, & auctoritatem jurisdictionis, quâ Antichristus latissimè imperabit, & dominabitur in toto orbe.

3. Et vidi vnvm de capitibvs svis. Aliquem de 7. regibus, qui ei militant, & quorum regna suo imperio incorporavit Antichristus. Qvasi occisvm in mortem. Vulnere mortifero sauciatum, & in prælio aliquo fortasse inter cadavera pro mortuo relictum. Vndè Antichristus, ut ostendat se Messiam, nec Christo inferiorem, diaboli instinctu arripit occasionem patrandi miraculum, & regem illum velut excitandi à mortuis. Nam verè mortuum excitare, solius est divinæ potestatis. Et plaga mortis eivs cvrata est. Vulnus lethale virtute diabolicâ sanatum est per Antichristum. Sicut enim Medici vim vulneris lethalis aliquando impediunt, ne usq; ad mortem perveniat; ita etiam hoc multò magis potest diabolus. Quâ etiam virtute Imp. Vespasianus Alexandriæ cæcum illito oculorum orbibus oris excremento illuminavit, ut lib. 4. histor. narrat

Tacitus. Quod consilio & ope Apollonij Thianæi principis Magorum, qui tunc Vespasiano aderat, factum fuisse existimat Baronius.

Beda, Haymo, Richar. & alij non pauci putant, Antichristum ipsum simulaturum, se occisum & mortuum esse, & tertiâ die resurrecturum, ut se in hoc etiam Christo Domino æqualem faciat. Verum S. Ioannes non dicit se vidisse bestiam quasi occisam, sed vidisse unum de capitibus ejus.

Videtur etiam falsum, quod quidam recentiores aiunt, illud caput fuisse caput Antichristi, tanquam principale, & cæteris capitibus majus, sex verò reliqua esse capita regum, qui se illi subdiderunt. Nam non tantùm sex, sed septem erunt reges, qui ultrò se & sua regna illi subijcient, ut Apoc. 12. v. 3. diximus.

Et admirata est. Tam divinum, ut putabant, curationis & resurrectionis miraculum. Universa terra post bestiam. Omnes homines terreni & reprobi, qui sequebantur bestiam.

4. Et adoraverunt draconem, Diabolum, tanquam Deum. Qui dedit potestatem bestiæ. Divinam illam, ut credebant, potestatem sanandi & suscitandi caput occisum: ex ista enim potestate falsò colligebant, draconem esse Deum. Et adoraverunt bestiam. Et etiam Antichristum, tanquam alterum numen, adoraverunt, propter potestatem illam à dracone acceptam. Ipse etiam Antichristus vocabit se filium Dei, & in templo Dei sedebit, ostendens se, tanquam sit Deus, 2. ad Thess. 2. v. 4. Dicentes, quis similis bestiæ. Quis potestate patrandi mirabilia assimilari potest duci & Messiæ nostro? Licèt enim S. Joannes, *bestiam*, appellet; ipsi tamen non bestiam, sed Messiam suum, aut proprio suo nomine eum vocabunt. Et quis poterit pugnare cum ea. Pugnando ei resistere; cum etiam occisos suos milites possit ad vitam revocare, ut iterum pugnent.

5. Et datum est ei os loquens magna. Concessa est Antichristo potestas loquendi, & jactandi de se magna & ingentia: de potentia sua bellica, de virtute miraculorum, de æqualitate, imò excellentiâ supra Deum, quem Christiani colunt: extollet se enim supra omne quod dicitur Deus aut colitur 2. Thes. 2. v. 4.

Hinc patet, quàm nugatoriè sectarij nostri temporis contendant, Rom. Pontificem esse Antichristum de quo S. Joannes & S. Paulus loquitur: cum Pontifex non jactet & efferat se supra Deum, sed servum ejus, imo servum servorum ejus se esse fateatur.

Et

Et blasphemias. In Deum, Christum & Sanctos ejus. Quod iterum in Rom. Pontificem nullâ ratione quadrat, qui Deum & Sanctos ejus honorat, non blasphemat. Et data est ei potestas facere. Faciendi & patrandi quidlibet, more supremorum & malorum principium, qui pro voluntate & libidine sua omnia, nemine resistente, in subditos suos perpetrant. Menses quadraginta duos. Tres annos cum dimidio, sive, per tempus & tempora & dimidium temporis, sicut expressit Dan. 7. v. 25.

Sub his autem tribus annis cum dimidio regni Antichristi non comprehenditur tempus bellorum ejus, quo orbem terrarum sibi subijciet, sed solùm tempus regni pacifici, quo prædicatione, miraculis falsis & tormentis, tam per se, quàm per ministros suos, fidem Christi conabitur extirpare, ut post Berengandum rectè notat Carthusianus.

6. Et apervit os svvm. Ex destinato, & purâ nequitiâ, & intentione blasphemandi. In blasphemias ad Devm. Contra Deum. Blasphemare nomen eivs. Blasphemando auctoritatem Dei, quem infra se deprimere conabitur. Et tabernacvlvm eivs. Et blasphemando Ecclesiam ejus, quæ in terra adhuc militat. Per tabernaculum enim illud portatile, quod 40. annis cum filijs Israël per deserta Arabiæ ambulavit, figurata est Ecclesia electorum, quæ ambulat in terris. Undè sicut illud posteà plantatum est in terra promissionis, & denique conversum in templum Salomonis: ita tabernaculum Ecclesiæ ambulantis figetur, & requiescet in cœlis. Undè S. Joannes vidit posteà tabernaculum Dei cum hominibus in cœlo, Apoc. 21. 3.

Per, *tabernaculum*, tamen hoc loco Christi carnem, & Humanitatem intelligi putat Haymo, quam Antichristus blasphemabit, negans Deum in ea carne habitasse, nec divinâ, sed diabolicâ virtute miracula olim patrasse: se autem verum Christum, & Deum ab omnibus adorandum esse.

Et eos, qvi in cœlo habitant. Blasphemabit quoque beatos, qui in cœlo sunt, ut Apostolos, & Christi discipulos, dicens eos Pseudo-Apostolos Antichristi fuisse, & ante se nullum Christianum, sed omnes Antichristos extitisse, ait Haymo.

7. Et est datvm illi Providentia divina dicitur dare malis hominibus potestatem, quando eam relaxat, & in effectum exire permittit. Bellvm facere cvm sanctis. Persequendo & excruciando. Et vincere eos. Occidendo, & subijciendo sibi corpus, non-

non animas eorum: unde *vincere*, exposuit per, *occidere*, S. Ioannes supra Apoc. 11. v. 7. ET DATA EST ILLI POTESTAS IN OMNEM TRIBVM. Familiam & cognationem. ET POPVLVM. Quod latiùs patet, quàm tribus. ET LINGVAM. Quæ adhuc latiùs patêre solet, quàm populus. ET GENTEM. Et denique in omnem mundi nationem: erit enim Antichristus Rex unicus, & Monarcha totius orbis.

8. ET ADORAVERVNT EAM Bestiam tanquam Regem, Christum, & Deum suum. OMNES QVI INHABITANT TERRAM. Omnes, qui non solùm corpore, sed etiam animo in terra habitant, & rebus terrenis inhærent. Mali enim homines per dilectionem inhabitant terram & mundum, & ideò dilectores mundi vocantur mundus, ait S. Augustinus tract. 4. in Epist. Joan. Vel certè, ex omnibus populis, qui inhabitant terram, aliqui, & major pars adoraverunt bestiam: pauci enim erunt, qui non adorabunt, sicum numero reproborum comparentur. QVORVM NON SVNT SCRIPTA NOMINA. Per decretum æternæ prædestinationis. IN LIBRO VITÆ AGNI. In libro Christi, in quo tantum illi scribuntur, qui ad vitam æternam sunt prædestinati. Liber autem iste est Agni, ratione Divinitatis, inquit Lyranus. QVI OCCISVS EST. Qui tanquam Agnus Paschalis in Paschate occisus est à Judæis suis, non eum manducantibus, sed crucifigentibus.

Librum vitæ contraponit occisioni Agni, ut vitam electorum ex morte & Sanguine Agni manasse insinuet.

AB ORIGINE MVNDI. Quorum nomina, inquam, non sunt scripta ab origine mundi, sicut scripta sunt nomina electorum. Videtur enim hîc esse hyperbaton, seu transpositio verborum quæ rectò ordine sic sunt ordinanda: *Quorum non sunt scripta nomina ab origine mundi in libro vitæ Agni, qui occisus est*; quomodo Beda, Aretas, Haymo, Rupertus, & alij ordinant. Nam ipse S. Joannes infra Apoc. 17. v. 8. eadem verba sic ordinat, sine ullo hyperbato.

Dicitur autem aliquid factum ab origine, vel à constitutione mundi (Græcè ubique *à fundatione*) quod ab omni retrò tempore fuit, imò jam erat, quando jacta sunt prima fundamenta mundi: undè idem valet, ac, *ab æterno*. Quod ut expressiùs significetur, dicitur alibi, *ante constitutionem mundi*, ut Joan. 17. v. 24. ad Ephes. 1. v. 4.

Alij tamen, servato ordine verborum, dicunt Agnum occisum ab origine mundi, quia virtus sanguinis ejus retrò quasi respersa est, usque ad originem mundi, quando primi parentes merito Sanguinis Agni, à suo peccato mundati sunt. *Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* Act. 4. v. 12. Aut sicut S. Thomas

Thomas 3. p. q. 83. art. 1. Agnus occisus est ab origine mundi in figuris & sacrificijs legis naturæ ac V. Testamenti, ut in sacrificio Abelis, & homicidio quo occisus est à fratre suo, &c.

9. SI QVIS HABET AVREM. Cordis, ad intelligendum occulta. AVDIAT. Attendat ad ea, quæ jam dicam, & seipsum consoletur.

10. QVI IN CAPTIVITATEM DVXERIT. Antichristus, & exercitus ejus, qui jam fideles tam atrociter persequitur, & captivos in mortem abducit. IN CAPTIVITATEM VADET. Ipsemet brevì à Christo capietur, & suorum scelerum pœnas dabit. QVI IN GLADIO OCCIDERIT. Veluti Antichristus Eliam & Henoch, & alios innumeros sanctos gladio, & omni genere mortis occidet. *In gladio*, more Hæbreorum dicit, qui præpositionem ponunt ante ablativum instrumenti. OPORTET EVM GLADIO OCCIDI. Ex Dei decreto oportet, ut gladio illo ancipiti, qui exit de ore Christi, Apoc. 1. v. 16. id est, sententiâ mortis corporalis & æternæ brevì occidatur. Non enim gladio materiali occidetur Antichristus, sed *Dominus Iesus eum interficiet spiritu oris sui* 2. ad Thess. 2. v. 8. Ad verbum enim Christi terra dehiscet, & bestiam cum suo pseudopropheta deglutiet, ut vivi in stagnum ignis, seu ad inferos mittantur, Apoc. 19. v. 20. HIC EST PATIENTIA. Hoc tempore exercenda est tantisper patientia. Adverbium, *hic*, videtur potiùs ad tempus, quàm ad locum spectare, nam græcum adverbium, ὧδε, solet interdum pro, *nunc*, usurpari. ET FIDES SANCTORVM. Hoc etiam tempore fides Sanctorum constans manere debet, quâ credant instare malorum suorum finem, & appropinquare judicium, in quo sancti præmia æterna, reprobi æternas pœnas recipient; ut hac spe tribulationes præsentis vitæ restantes fortiùs & animosius tolerent.

11. ET VIDI ALIAM BESTIAM. Insignem pseudo prophetam prioris bestiæ seu Antichristi armigerum, ut S. Irenæus lib. 5. c. 28. eum appellat. ASCENDENTEM DE TERRA. Surgentem, & instar fungi subitò nascentem è terra. Quo obscuritas natalium ejus fortasse indicatur: nam homines obscuri & ignobiles, solent terræ filij appellari. Deindè bestiæ minores & minus monstrosæ è terra, quàm è mari nascuntur; ideóque hæc bestia è terra, prior verò major & monstrosior dicitur è mari supra v. 1. non è terra, ascendisse. Vel denique ex provinciâ aliquâ mediterraneâ, instinctu dæmonis, ad Antichristum veniet ille Pseudo-propheta, non classe navali ad terram sanctam appellet, sicut Antichristus.

Veluti autem diabolus olim magos Ægypti, ad patranda miracula, & portenta, Moysi & Aaroni opposuit: ita in fine sæculi hunc pseudoprophetam, & magorum principem opponet Eliæ & Henoch, ut vera eorum miracula falsis miraculis eludat.

Et habebat cornua duo. Per quæ potestas ejus significatur. Similia Agni. Cornibus Agni similia. Nam Agni grandjusculi parva quædam cornua interdùm habent, quibus inter se ludunt, blandeque coniscant, ut loquitur Lucretius. Sic bestia ista tota blanda, clemens, & innocens, ut agnus, esse videbitur. Nec potestate armata, & sævo imperio, sicut bestia prior, homines sibi subijciet, sed simulatione sanctitatis, & operationis miraculorum eorum animos alliciet, & ad Antichristi religionem pertrahet. Undè de hac bestia prædicit Dominus, inquit Beda, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* &c. Matth. 7. v. 15. Undè sequitur, Et loquebatur, sicut draco. Licèt cornibus & vestimento similis esset Agno, loquebatur tamen, & respirabat plena veneno pestifero, sicuti dracones afflare homines solent. Aut certè, loquebatur sicut draco, & serpens ille antiquus, qui matrem nostram Euam alloquendo, halitu pestilenti eam, & totam posteritatem infecit.

12. Et potestatem prioris bestiæ. Quæ ascendit de mari, sivè Antichristi. Omnem faciebat. Omnia miracula eadem, quæ Antichristus, potestate à dracone sibi datâ, facere solitus erat, etiam hæc secunda bestia faciebat. In conspectu eius. In præsentia Antichristi. Ostendet enim illum digito hominibus, ut olim Joannes Bap. Christum, & dicet se ab eo potestatem miraculorum accepisse, & se illa patrare in testimonium veritatis, quòd hic sit verè Christus. Et fecit terram. S. Joannes mox explicat, quid, *terra*, significet. Et habitantes in ea. Hoc est, homines terrenos & reprobos, qui corpore & animo habitant in terra. Particula, *&*, non copulativè, sed exegeticè, seu explanativè accipitur. Adorare bestian primam. Antichristum. Prostrati enim corpore & animâ, illum adorabunt, & in ipso damnato homine diabolum habitantem, inquit Haymo. Cuius curata est plaga mortis. Cujus vulnus lethale in uno ejus capite sanatum fuisse, suprà v. 3. narravimus. Addit hanc particulam S. Joannes, ne quis per primam bestiam intelligat draconem, sed bestiam quæ ascendit de mari, suprà v. 1.

Quidam hinc colligunt, caput illud *quasi occisum in mortem*, fuisse principale Antichristi caput, & proinde non unum ex 7. regibus ab Antichristo fuisse sanatum, sed Antichristum excitasse seipsum velut à mortuis: sed hoc v. 3. rejecimus.

Dicit

Dicit ergo hîc S. Ioannes, bestiæ primæ, sive Antichristi, plagam mortis curatam, quia caput illius regis repræsentatum sancto Joanni fuit, tanquam infixum corpori bestiæ, adeò ut plaga ejus ad bestiam seu Antichristum pertinere dici potuerit.

13. ET FECIT SIGNA MAGNA. Miracula magna, secundùm apparentiam externam, & hominum opinionem. UT ETIAM IGNEM FACERET DE CŒLO DESCENDERE IN TERRAM. Quod pro maximo, & planè divino miraculo homines habere solent; quod enim de cœlo, quod est Dei thronus, venit, à Deo venire certò putant. Unde Pharisæi quærunt à Domino signum de cælo, tentantes eum, Marci 8. v. 11. Sic olim ignem de cælo evocavit Elias, 4. Reg. 1. v. 10. & extremo hoc mundi tempore idem Elias, ad veræ fidei confirmationem, simile quid facturus est, ut Apo. 11. v. 5. dictum. Undè pseudopropheta Antichristi volet illum imitari, sicut magi Egypti miracula Moysis imitati sunt. Sed ignis, quem virtute divinâ Elias de cælo evocabit, devorabit inimicos ejus, Apoc. 11. v. 5. Non ille ignis, quem pseudopropheta arte magicâ faciet descendere. IN CONSPECTV HOMINVM. Coram multitudine sequacium Antichristi, ad ostentationem, & enervandam fidem verorum miraculorum Eliæ & Henoch.

Quidam PP. ut S. Ephrem, Hyppolitus, Methodius, &c. varia alia Antichristi, & hujus secundæ bestiæ miracula, ex conjecturis verisimilibus recensent: ut quod mare sicco vestigio calcabit, fluminum cursus sistet, Solem & Lunam in tenebras convertet, montes transferet, per aërem volabit: & denique sic aget, quasi omnibus elementis ad nutum imperare possit.

14. ET SEDVXIT HABITANTES IN TERRA. Loquitur in præterito de rebus futuris propter certitudinem eventus; tam certò enim futura videbat, quàm si jam essent. PROPTER SIGNA. Quæ illi credent esse vera miracula, ideoque à Christo ad Antichristum deficient. Tunc enim, si unquam aliàs, verum erit, quod prædixit Christus: *Surgent pseudochristi* (qualis erit maximè Antichristus) *& pseudopropheta* (qualis ille pseudopropheta Antichristi) *& dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*, Matt. 24. v. 24. QVÆ DATA SVNT ILLI FACERE. Quæ Deus permisit facere. Permittet autem tunc plura & majora, quàm unquam anteà à principio mundi. IN CONSPECTV BESTIÆ. Coram Antichristo, ad ejus gloriam, & religionis ejus propagationem. DICENS HABITANTIBVS IN TERRA. Quos jam seduxit. UT FACIANT IMAGINEM BESTIÆ. Ut jubeant sculpi imaginem & simulacrum Antichristi, tanquam Dei. QVÆ

HABET PLAGAM GLADII. Quæ gladio lethaliter in uno suo capite vulnerata fuit, cicatricemque adhuc gerit. ET VIXIT. Et revixit in illo suo capite, quod bestia ipsa sanavit, & tanquam occisum ad vitam revocavit. Propter illud enim miraculum volet pseudopropheta Antichristum haberi pro Deo, & ei imaginem, tanquam Deo, fabricari.

15. ET DATVM EST ILLI. Postquam imago, seu statua fabricata fuit. UT DARET SPIRITVM IMAGINI BESTIÆ. Ut arte magicâ advocando dæmonem, qui imaginem subiret, quodammodo eam spiritu animaret. ET VT LOQVATVR IMAGO BESTIÆ. Dando responsa, & oracula hominibus, ut olim dæmon per ora statuarum quandoque loquebatur, aut sicuti per linguam serpentis allocutus est Evam, Gen. 3. v. 1. ET FACIAT. Et datum etiam est ei, ut per edictum publicum faciat. UT QVICVMQVE NON ADORAVERINT IMAGINEM BESTIÆ. Verisimile autem est, hoc edictum de adoranda Antichristi, tanquam Dei, imagine, publicandum esse non tantùm in civitate regiâ Antichristi, sed in toto ejus Imperio, ac terrarum orbe: unde in singulis civitatibus tales imagines ad adorandum collocabuntur. Quia enim Antichristus non ubique præsens esse poterit, volet tamen ubique in suis saltem imaginibus adorari. OCCIDANTVR. Licet enim iste pseudopropheta, & summus Pontifex religionis antichristianæ, simulet se esse agnum clementissimum, pœnam tamen mortis suo edicto apponendam esse dicet, propter Christianorum, & inobedientum pervicaciam.

Hoc igitur edictum simile erit edicto Nabuchodonosoris, de aurea ejus statua adoranda, sub pœna missionis in fornacem ignis ardentis, Dan. 3. v. 6.

16. ET FACIET OMNES, PVSILLOS ET MAGNOS, &c. Faciet omnes universim Antichristi Domini sui sectatores, cujuscumque sint conditionis, HABERE CHARACTEREM. Signum distinctivum, seu notam impressam, ut à Christianis possint distingui. IN DEXTERA MANV SVA. Sicut milites tirones olim stigmate & charactere sui Imperatoris in manu, aut brachio notabantur, ut ex Vegetio & Aëtio docet I. Lipsius, lib. 1. Dial. ult. de militia Rom. AVT IN FRONTIBVS SVIS. In qua parte servi olim stigmate Domini sui inuri, vel inscribi solebant.

Itaque aliqui erunt milites, alij quasi servi Antichristi. Qui in cute dexteræ manus characterem gerent, promptos se ad pugnandum pro eo, tanquam Imperatore, ostendent: qui verò in fronte gestabunt, se non erubescere servitium, & professionem religionis ejus cōfitebuntur.

Qualis autem futurus sit ille character manibus aut frontibus eorum

rum impressus, mortalium nemo scire potest. Verisimile est, futurum characterem illum, quo in signandis litteris & diplomatibus, aut in cudenda pecunia Antichristus utetur, sicut Reges solent.

Qualis verò figuræ futurus sit, varij varia divinant. Ausbertus, quem multi sequuntur, sibi à Deo revelatum esse dicit, hunc Antichristi characterem futurum signum, quod labaro suo Constantinus Magnus olim inscripsit, nempè duas litteras græcas, *Chi* & *Rho*, quæ sunt duæ litteræ initiales nominis Christi, quarum figuram in unum consertam apud Baronium ad Annum Christi 312 delineatam ex Eusebio videbitis. Sed quandoquidem character Antichristi distinguet Antichristianos, non satis eos distingueret si pro charactere suo characterem Christianorum assumeret, sive duas nominis Christi litteras initiales.

Ribera conjectat, characterem habiturum figuram draconis, à quo Antichristus potestatem suam accepit, ut supra v. 4. vidimus. Verum Antichristus, qui Deus haberi volet, draconem fortasse, tanquam superiorem, non recognoscet. Deindè, diabolus, etsi à S. Ioanne vocetur draco, quia in forma draconis ei repræsentatus est; non tamen sic ab Antichristo & Antichristianis vocabitur. Vndè non est ratio, cur figurâ draconis pro charactere & sigillo suo utatur.

Fortassis igitur character erit figura vultus Antichristi, sicut Principes charactere vultus sui pecuniam signare solent. Et quia adorari volet tanquam Deus, dexteris & frontibus sibi devotorum imaginem suam imprimi præcipiet; sicut medalijs apud Christianos imprimi solent imagines Sanctorum.

17. ET NE QVIS POSSIT EMERE. Et etiam pseudoprophеta ille faciet, ut nemini liceat emere, etiam necessaria ad vitam. AVT VENDERE. Vt sibi pecuniam comparet, quâ ab alijs necessaria emat. NISI QVI HABET CHARACTEREM. In dextera, aut in fronte impressum. AVT NOMEN BESTIÆ. Vel nisi loco characteris, seu imaginis Antichristi, habeat proprium ejus nomen litteris exaratum. Sic enim olim milites nomen Imperatoris sui manui aut brachio suo inscriptum gerebant, ut loco cit. Lipsius ex S. Augustino conjectat. AVT NVMERVM NOMINIS EIVS. Aut nisi loco characteris & nominis gerat in dextra vel fronte numerum 666. qui est numerus nominis ejus, ut mox dicetur. Tria ergo signa distinctiva erunt, quorum unum, vel in dextera, vel in fronte impressum habere debebit, quicumq; emere aliquid, vel vendere volet; nempè vel character Antichristi, vel nomen, vel numerus nominis.

Difficile autem est intelligere, quomodo differet nomen, & numerus nominis, si omnes litteræ nominis simul sumptæ (ut passim interpretes sentiunt) juxta morem computandi græcum vel hebraicum, colligant summam 666. qui est numerus nominis. Sic enim non videtur esse aliud, nomen ejus, quàm numerus nominis ejus, ut Beda etiam sentit. Sed S. Ioannes videtur ista distinguere: undè numerus nominis fortasse non exprimetur per litteras nominis Antichristi, sed per cyfras, more Indorum, qui hodie ferè ubique est in usu.

Aut certè, assumetur aliud nomen diversum à nomine proprio Antichristi, cujus litteræ omnes simul sumptæ numerum æqualem 666. constituent cum numero nominis Antichristi, quale est v. g. verbum græcum *αρνουμαι*, quod, *nego*, significat; quam forte vocem fronti inscriptam gerent aliqui Christianorum, ut se palam Christum abnegare profiteantur.

18. HIC SAPIENTIA EST. Hoc tempore opus erit sapientiâ & intellectu, ut quis intelligat ex numero nominis, quisnam sit Antichristus. Adverbium, *hic*, videtur ad tempus potiùs, quàm ad locum spectare, ut v. 10. in simili diximus. QVI HABET INTELLECTVM. Qui habet sapientiam & intellectum istum à Deo accepit. COMPVTET NVMERVM BESTIÆ. Qui continetur in nomine prioris bestiæ, quæ ascendit de mari, supra v. 1. non autem bestiæ posterioris, quæ ascendit de terra v. 11. Omnes enim Interpretes hanc bestiam Antichristum, non ejus coadjutorem pseudoprophetam, intelligunt. Sicut enim Sibillæ olim numerum nominis Christi prædixerant: ita S. Ioannes hîc prædicere voluit, numerum nominis adversarij ejus Antichristi. NVMERVS ENIM HOMINIS EST. Facilè enim erit computare, cùm sit numerus comprehensus in nomine proprio alicujus hominis, quod omnibus notum erit. ET NVMERVS EIVS SEXCENTI SEXAGINTA SEX. Numerus autem iste nominis ejus 666.

Textus iste obscurissimus est, quia nescitur, an hebraicum, an græcum, an latinum, aut alterius idiomatis futurum sit illud nomen. Deinde secundùm cujus nationis morem, numerus iste litterarum colligendus sit: aliter enim Hebræi, aliter Græci, aliter Latini computant: ut v. g. nomen, LVDOVICVS, continet numerum bestiæ, si more latino computemus, non autem si more hebræo aut græco.

Deinde, cùm sint, aut fingi possint plurima nomina, quæ numerum illum 666. contineant, incertum est, quodnam ex illis omnibus erit nomen proprium Antichristi. Sed parùm refert; nam si scire,

nobis

nobis expedivisset, S. Ioannes illud revelasset, inquit S. Irenæus lib 5. cap. 30. Numerum tamen nominis expressit, ut Christiani, qui tunc vivent, ex nomine Antichristum deprehendant.

Simili modo Sibillæ in nomine Christi futuri numerum 888. prædixerunt; sed nemo ante Incarnationem conjectare indè poterat, quo nomine proprio Christus appellaretur, quia multa nomina numerum istum habent. Postquam verò appellatus est IESVS, statim in eo nomine, juxta expressionem græcam, IEZOVZ, apparuit numerus 888. nam prima littera, *Iota*, apud Græcos valet, X. secunda, *Eta*, valet VIII. tertia, *Zygma*, valet CC. quarta, *Omicron*, valet LXX. quinta, *Vpselon*, valet CCCC. sexta iterùm, *Zygma*, valet CC. qui omnes numeri in unum collecti efficiunt 888.

Sicut autem, quia Sibillæ græcè scripserunt, numerum nominis Christi juxta computum Græcorum colligi voluerunt; ita quia S. Ioannes etiam græcè scripsit Apocalypsim, verisimile est, numerum nominis bestiæ juxta similem Græcorum computum calculandum esse. Hinc S. Irenæus varia nomina excogitat, quæ calculo græcanico numerum bestiæ continent: qualia sunt, λάτειμος, τειταν, nisi quòd primam syllabam in, Τειταν, non per diphtongum, *Vpselon Iota*, sed per simplex *Iota* scribant Græci. Undè nomen, λατειμος, magis convenit, quia Latini olim I. longum, sicut *Epselon iota*, pronuntiabant, ut lib. de recta pronunt. cap. 8. Lipsius docet. Et fortasse Antichristus latinum Imperatorem se vocabit, quia regnum Rom. sivè Latinorum erit ultimum, quod ab Antichristo evertetur, ait S. Irenæus.

Nugatorium autem est, quod hæretici ex voce, λατειμος, probant, Rom. Pontificem esse Antichristum: quia licèt sit Latinorum, & totius orbis Christiani Pontifex; non tamen se, *Latinum*, vocare solet; nec cætera, quæ de Antichristo narrat S. Joannes, Rom. Pontifici ullâ ratione conveniunt, ut aliquoties ante monuimus.

Celebris autem est, quorumdam DD. ut Annij Viterbiensis, Hentenij, Clichtovæi, Genebrardi, Lensæi, Feuardentij sententia, quòd Mahometes sit verus ille Antichristus, de quo S. Joannes hîc loquitur. Nam nomen ejus continet numerum bestiæ, si non *Mahometes*, sed, *Maometis*, pronuntietur: & licèt ab anno Christi 632. mortuus sit, vivit tamen & usque ad finem mundi, ut putant, vivet ejus secta, & successores, adversus quos Elias & Henoch in fine mundi, pugnabunt, non adversus ipsum regni antichristiani fundatorem.

Nec refert, inquiunt, quod Mahometes 10. annis regnaverit, Antichristus vero tres solum annos cum dimidio regnaturus dicatur: quia

quia Antichristo per metaphoram tribuitur, quod sectę ejus, aut ultimo ejus successori conveniet. Quando enim Turcæ, Persæ, Tartari, Arabes, Mauri, & cæteræ Mahometanæ nationes, orbem Christianum & omnia regna mundi Mahometi subjecerint; tunc, ultimus mahometicæ sectæ Imperator, absolutis omnibus bellis, tres annos cum dimidio, Christianorum reliquias, & Eliam ac Henoch persequendo, Imperium orbis tenebit.

Igitur fundamenta regni Antichristi, ab ipso vero inquiunt, Antichristo, Mahomete, circa annum Christi 620. jacta sunt; & religio antichristiana, vi & armis potius quàm prædicatione propagata, primò Arabiam (quæ patria fuit Mahometis) deinde Persiam, Tartariam, & pleraque omnia regna Orientis, usque ad Chinam, cum vicinis Oceani Judici insulis: deinde Syriam, Palæstinam, Asiam minorem, Ægyptum, & magnam Africæ partem: postremò Thraciam, Græciam, Pannoniam, Illyricum, primò per Saracenos, deinde per Turcas invasit, & occupavit. Unde quidquid olim sub Monarchijs Assyriorum, Persarum, Græcorum fuit, magna etiam pars monarchiæ Romanorum, sub religione & jugo Mahometis hodie jacet.

Deinde bestia, quæ ascendit ex mari, sive Antichristus, assimilatur pardo supra v. 2. quod etiam religioni Mahometis optime congruit, quia instar pardi colore vario est maculosa, utpote ex Judaismo, Gentilismo, Christianismo, & hęresibus quibusdam Orientis composita. Sedet in templo Domini, 2. ad Thess. 2. v. 4. Mahometes, quia templum Jerosolymitanum, & infinitæ per S. Paulum, & alios Apostolos, in Asia, Europa, Africa, fundatæ Christi Ecclesiæ, in Moskæas mahometanorum sunt conversæ.

Bestiam verò, quæ ascendit de terra, suprà v. 11. Lutherum interpretantur, qui fuit tanquam Propheta & adjutor Antichristi, docens homines adorare bestiam. Nonnè enim Lutheri, & ex ea nata Calvini hæresis, ad sectam Mahometis suscipiendam & adorandam, ait Joan. Lensæus, iter ac viam perditis hominibus sensim aperit? Quid enim istæ quorumdam perditorum voces sibi volunt, quibus se Turcas esse malle, quàm Papistas indican?

Si etiam verum est, quod multi Patres affirmant, Antichristum nasciturum ex tribu Dan, hoc etiam potuit esse verum de Mahomete, cujus mater *Hennia*, vel, *Imina*, fuit Judæa.

Quod denique dicitur de Antichristo, *Et erit in concupiscentijs fæminarum*, Dan 11. v. 37. omnino quadrat Mahometi, qui tot uxores & concubinas unicuique permittit, quot alere potest. Et deinde usum fæmina-

fæminarum in cælum & vitam æternam introducit. Ita homo animalis & epicureus non aliud summum bonum, quàm voluptatem carnalem agnoscit.

Verum etsi multa, quæ Scripturæ sacræ tribuunt Antichristo, in Mahometem cadere possint, non tamen omnia. Nam inprimis Mahometes nunquam Deus haberi voluit, nec Turcæ eum Deum, sed *Rasul Alla*, id est, *Apostolum Dei*, appellant. Deinde prodigia & miracula, quæ S. Joannes in hac Apocalypsi, & Scriptura alibi tribuit Antichristo, non possunt Mahometi convenire: aut certè omnia valdè mystice, & nihil fere ad litteram interpretari oportebit.

Similiter Luthero litteraliter competere nequit, quod dictum est v. 13. & 15. de pseudopropheta Antichristi, quod fecerit ignem descendere de cælo, & jusserit occidi omnes, qui imaginem Antichristi, sivè Mahometis non adoraverint.

Nec Antichristus per successores suos (nisi torquere Scripturas velimus) sed per seipsum dicitur in fine mundi persecuturus Christi Ecclesiam per annos tres cum dimidio.

Denique nomen Mahometis non habet numerum bestiæ, si non Maometis (quæ terminatio frequentior est fæminini nominis, quàm masculini) sed Mahometes, aut arabicè, Muhamed., id est, celebris & illustris, pronuntietur.

Itaque Mahometes, non per bestiam è mari aut è terrâ ascendentem, sed potiùs per equum pallidum significatus est, ut Apocal. 6. v. 7. diximus.



CAPVT XIV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ne quis in tam dira Antichristi persecutione putaret, omnes à Christo defecturos, ostenduntur S. Ioanni 144000. Virginum cum Agno, in fide Christiana permanentes. Tres Angeli per medium cæli volantes ordine quisque suo hominibus quædam annuntiant. Primus instare extremum judicij diem, ideoque tempus jam esse timendi & colendi seriò Deum. Secundus, casum & excidium magnæ Babylonis annuntiat. Tertius, æternos cruciatus ijs minatur, qui charactere bestiæ sunt insigniti. Sedens super nubem candidam, falce messoriâ demetit terram. Angelus alius falce vindemiatoriâ vindemiat botros vineæ terræ, qui calcati in torculari iræ Dei, sanguinem musti effundunt usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

Vers. 1.

ET VIDI. Lætiori aliâ visione, ne omnia perdita, & totum mundum post bestiam iturum S. Ioannes existimaret. ET ECCE AGNVS STABAT SVPRA MONTEM SION. Christus supra Ecclesiam inter persecutiones laborantem & militantem, tanquam superior & Præses stabat paratus ad juvandam eam. *Mons* enim *Sion fundatus exultatione universæ terræ, civitas Regis magni*, psal. 47. Ecclesiam in terra militantem spiritualiter hîc significat: nam, *Sion*, latinè, *speculum*, aut *speculationem*, significat: Ecclesia verò militans futuri sæculi bona speculatur, quia illuc dirigitur intentio ejus, ait S. Augustinus lib. 17. Civit. cap. 16.

Multi tamen per *montem Sion* hîc cælum & Ecclesiam triumphantem intelligunt, juxta illud, *Videbitur Deus Deorum in Sion*, Psal. 83. Ecclesiæ enim triumphanti competit speculari Deum facie ad faciem, militanti verò solùm per speculum, & in ænigmate. Deinde v. 5. dicuntur esse ante thronum Dei, thronus autem est in cœlo.

Sed meliùs hoc loco, *Sion*, pro Ecclesia militante accipitur, quia virgines, quæ circa Agnum in monte Sion S. Ioanni ostenduntur, stabant circa Agnum stantem, adhuc laborantes & militantes, adjuvante Agno. Postea tamen ostenditur, quales per æternam Dei prædestinationem futuræ essent in cælis.

ET

ET CVM EO CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA. Circa eum etiam ſtantes ſupra montem Sion. Hoc autem ſignificat, Virgines in magna mentis celſitudine, & ſupra ſeipſas debere elevari, ut carnem ſuam deſpicere valeant, & conculcare. Virgo enim humanam quodammodò naturam ſupergreditur, & velut terreſtris quidam Angelus eſt. Angelicum enim eſt, & homine aliquid ſublimius, ait Nazian. hominem carni alligatum, non ſecundum carnem vivere.

Iſta autem 144000. non tantùm ex Iudæis (ut illa 144000. Apoc. 7. v. 4) ſed ex omnibus etiam Chriſtianis gentilibus toto orbe diſperſis collecta ſunt. Longè tamen plura millia erunt, maximè ſi infantes baptizati, ante perfectum uſum rationis ab Antichriſti exercitibus interficiendi, inter virgines iſtas connumerentur. Numerus ergo certus pro incerto poſitus eſt propter numeri iſtius 144. myſteria, ut Apoc. 7. v. 4. diximus.

Viegas ſpeculatur, numerum primum, ſcilicet 100000. qui eſt maximus inter tres numeros, ſignificare infantes virgines, qui plurimi erunt: numerum verò ſecundum, ſcilicet 40000. complecti Religioſos & Religioſas, qui tunc erunt in Eccleſia virgines: denique tertium numerum, 4000. comprehendere pauciores vitæ ſæcularis Virgines.

Si autem tot millia ſanctarum Virginum maſculini & fæminini ſexus futura ſint illis calamitoſis temporibus Antichriſti, quot erunt millia conjugatorum, & cæterorum Sanctorum, qui, amiſsâ virginitate, tamen ante beſtiam genua non curvaverunt.

HABENTES NOMEN EIVS. Agni, ſive Ieſu Chriſti, à cujus nomine dicuntur Chriſtiani. ET NOMEN PATRIS EIVS. Dei Patris, à quo Filij Dei, & parvi quidam Dij terreſtres nuncupantur. Virginitas enim eos ab omni carnali & terrena concretione per gratiam ſeparat, ſicut Deus naturâ ſuâ ab eadem ſeparatus eſt. SCRIPTVM. Non tantùm intùs in corde, ſed etiam exteriùs, IN FRONTIBVS SVIS. Per apertam fidei Chriſtianæ, & caſtitatis profeſſionem, quidquid Antichriſtus, & ejus ſatellites minentur & intentent necem.

Deinde, ſicut Antichriſti ſectatores in dextera, aut frontibus ſuis, characterem, aut nomen, vel numerum beſtiæ impreſſum gerent, ut Apoc. 13. v. 17. dictum eſt: ità virgines iſtæ, tam virilis quàm fæminini ſexus, palam in frontibus ſuis Chriſti & patris ejus nomen fortaſſe geſtabunt, ne profeſſione externâ timidiores videantur eſſe Antichriſti diſcipulis. Deinde ut per nomen Ieſu C. & Dei Patris frontibus inſcriptum contradicant ſuperbiſſimæ ſtultitiæ Antichriſti, qui ſe Chriſtum & Deum eſſe prædicabit.

2. Et audivi vocem de coelo superiori, ubi sedes est Beatorum. Hæc autem vox est gaudij & jubilationis illorum 144000. Tanquam aquarum multarum. Quæ impetu de Libano, & montium præcipitijs cadunt; vel qualis est fremitus fluctuantis & inquieti maris. Talium enim aquarum collisio latum & plenum sonitum edit, similem sono plurimorum hominum, qui simul loquuntur aut cantant. Quia verò aquæ multæ sunt populi multi, ut interpretatur Angelus infra Apocal. 17. v. 15. ideò aptè aquis multis comparatur multitudo sanctarum Virginum ex multis & varijs mundi populis collectarum. Et tanquam vocem tonitrui magni. Non tantùm lata & plena ob multitudinem cælestium Musicorum in unam Harmoniam cantantium vox illa erat, sed etiam valdè alta, acuta, & sonora, qualis est vox tonitrui validi stridentis, aut crepantis in nubibus.

Non potuit magnitudinem illius cælestis vocis meliùs describere, quàm per comparationem duarum rerum, quæ in tota rerum natura maximè & vehementissimè sonant, aquarum scilicet multarum, & tonitrui magni. Magnitudo autem & vehementia illa vocis significat contentionem animi, quâ Beati Deum in cælo laudant & jubilant.

Et vocem quam audivi. Ne quis putaret vocem illam, quæ voci aquarum multarum & tonitrui comparatur, fuisse auribus duram & asperam, qualis est sonitus aquarum & tonitrui, explicat, quam suavis & harmonica vox illa fuerit. Sicut citharædorum. Similem voci citharædorum, quæ musica & suavissima est. Citharizantium in citharis suis. Citharæ sanctarum Virginum sunt corpora earum, quæ per carnis mortificationes ab omni humore libidinis siccata sunt. In illis citharis cordæ X. Præceptorum Decalogi extentæ sunt; quas digitis tangunt, & in decachordo Deum laudant, quoties secundùm Præceptorum regulas ex charitate aliquid faciunt.

3. Et cantabant quasi canticum novum. De aureola Virginitatis, & incorruptione carnis, tanquam de re nova, & singulari beneficio gratias Deo agentes: cùm in tanta dissolutione & corruptione sæculi Antichristiani, difficillimum prorsus fuerit, illam animi & corporis integritatem servare. Cantabant verò illud canticum in citharis suis, quia per corporum castigationes & mortificationes virginitas conservatur, & præmia ejus acquiruntur.

Alio verò sensu non solæ virgines, sed etiam Sancti omnes de via ad patriam

patriam transeuntes, novum canticum offerunt Deo, ait Carthus. quia tunc eum incomparabiliter clariùs cernunt, profundiùs noscunt, ardentiùs diligunt, immobiliùs tenent.

Particula, *quasi*, ut notat Gagnæus, non similitudinem, sed veritatem hîc significat, sicut Ioan. 1. v. 14. *Quasi unigeniti à Patre.*

Ante sedem. Thronum Dei: in quem oculis intenti, servatæ virginitatis, & omnia gratiæ munera accepta referunt. Et ante qvatvor animalia. Quæ proximè erant circa thronum. Et seniores. Illos 24. quos cum quatuor animalibus S. Ioannes viderat in circuitu sedis, Apocal. 4. v. 4. & 6. Cantabant igitur illud canticum in præsentia Dei & procerum cælestis curiæ, qui in circuitu throni sedent, ut eos divinâ suâ musicâ delectarent. Et nemo poterat dicere canticvm. Nullus aliorum Sanctorum non virginum, qui in illa persecutione Antichristi missi sunt ad cælum, poterat cantare illud virginale canticum; quia pro virginitatis aureola, quâ carebant, gratias agere Deo non poterant. Imò nequidem poterant *discere canticum* (ita enim græcus habet) cùm virginitas semel amissa non possit reparari, & jus ad illam aureolam acquiri. Nisi illa centvm qvadraginta qvatvor millia. Cæteri tamen electi canticum eorum audire possunt, ait S. Greg. licet dicere nequeant; quia per charitatem de eorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.

Nec tamen putandum est, ait Carthus. quòd virgines absolutè loquendo majoris sint meriti in præsenti, & præmij in futuro, quàm reliqui omnes Sancti; sed quòd accidentali aliquo merito & præmio excellant. Qui verò in charitate divina est ardentior, hîc absolutè & in essentiali præmio erit eminentior. Undè quod quidam, inquit, putarunt virgines solas ad ordines Angelorum assumendas esse; cæteros verò Sanctos infra collocandos, stultissimum est.

Qvi empti svnt. Non auro vel argento, sed pretiosissimo Sanguine Agni immaculati, 1. Pet. 1. v. 19. De terra. Tanquam gemmæ pretiosissimæ de sterquilinio, ut insererentur cælo. Ista verò terra nihil est aliud, quàm terrena concupiscentia, inquit Richardus.

4. Hi svnt qvi cvm mvlieribvs. Ne quidem licito & uxorio concubitu. Non svnt coinqvinati. Polluti & contaminati: nam licito etiam concubitu polluitur corpus, licet animus incontaminatus permaneat. Hinc fornicator non tantùm in animam suam, sed etiam in corpus suum, polluendo illud, peccare dicitur, 1. ad Cor. 6. v. 18.

Ad illam autem coinquinationem cum mulieribus reducitur omnis concubitus contra naturam, item pollutio quæcumque voluntaria, & omnis immunditia, per quam virginitas amittitur. Sub sexu autem masculino, qui cum mulieribus non coinquinatur, comprehenditur etiam sexus fæmininus, qui cum viris non coinquinatur. VIRGINES ENIM SVNT. Corpore & animo. HI SEQVVNTVR AGNVM. Quid est sequi, nisi imitari, ait S. Augustinus? QVOCVMQVE IERIT. Quia in utraque corporis & cordis virginitate eum sequuntur, quia caro Agni etiam virgo est, ait iterum August. Cæteri verò Sanctorum non sequuntur Agnum, quocumque vadit, quia corporis integritate similes ei non sunt.

Alij interpretantur eos sequi Agnum, quocumque ierit, quia non tantum per viam præceptorum, sed etiam per viam consiliorum eum sequuntur. Vel denique, loquitur S. Joannes non de omnibus omnino virginibus, sed solùm de illis 144000. quæ in persecutione Anti-Christi non tantum virgines sed etiam Confessores, Doctores & Martyres erunt, & Agno, sivè Christo in terris adhuc conversanti, per omnium virtutum actus assimilabuntur. Undè etiam in patria singulari quadam familiaritate Christo adhærebunt, ut quocumq; se verterit, eum sequantur, tanquam familiares musici & citharœdi, qualibus solent magni principes delectari. Hinc Ecclesia in officio Virginum, ex hoc loco Apocalypseos, canit, *Quocumque pergis virgines sequuntur atque laudibus post te canentes cursitant*, *&c.*

Phrasis autem ista, *quocumque ierit*, alludit ad modum loquendi scripturæ, quæ opera hominis vel Dei appellat, *vias*, &, *operari*, explicare solet per, *ambulare vias rectas*, aut, *pravas*.

HI EMPTI SVNT EX HOMINIBVS. Non tantum ex reprobis, sed etiam ex electis. PRIMITIÆ DEO ET AGNO. Pusilla quidem, sed lectissima pars electorum. Primitiæ enim, quæ olim solitæ sunt offerri Deo, parva pars fructuum, sed optima & selectissima erat.

5. ET IN ORE EORVM. Quando ab Antichristo, & ejus Magistratibus ad abjurandam Christi fidem sollicitabantur. NON EST INVENTVM MENDACIVM. Contra veritatem confessionis fidei. A tali enim mendacio vocantur mendaces illi, qui cum timidis, incredulis, execratis, idololatris &c. dicuntur futuri in stagno ardente igne & sulphure, infrà Apoc. 21. v. 8. SINE MACVLA ENIM SVNT. Ex græco etiam verti potest, *Inculpati enim sunt*. Non tantùm sine macula & culpa, quâ maculati adhuc permaneant, (quomodo omnes Sancti in cœlo sunt sine macula) sed etiam sine macula & memoria culpæ lethalis, quam habue-

habuerint, cum adhuc viverent in terris. Itaque S. Joanni oſtenduntur in cælo, quales fuerunt in terra, ut appareat meritum, quo ſic exaltari meruerunt inter Sanctos. Ita enim interpretandum videtur, ut commendetur ſingularis vitæ puritas, qua vixerunt in terris, & quæ non ſit communis omnibus Sanctis: quod nempè Virgines illæ inter tot perſecutiones & tentationes nulla tamen mortali culpa fuerint contaminatæ. ANTE THRONUM DEI. In cælo, ubi ante ſedem Dei vidit eas cantantes canticum novum, ſup. v. 3.

6. ET VIDI ALTERUM ANGELUM. Alium à Michaële quem noviſſimè viderat pugnantem cùm dracone, Apocal. 12. v. 7. VOLANTEM PER MEDIUM COELI. Ut vox ejus ab omnibus faciliùs poſſet audiri. HABENTEM EVANGELIUM ÆTERNUM. Commiſſionem à Deo annuntiandi hominibus bona æterna, quæ conſequentur piè viventes poſt hanc vitam. Euangelium autem dicitur æternum, per metonymiam, quia objecti qualitas tribuitur actui qui circa objectum verſatur. UT EVANGELIZARET SEDENTIBUS SUPER TERRAM. Hominibus, qui in bonis terrenis amore ſedent, & dulciter in ijs requieſcunt.

Richardus tamen per, *ſedentes ſuper terram*, homines pios & electos intelligit, qui dicuntur, inquit, ſedere ſuper terram, quia ſuaviter in Deo requieſcunt per terrenæ cupiditatis ſubactionem. Eraſmus & alij, *habitantibus ſuper terram*, legunt cum Areta.

ET SUPER OMNEM GENTEM &c. Et ſedentibus ac habitantibus ſuper omnes terræ regiones, ubi uſpiàm gentes habitant; ut ſignificet, Euangelium hoc extremum annuntiandum eſſe in univerſo mundo, ut ſimul & ſemel (ſive anteà annuntiatum adhuc fuerit, ſive non) univerſus orbis audiat Chriſti Euangelium, & æterna bona, quæ præparata ſunt ijs, qui ſuſcipiunt fidem ejus, & ſecundùm eam vitam ſuam inſtituunt. Ideò autem omnibus gentibus prædicatur, quia divina gratia ex omnibus aliquos eligit, & perducit ad regnum, inquit Richardus.

Alij codices græci, & Eraſmus cum Areta ſic legunt; *Ut euangelizaret habitantibus ſuper terram, & omni genti, & tribui, & lingua, & populo.* Quæ lectio eſt clarior, quàm noſtra vulgata.

7. DICENS VOCE MAGNA. In iſto Angelo per cælum volante & clamante figurati ſunt verbi Divini prædicatores, quales Elias, Henoch, & alij, qui per celeritatem & ſublimitatem prædicationis, inquit Richar. volabunt per medium cæli, id eſt, per Eccleſiam ſublimem virtutibus, & lucidam ſplendore divinæ cognitionis. TIMETE DOMINUM. Timore ſaltem ſervili, ſi nondùm poteſtis filiali: timor enim

enim servilis est initium sapientiæ & charitatis. Sicut enim, quando calceus suitur, seta prius intrat, deinde exit, ut linum introducat; ita timor pœnæ primo occupat mentem, posteà exit, ut introducat charitatem, ait S. Augustinus, Tract. 9. in Epist. Joan. ET DATE ILLI HONOREM. Divinos illi honores date, non bestiæ, sicuti faciunt qui characterem, aut nomen, aut numerum nominis ejus gestant. QVIA VENIT HORA IVDICII EIVS. Quia jam jam instat tempus, quo mortui resurgent, & vivos ac mortuos judicaturus est, reddens unicuique secundum opera ejus. ET ADORATE. Non bestiam aut imaginem ejus, ad quam adorandam Antichristi pseudopropheta vos cogit, sed EVM, QVI FECIT COELVM ET TERRAM, MARE. Qui magna ista mundi visibilis elementa ex nihilo creavit ad habitationem animalium. ET FONTES AQVARVM. Ad alimentum: omne enim animans humido nutritur; inter humida autem, & undè cætera omnia humorem habent, princeps est aqua. Hinc proverbium illud ex Pindaro usurpatum, *Optimum est aqua.*

Admirabili autem sapientia Deus aquas maris amaras per subterraneos meatus colat, & exutâ amaritudine ad ora fontium varijs modis perducit, ut indè in rivos & flumina effluant, quæ terras irrigent, & animantibus potum & alimentum præbeant. Propter hanc ergo tam evidentem fontium, & aquarum dulcium necessitatem, & sapientiam, qua Deus eas terris & animantibus dispensat, Angelus iste Deum creatorem fontium specialiter appellat, ut homines tanti beneficij & sapientiæ recordatione ad Deum amandum & colendum invitet.

8. ET ALIVS ANGELVS SECVTVS EST. Volans similiter per medium cæli. DICENS. Ad piorum consolationem. CECIDIT, CECIDIT BABYLON. Post modicum temporis in cineres cadet: igne enim comburetur, ut dicet infra Apoc. 18. v. 8. Geminatio ista verbi, *cecidit*, gaudium & exultationem Angeli hoc annuntiantis indicat.

Babylon autem ista est urbs Roma, quam ad vitandam invidiam Apostoli, non Romam, sed Babylonem mystico nomine appellabant. Unde S. Petrus ex urbe Roma epistolam suam scribens: *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Babylone*, 1. Pet. 5. v. 13. Imò S. Hieronymus, nomen illud Babylonis adhuc retinens, post conversionem Vrbis ad Christum, & ibi elevatam Apostolicam Sedem, in Præfat. lib. Didymi de Spir. S. *Cùm in Babylone versarer*, inquit, *& purpuratæ meretricis essem colonus*, &c. alludens ad hunc locum, & alterum infra Apoc. 17. v. 1. & 3.

Ideò

Ideò autem Apoſtoli, nomen Babylonis dederunt urbi Romæ, quia antiqua Babylon Regia Chaldæorum fuit, unde exierunt Nabuchodonoſor, & tot alij Principes, qui populum Dei afflixerunt, ſicut Romæ gentiles Imperatores per 300. primos annos Eccleſiam Chriſti vexaverunt. Unde cùm S. Ioannes vidiſſet apud Iſaiam verba iſta de Babylone Chaldæa, *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum eius contrita ſunt*, Iſa. 21. v. 9. imitatus eſt, & tranſtulit ad Romam. Deinde, *Babylon*, hæbr. *confuſionem*, ſignificat: in Roma autem gentili maxima Deorum & religionum confuſio fuit; *omnium quippe gentium*, ut ait S. Leo, *ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, ſi nullam reſpueret falſitatem.*

Illa magna. Et circuitu, murorum, & præſertim potentiâ illâ, quâ gentibus & Orbi, tempore D. Ioannis dominabatur. Quæ a vino iræ fornicationis suæ. Quæ calice vini iræ Dei, quam ob fornicationes ſuas commerita eſt. Fornicatio autem iſta ſpiritualem etiam fornicationem, ſive idololatriam ſub ſe comprehendit: hæc enim apud Prophetas ſæpè, *fornicatio*, vocatur, quia per idololatriam ſpecialiter anima, à verò Deo, tanquam ſponſo ſuo, alienatur, & falſo Deo tanquam adultero, conjungitur: *mœchata eſt cum lapide & ligno*, Ierem. 3. v. 9. Potavit omnes gentes. Imperio ſuo ſubditas, quibus idololatriam, & ſuperſtitiones ſuas, ac proinde etjam pœnas peccatis iſtis debitas propinavit.

Duplex igitur eſt calix, unus vini dulcis, quo fornicationes, & vitia blanda propinantur, quo anima inebriatur, ne rationis ductum ſequi valeat: alter calix vini amari & fœculenti, quem in fundo & fine voluptatum cogentur bibere peccatores; *quia calix in manu Domini, vini meri, plenus miſto, quem inclinat ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ*, Pſalm. 74.

9. Et tertius Angelus secutus est illos. Volando per medium cæli, ſicut duo priores.

Per tres iſtos Angelos ordine ſuo hominibus ſalutaria annuntiantes, Victorinus, Eliam, Henoch, & tertium quemdam præcipuum eorum adjutorem repræſentari putat. Aut certè potiùs numero illo ternario, omnes verbi divini præcones ſignificantur, qui cum Elia & Henoch fidem Chriſti, & fideles in fine mundi, adverſus Antichriſtum & ejus miniſtros animoſiſſimè defendent.

Dicens voce magna. Ad majorem terrorem incutiendum, ait Aretas. Vel certè, *vox magna*, ſignificat libertatem prædicatorum, qui tunc palàm liberâ & altâ voce ſeſe opponent Antichriſto, quamvis

diras neces intentanti, ut putat Haymo. SI QVIS ADORAVERIT BESTIAM. Tanquam Deum. ET IMAGINEM EIVS. Vel statuam illam Antichristi, quam armiger ejus arte dæmonis responsa dare, & sub pœna mortis adorari præcipit, ut dixit supra Apoc. 13. v. 15. ET SI QVIS ACCEPERIT CHARACTEREM. De quo supra Apoc. 13. v. 16. IN FRONTE SVA. Per liberam & apertam religionis antichristianæ professionem. AVT IN MANV SVA. Per operationem, quâ secundum præscripta ejusdem religionis operetur & vivat. Manus enim est symbolum & instrumentum operis.

10. ET HIC BIBET. Etiam bibere cogetur, non minus quàm Antichristus & ministri ejus. DE VINO IRÆ DEI. Fœculento illo, quod bibent omnes peccatores terræ, ut statim ex Psal. 74. dicebamus. QVOD MIXTVM EST. Fœcibus; non aquâ, ut veteres ad dulcedinem & sobrietatem vinum miscere solebant. Unde addit, MERO. Quod vinum est merum, non lymphatum, seu dilutum aquâ. Vox enim, *mero*, non dativi, sed abl. casus censeri debet, ut ex græco genitivo patet: cohæret enim cum ablativo, *vino*, non cum participio, *mixtum*, quasi diceret, *bibet de vino iræ Dei mero*, & non diluto aquâ; quod tamen mixtum est fœcibus ad torquendum potiùs, quàm ad delectandum palatum. Vinum autem iræ Dei vocat, *merum*, quia vinum non dilutum aquâ fortiùs inebriat, & morte æternâ soporat, ut loquitur Beda.

Aretas, *mixtum*, interpretatur, *infusum*, quod probat Erasmus: nam verbum græcum, κεραμυαι, quod, *miscere*, significat, deduci volunt à καιρας, *cornu*, veluti etiam κρατης, quasi κερατης, quia Græcorum vetustissimi cornibus animalium, aut vasis in modum cornuum formatis pro scyphis utebantur; & hinc, vinum in scyphos infundere, κυραμυαιν, quasi incorniculare dicebant: posteà verò, quia vinum non merum, sed aquâ mixtum bibere instituerunt, quod in cornibus aquâ miscebant, factum est, ut κυραμυαιν, pro *miscere* usurpaverint.

IN CALICE IRÆ IPSIVS. Quod mixtum est, inquam, in calice iræ, quem Deus propinat peccatoribus. ET CRVCIABITVR IGNE. Quod inter omnia elementa est maximè activum, & ideò instrumentum maximè idoneum cruciatus. ET SVLPHVRE. Ad alimentum ignis, & gravitatem odoris. Igne igitur cruciabitur tactus, sulphure olfactus. Sicut enim in peccato est fervor improbæ voluntatis, & fœtor deformitatis, inquit Carthus. ita in pœna peccati erit fervor ignis & fœtor sulphuris.

Ignis autem iste cæruleâ & obscurâ flammâ in sulphure lucebit, ideo-

ideoque S. Basilius ignem inferni, ἀλαμπεῖς, id est, obscurum, & sine luce appellat.

In conspectu Angelorum sanctorum. Pœnas enim damnatorum Sancti cum Deo regnantes videbunt, inquit Beda, ut majores inde ereptori suo gratias agant, & misericordias Domini in æternum cantent. Nec illos justo Dei judicio concordantes, visa impiorum tormenta contristabunt, sicut nec divitem in flammis sepultum visa Lazari requies refrigerare valebat, Lucæ 16. Et ante conspectum Agni. Quod pœnas etiam impiorum auget, dum cogitant tormenta sua spectari ab illo, quem oderunt, & propter cujus contemptum ista patiuntur.

11. Et fumus tormentorum eorum. Fumus, qui ex igne illo sulphureo eos torquente & suffocante resolvitur. Ascendet in sæcula sæculorum. Non extra fornacem illam inferni, sed intra eam ascendet, ac gyrabitur; nec tamen consumetur, divinâ potentiâ fumum illum conservante, quæ corpora damnatorum, ne consumantur, etiam conservat. *Ascendet* autem *in sæcula sæculorum*, id est, totâ æternitate, ad fætorem, & ut involvat, & offuscet ignis lucem. S. Thomas tamen ait ignem inferni, modicum, & tantum lucis habiturum, ut damnati ad calamitatis suæ augmentum se invicem videre possint.

Sensu autem mystico, fumus tormentorum est ejulatus damnatorum, inquit Aretas: qui quia semper ascendet, nunquam finiri imò nec remitti damnatorum pœnas significat. Undè apertè refellitur Origenis error, ait Haymo, qui dicit, reprobos post mille annos ex inferis redituros ad vitam.

Græcus non, *ascendet*, sed, *ascendit*, temporis præsentis habet, ut non tam tempus, quàm æternitatem semper stantem & præsentem significet. Undè in præsenti etiam sequitur: Nec habent requiem die ac nocte. Nullo unquam tempore à tormentis interquiescunt. Nox & dies omne tempus complectuntur, licèt post judicij diem nulla amplius diei & noctis, lucis ac tenebrarum sit futura successio; sol enim & cælum non amplius movebuntur. Si quis acceperit characterem nominis eius. In fronte vel in dextera, Tria autem erunt symbola & signa, quibus Antichristiani distinguentur à Christianis, character bestiæ, nomen bestiæ, & numerus nominis ejus, ut Apocal. 13. v. 17. dixit. Jam verò sub charactere nominis bestiæ tria illa comprehendit, omnia enim ista sunt character quidam, quo Antichristiani nomen & religionem Antichristi profitebuntur.

12. HIC PATIENTIA SANCTORVM EST. Tunc quando Antichristiani sic igne & sulphure cruciantur, è contrario elucet, quid patientia Sanctorum Christianorum valeat, qui & tormentis illis carere, & præmia æterna consequi merentur. Alij sic accipiunt, ut sit exhortatio Sanctorum ad patientiam ex contemplatione tormentorum, quæ sustinebunt impij. QVI CVSTODIVNT MANDATA DEI. Inter persecutiones Antichristi, & tentationes diaboli. ET FIDEM IESV. Sine qua mandata Dei non possunt, ut oportet, custodiri. Undè Iudæi, qui sine fide Iesu Christi mandata Dei se custodire credebant, reverà, non ut oportet, custodiebant, quia fide & gratiâ Christi destituti erant.

13. ET AVDIVI VOCEM DE COELO DICENTEM MIHI. Ad consolationem custodientium mandata Dei. SCRIBE. In hoc libro Apocal. ut omnes legere, & intelligere possint. BEATI MORTVI, QVI IN DOMINO MORIVNTVR. Beati sunt illi mortui, qui Corpori Christi Domini per fidem, spem, charitatem uniti, ex hac vita discedunt.

S. August. epist. 107. refellit ex hoc loco quosdam semipelagianos, qui docebant, parvulis quibusdam negari Baptismi gratiam, & in altera vita damnari propter mala opera, quæ Deus prævidebat eos facturos, si ad ætatem adultam pervenissent. Si enim, inquit, opera mala, quæ homines facturi erant, si diutiùs vixissent, Deus punit; igitur non necessariò beati sunt, qui in Domino, & in gratia Christi moriuntur. Fieri enim poterit, ut propter peccata damnentur, quæ perpetraturi erant, si diutiùs vixissent. Sicuti etiam de quibusdam electis, quorum vitam breviat Deus, frustra diceret Sapiens: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, Sap. 4. v. 11.

Aretas & Ambrosius sensu tropologico, beatos illos mortuos interpretantur, qui in carne adhuc viventes, non tamen secundum carnem ambulant, in quibus vetus homo, & mundus crucifixus est, ac Iesu Christi mortificationem semper in corpore suo circumferunt, 2. ad Corinth. 4. v. 10.

AMODÒ IAM (græcè, *amodò etiam*, vel, *profectò*) DICIT SPIRITVS. A tempore etiam mortis Spiritus S. qui beatos illos mortuos in vita per gratiam suam sanctificavit, & inter labores & pericula conservavit, dicit ipsis, & jubet, VT REQVIESCANT A LABORIBVS SVIS, quos in vita mortali pro Christo toleraverunt.

Malè hinc colligunt hæretici, nullum esse post hanc vitam animarum purgatorium. Non enim dicit S. Ioannes, quòd Sancti amodò, & statim post mortem, ab omni pœna, quæ peccatorum reliquijs debe-

debetur, requiescant, sed ab operibus hujus vitæ laboriosis, per quæ vitæ æternæ præmia meruerunt A quibus non tantùm animæ, quæ Dei visione & perfectâ beatitudine in cælo fruuntur, requiescunt, sed etiam, quæ in cæli vestibulo, purgatorijs pœnis expiantur, & spe certâ cælestis beatitudinis candidatæ sunt. Hæ enim animæ, licet adhuc in pœnis sint, patienti tamen, quieto, & tranquillo animo eas tolerant, & animabus impiorum longè dissimiles sunt, quæ impatienter in tormentis se jactantes, & blasphemantes, requiem non habent die ac nocte, fumusque tormentorum earum ascendit in sæcula sæculorum.

OPERA ENIM ILLORVM. Operum bonorum merces, & præmia, quæ per metonymiam vocantur *opera*, quia operum effectus sunt. Probat S. Ioannes, Sanctos post mortem requiescere à laboribus suis, quia tempus illud non est serendi, sed metendi fructus laborum suorum. SEQVVNTVR ILLOS. Græcè, *sequuntur cum ipsis*. Comitantur quodammodò, ut famuli dominum suum, aut immediatè, si à vita mortali proximè ad perfectam beatitudinem transeant, aut brevi certæ spei intervallo, si adhuc aliquid in Purgatorio expiandum habent.

Itaque famuli domestici, filij, cognati, divitiæ, honores, mortuos non sequuntur, sed deserunt in morte: sola verò bona aut mala opera sequuntur & comitantur illos ad prœmium vel pœnam.

Hic locus confutat Calvinistas, qui merita bonorum operum negant, imò etiam opera bona esse peccata docent. Quomodo enim opera sequuntur mortuos ad præmium, si peccata, & mala merita sunt?

14. ET VIDI. Quia Angelus S. Ioanni aliquid narrare inceperat de pœnis malorum, & præmijs bonorum, revelatio ejus ulteriùs excurrit usque ad extremum judicium, in quo ista malorum & bonorum retributo fiet. ET ECCE NVBEM CANDIDAM. Candore & splendore Iudicis in ea sedentis illustratam. ET SVPER NVBEM SEDENTEM. Et eum, qui super nubem illam, tanquam super thronum sedebat. SIMILEM FILIO HOMINIS. Christo homini. Dicit, *similem*, quia non erat ipse Christus, sed forma quædam imaginaria eum repræsentans, sicuti non vera corona aurea, nec vera & ferrea falx erat, quam ipse gestabat, sed similitudines verarum. HABENTEM IN CAPITE SVO CORONAM AVREAM. Ad significandam potestatem ejus regiam: *Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion*, Psal. 2. id est, super Ecclesiam, imò super omnem creaturam rationalem. Data enim est illi, ut homini, omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28. v. 18. ET IN

MANV SVA FALCEM ACVTAM. Ad poteſtatis ſuæ regiæ & judiciariæ executionem, metendo triticum ad congregandum in horreum, & zizania ad comburendum igni, Matth. 13. v. 30. Acuta autem eſt falx, quia nulla ſpica, nullus calamus aciem ejus evadit, diſſimilis illis Meſſoribus, quorum obtuſam falcem, multæ ſpicæ ſubterfugiunt: in falce enim acuta, quidquid includitur intùs cadit, inquit Beda: *Virtuti brachij tui quis reſiſtet*, Sap. 11. v. 22.

15. ET ALIVS ANGELVS. A tribus præcedentibus diverſus. EXIVIT DE TEMPLO. De cælo, quod ad formam templi Salomonis S. Ioannis imaginationi obijciebatur, ut ex Apoc. 7. v. 15. patet. Unde etiam hîc infra v. 17. ſeipſum explicans, vocat templum, quod eſt in cælo. CLAMANS VOCE MAGNA. Quâ ſignificat magnum deſiderium cæleſtium Beatorum, quorum legatus erat. AD SEDENTEM SVPER NVBEM. Ad Chriſtum Iudicem, qui falce ſua ad Meſſem paratus erat. MITTE FALCEM TVAM, ET META. Tandem homines, qui in terra vivunt, & præſertim electos, qui in horreum tuum congregandi ſunt, ſuccide, & interfice. QVIA VENIT HORA, VT METATVR. Tempus metendi, quo electi in horreum colligendi ſunt, advenit. QVONIAM ARVIT MESSIS TERRÆ. Matura eſt ſeges, & expectat falcem; quo ſignificatur, impletum eſſe numerum electorum, & mundum, qui propter eos colligendos creatus eſt, eſſe jam jam conſummandum; unde *meſſis conſummatio ſæculi eſt*, ait Chriſtus, Matth. 13. v. 39.

16. ET MISIT, QVI SEDEBAT SVPER NVBEM. Chriſtus exoratus deſiderijs & orationibus Angeli, & Sanctorum, quorum agebat legationem. FALCEM SVAM IN TERRAM. In qua homines ſtant, aluntur, & vivunt, ut ſeges in agro; *ager autem* iſte *eſt mundus*, ut Chriſtus interpretatur Matt. 13. v. 38. ET DEMESSA EST TERRA. Quod mox futurum erat, S. Ioannes tanquam factum videt, quia oculus Prophetarum ad futura, tanquam ſi præſentia, aut præterita eſſent, certiſſimè ſe extendit.

17. ET ALIVS ANGELVS EXIVIT DE TEMPLO. Non de templo Salomonis, quod erat in terra, ſed de templo, QVOD EST IN CŒLO. Nam cælum imagine & figurâ templi Salomonis S. Joanni repræſentabatur ut v. 15. dictum eſt. HABENS ET IPSE FALCEM ACVTAM. Non tamen meſſoriam, qualem habebat, qui ſuper nubem ſedebat v. 14. ſed falcem putatoriam, ſeu vindemiatoriam, ut ex v. ſeq. patebit. Hæc falx autem eſt culter incurvus & falcatus, quo vindemiatores amputant maturas uvas; quali etiam falce utuntur ſutores in diſſcindendis corijs.

18. ET

18. Et alivs Angelvs exivit de altari. Quod etiam in cælesti templo apparebat ad instar altaris holocaustorum templi Salomonis, in quo die ac nocte ignis ad sacrificia semper ardebat. Inde autem exit Angelus iste, tanquam legatus Martyrum, quorum animas sub illo altari cælesti vindictam clamantes, & ad finem sæculi aspirantes se vidisse narravit S. Joannes Apoc. 6. v. 9. Qvi habebat potestatem svpra ignem. Cujus in hoc mundo elementari officium erat, elemento ignis præsidere. Hinc enim colligit Aretas, singulis elementis, Terræ, Aquæ, Aëri, Igni, aliquem Angelum principalem præsidere, qui alios minores quasi sub ministros sub se habeat. Hic autem Angelus cum suis socijs, in fine mundi, ignem conflagrationis excitabit & accendet, *per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*, 2. Pet. 3. v. 12. Undè meritò dicitur hic Angelus in cælo habitare in igne perpetuo altaris holocaustorum, tanquam in proprio & familiari suo elemento. Et clamavit voce magna. Significans magnum desiderium, quo animæ Martyrum sub altari, quarum erat legatus, clamant ad Deum voce magna, *Vsquequo non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de ijs, qui habitant in terra*, Apoc. 6. v. 10. Ad evm, qvi habebat falcem acvtam. Ad Angelum, qui exiverat de templo cælesti armatus falce vindemiatoriâ, acutâ & præparatâ ad vindemiam. Dicens, mitte falcem tvam acvtam. Amputando reprobos. Et vindemia botros vineæ terræ. Per *botros*, sæpè in Scriptura peccatores, & reprobi significantur, pleni musto, & ebrij dulcedine voluptatum hujus mundi: & per vindemiationem significatur pœna, quâ conculcantur sicut botri in torculari. *Vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui*, Thren. 1. v. 12. *Vide Domine & considera quem vindemiaveris ita*, Thren. 2. v. 20. Qvoniam matvræ svnt vvæ eivs. Quia peccatores suos jam dies impleverunt, & maturi sunt ad pœnam.

19. Et misit Angelvs falcem svam acvtam in terram, et vindemiavit vineam terræ. Licèt Christus sedens super nubem, etiam per Angelos suos Messem electorum metat, (*Angeli* enim *messores* sunt, ait Christus, Matt. 13. v. 39.) & per eosdem Angelos vindemiet reprobos, Christo tamen potiùs messis electorum tribuitur, Angelis verò reproborum vindemia: quia, ut quidam notant, principes decet benè merentibus per se conferre, pœnas verò peccantibus per ministros suos infligere: ut ostendant se libenter, & ultrò benè operantes remunerari, ad peccatores verò puniendos non nisi invitos accedere. Hinc Deus apud Prophetam vocem lamentantis miscet

miſcet conſolationi, quam de vindicta inimicorum capit: *Heu, conſolabor*, inquit, *ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, Iſa. 1. v. 24. ET MISIT IN LACVM IRÆ DEI MAGNVM. In magnum & ſpatioſum inferni barathrum, ubi ira Dei eos pœnis æternis torquebit. *Lacus* hoc loco, ut ex voce græca patet, propriè ſignificat vas grande, quo excipitur vinum ex uvis in torculari expreſſum. Eadem vox etiam torcular ipſum ſignificat, & ita vertit interpres infra cap. 19. v. 15. & Matt. 21. v. 33. & ſic etiam verti hîc potuit; nam in torculari, non in lacu propriè torquentur & calcantur uvæ. Unde Propheta, *Torcular calcavi ſolus*, Iſa. 63. v. 3.

Sed interpres hîc ad concavitatem inferni, qualis eſt figura laci, aſpexiſſe videtur: aut certè, torcular ipſum appellavit lacum, quia in torculari uvæ, tanquam in lacu quodam confringi debent, antequam muſtum in lacum alterum effluat. Iſaias quoque infernum appellat lacum: *Verumtamen in infernum detrahêris, in profundum laci*, Iſa. 14. v. 15. Chriſtus verò appellat caminum ignis ardentis, Matth. 13. v. 42. quia lacus iſte reverà non vino, ſed igne & ſulphure plenus eſt. Sed quia S. Joannes reprobos vocaverat, *botros*, maturos, qui ſolent torqueri & calcari in torculari; manſit in eadem metaphora, ideoq; e infernum, ubi ſanguis pœnarum eorum exprimitur, lacum torcularis vocavit.

20. ET CALCATVS EST LACVS. Damnati tanquam botri in lacu, ſivè torculari calcati ſunt. EXTRA CIVITATEM. Longè extra civitatem electorum cæleſtem Jeruſalem, quæ vocatur, *Civitas* per antonomaſiam, quia civitas Dei & Sanctorum eſt. Lacus autem inferni longiſſimè, & totâ mundi ſemidiametro diſtat ab iſta civitate: hæc enim in mundi circumferentia, ille in mundi centro eſt. ET EXIVIT SANGVIS DE LACV. Pœnæ damnatorum, quæ ex preſſura eorum quodammodo effluunt, ſicut ſanguis uvæ ex lacu ſeu torculari: muſtum enim vini rubri Scriptura vocat ſanguinem uvæ, Deut. 32. v. 14. USQVE AD FRÆNOS AQVORVM. Maximâ abundantiâ, & altiſſimè, quemadmodum ſi in prælio cruentiſſimo ſanguis hoſtium effuſus, uſque ad frænos equorum pugnantium perveniret: quæ figura loquendi, pœnas inferni intenſiſſimas eſſe ſignificat. Alibi autem Scriptura mitius pœnarum magnitudinem & acerbitatem deſcribit, per hoſtilem ſanguinem non tam abundanter effuſum, ſed qui Chriſti victoris veſtimenta aſperſerit & tinxerit ſuo colore. *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Quibus reſpondet: *Torcular calcavi ſolus, calcavi eos in furore meo, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper*

super vestimenta mea, Isa. 63. v. 2. cui loco similis est infra Apoc. 19. v. 13.

PER STADIA MILLE SEXCENTA. Nec sanguis ille solùm in altum ascendit usque ad frenos equorum in loco aliquo angusto, sed latissimè usque ad 1600. stadia, id est, ad 200. milliaria italica quoquo versum se effudit. In uno enim milliari ital. 1000. passuum, sunt 8. stadia: in una verò leuca horaria belgica sunt 4. milliaria ital. totidem enim viator expeditus & pedes, potest unâ horâ conficere: etsi geometræ communiter tria tantùm milliaria ital. uni leucæ horariæ soleant assignare. Igitur sanguis iste ad 50. leucas belgicas dicitur se effudisse.

Quid verò effusio ista sanguinis, seu pœnarum infernalium per 1600. stadia, sive 50. leucas significet, est obscurissimum: nam mysterium aliquod nemini cognitum, videtur in numero illo 1600. stadiorum latere.

Beda, Haymo, & plerique veterum, quia numerus iste ex quater 400. stadijs colligitur, putant significari 4. mundi partes, Ortum, Occasum, Meridiem, & Septemtrionem. Ita ut dicere voluerit, sanguinem pœnarum tam exorbitantium, effundendum esse super omnes reprobos, usque ad 4. ventorum cardines, super totam terræ latitudinem habitantes. Sicut de electis, inter quos habitabunt reprobi, Christus dicit, congregandos à 4. ventis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum, Matt. 24. v. 31.

Sed si per quaternarium explicanda erat illa effusio sanguinis, obijcit Ribera, quare non potiùs per 4000. stadiorum, quam per quater quadringenta?

Responderi potest, quia fortasse omnes reprobi, qui in terra tunc erunt temporibus novissimis Antichristi (de illis enim tantum S. Joannes loquitur) si in terræ superficie, ut milites in acie, juxta se mutuo starent, tantam fermè latitudinem terræ occuparent; aut certè propter aliam rationem quæ nos latet. Spiritus S. enim nullum Jota aut apicem in tota Scriptura sine ratione scribi jussit; etiamsi rationem illam ad studij nostri exercitationem, ut sæpè dicit S. Augustinus, in abscondito esse voluerit.

Lessius tamen lib. 13. cap. 24. de perfect. div. spatium illud 1600. stadiorum refert ad locum, quem omnes reprobi in valle Josaphat, & circa occupabunt, tempore judicij universalis. Nam locus ille, ait, factâ supputatione, sufficit, ad tricies mille milliones hominum in terræ superficie consistentium, excipiendos.

Sed S. Joannes, ut dixi, non loquitur de omnibus universim reprobis

qui fuerunt à principio mundi usque ad finem, sed solùm de botris, qui vindemiabuntur per totum mundum, tempore Antichristi in fine sæculi.

Ribera verò hunc locum Apocal. de vera & geometrica mensura infernalis laci accipit. Imaginatur enim concavitatem inferni, quam Theologi ponunt in centro terræ, à centro undique versus circumferentiam extendi ad 1600. stadia, seu ad 50. leucas belgicas: per totum enim hoc spatium sanguis laci, sivè pœnæ infernales diffundentur, quia totum illud à corporibus damnatorum, quos pœnæ illæ inundabunt, occupabitur. Quod si verum est, quandoquidem hodierni geometræ dent semidiametro terræ 3436. milliaria italica, proxima inferni concavitas aberit à nobis 3236. milliaribus ital. Ut proindè periculum non sit, ne carbonarij aut metallarij eo usque descendant, cum nulla fodina ultra medium milliare ital. sive 50. passus descendat: quanta etiam circiter est maxima profunditas maris, exceptis quibusdam gurgitibus, quorum profunditas nulla bolide explorari potest.

Sed Leon. Lessio loco cit. non placet sententia Riberæ, nec tanta profunditas inferni; nam illa inferni extensio, inquit, non esset multo minor totâ Italiâ. Deinde non est opus 200. milliaribus ital. seu semidiametro 50. leucarum, sed sufficit mediæ leucæ semidiameter, sive diameter integræ leucæ ad capienda octingenta millia millionum corporum damnatorum, si unicuique dentur 6. pedes quadrati, & supra se mutuo jaceant, sicut magna copia pisciculorum aut fabarum, inquit, in oleo ardenti frigitur. Et tamen addit, videtur certum, non futuros in inferno centies mille milliones corporum. Itaque semidiametro infernalis abyssi, sive intervallo inter medium centrum, & concavam ejus superficiem, dat, ut summum, unam leucam belgicam, sive 4. milliaria ital. ita ut corpora damnatorum circumcirca centrum inferni compacta, occupent dimidiam leucam in orbem; reliqua verò media leuca usque ad concavum, sit plena igne, & corporibus igneis dæmonum.

Sed multa valdè incerta supponit: unde enim potest esse certum, non futuros centies mille milliones damnatorum? nam licèt daremus, quod ipse putat, mundum duraturum tantùm 60. sæculis, sive 6000. annorum, ab Adamo usque ad finale judicium: perpendendo tamen, quàm pauci fuerint salvati quatuor illis annorum millibus ante Christi adventum, & quàm multi milliones infidelium, aut reproborum Christianorum jam adhuc à Christi adventu sint in mundo; mirum valde

valde esset, si tantùm centies mille milliones reproborum colligerentur usque ad sæculi consummationem.

Deinde omnes totius mundi per ignem conflagrationis purgandi cineres, & quidquid turpe, ac fœdum in mundo elementari erit, cum igne illo conflagrationis, & corporibus damnatorum in barathrum inferni devolventur, ut docet Sanct. Thomas in 4. distinct. 47. sub finem.

Denique fortasse corpora damnatorum (ut quædam Sanctorum revelationes narrant) non quiescent perpetuò in eodem spatio compacta, sicut lateres in uno cumulo, aut sicut pisciculi vel fabæ in sartagine, sed vi flammarum à centro inferni excutientur sursum, vel etiam à dæmonibus expellentur, qui igneis corporibus assumptis eos cruciabunt & amplexabuntur.

Itaque verisimilius videtur, concavitatem illam infernalis laci majorem fore, & non quidem semidiametrum, sed diametrum totam (si hunc Apocal. locum litteraliter de inferni capacitate accipiamus) futuram 1600. stadiorum, sivè 50. nostrarum leucarum; & proinde semidiametrum, leucarum 25. Cum enim S. Joannes dicit, sanguinem exiturum è lacu per stadia 1600. videtur intelligendum de diametro, sive totâ longitudine spatij, quod illo sanguine pœnarum obtegetur.



CAPVT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præced. à v. 14. usque ad finem, oblata occasione S. Ioannes excurrerat, usque ad ult. sæculi finem, quando post judicium universale reprobi, qui secuti sunt bestiam, in lacum gehennæ infernalis, tanquam botri in torcular, ad exprimendum sanguinem pœnarum, præcipitabuntur: nunc verò oculum ab inferno revocat in cælum, ubi super mare vitreum videt electos, qui vicerunt bestiam, cantantes in citharis suis canticum Agni. Videt deinde 7. Angelos exeuntes de templo, quibus ab uno quatuor animalium dantur 7. phialæ plenæ iracundiâ Dei, quæ sunt 7. plagæ novissimæ, quas singuli ordine suo cap. sequenti super terram effundent.

Vers. 1.

ET VIDI ALIVD SIGNVM IN CŒLO. Hoc signum compendiosè statim in principio narrat, quod latius explicare incipit à v. 5. Undè hoc signum vidit posterius, quàm alterum, quod ponitur v. 2. MAGNVM ET MIRABILE. De re verè magnâ in se, & nobis admirabili. Hoc autem præmittit S. Joannes, ut suum lectorem attentum faciat. ANGELOS SEPTEM. Hoc autem signum erant 7. Angeli. Et illi verisimiliter, quos vocavit 7. spiritus, qui in conspectu throni Dei sunt, Apocal. 1. v. 4. & septem lampades ardentes ante thronum, Apoc. 4. v. 5. & sep. Angeli tubicines, Apoc. 8. v. 2. quidquid Viegas contradicat. Isti autem Angeli non de supremo ordine Seraphinorum, aut aliquo ordine assistentium sunt; sed de ordine Principatuum, quibus commissa est præfectura, & regimen mundi inferioris. HABENTES PLAGAS SEPTEM. Quas phialis aureis inclusas tenebant, ut infra v. 7. patebit. NOVISSIMAS. Quæ erunt ultimæ plagæ, quibus Deus ante resurrectionem mortuorum, & finale judicium homines flagellabit. QVONIAM IN ILLIS CONSVMMATA EST IRA DEI. Quas ideò novissimas & ultimas appello, quia per illas ira Dei in peccatores adhuc in terra viventes finietur. Post illas enim sequetur mundi finis.

Septem plagis autem ferire, est perfectè punire, inquit Beda, quia numerus

numerus septenarius in Scriptura est numerus perfectionis & universitatis: unde illud, *Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra,* Levit. 26. v. 28.

2. ET VIDI TANQVAM MARE VITREVM. Non mare, quale Oceanus est, aut mediterraneum, sed vas magnum vitreum plenum aquâ, ad similitudinem maris ænei, quod erat in templo Salomonis, ut Apocal. 4. v. 6. in simili visione latiùs probavimus. MISTVM IGNE: Cujus aquæ lucebant, permixtæ quodam igne inextinguibili. In hoc mari adumbratum esse Baptisma Christi, Beda, Haymo, Richardus, & omnes ferè veteres affirmant: nam aquæ Baptismi igne spiritus S. inflammatæ repræsentantur, propter gratiæ & fidei lumen, quod aquæ Baptismi animabus fidelium infundunt. Vitreo autem vase continentur, quia hoc tempore Euangelij pellucent & ab omnibus videntur, post Baptismi prædicationem toto orbe disseminatam, quæ in mari Æneo opaco & adiaphano templi Salomonis, quasi sub obscuro cortice, continebantur.

Haymo tamen, Viegas, & plurimi veteres ac novi, aquas ipsas vitreas & concretas, non fluentes, apparuisse malunt, ut fides, quæ in Baptismo infunditur, significetur igne charitatis formata, & ne diffluat, firmata, & in duritiem vitri excocta.

ET EOS, QVI VICERVNT BESTIAM. Et vidi etiam Sanctos, qui martyrio suo tyrannidem Antichristi vicerunt. ET IMAGINEM EIVS. Qui victoriam reportaverunt de imagine ipsius, ut ex Græco vertit Hentenius, nolentes scilicet, & contemnentes adorare imaginem Antichristi, ad quam adorandam sub pœna mortis cogebat armiger Antichristi, Apocal. 13. v. 15. ET NVMERVM NOMINIS EIVS. Et forti ac victrici animo rejecerunt characterem, nomen & numerum nominis Antichristi, nolentes stigmatibus illis tribus insigniri, quibus sectatores Antichristi in fronte & dextera insigniuntur, ut Apoc. 13. v. 17. dictum.

Sicut autem sub primo signo, nempè charactere bestiæ, duo signa posteriora, nomen & numerum nominis comprehendit, Apoc. 14. v. 11. ita hîc sub ultimo signo, scilicet numero nominis bestiæ, duo priora etiam subintelligit, quamquam in quibusdam græcis, ut Arethæ & Erasmi exemplaribus, *character* etiam hîc addatur.

STANTES SVPER MARE VITREVM. Juxta & in circuitu maris vitrei. Sicut enim quod positum est in littore maris, aut ripa fluvij, dicitur esse super mare aut fluvium; ita quia vas illud templi vocabatur mare, ideò qui juxta & circa illud stare videbantur, dicuntur stetisse

ſuper mare. Hoc autem ſignificat, quod fidem in Baptiſmo profeſſam, & gratiam Baptiſmalem, inter tentationes erecti & fortes retinuerint. HABENTES CITHARAS DEI. Quas divino munere acceperant. Citharæ iſtæ ſignificant Myſticè membra Sanctorum mortificata ſuper terram, ait Aretas; quia homo, quantumvis ſedulus & induſtrius, inquit, divino deſtitutus auxilio, non poteſt illa mortificare.

3. ET CANTANTES CANTICUM MOYSI. Tale canticum gratiarum actionis, quale cantavit olim Moyſes ſuper littus, poſt tranſitum maris rubri, Exodi 15. v. 1. &c. Mare autem rubrum fuit figura maris vitrei, ſeu Baptiſmi, ut ſignificat Apoſtolus 1. ad Cor. 10. v. 2. Sicut enim Pharao & exercitus ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro, ſic omnia peccata ſubmerguntur & ſuffocantur in Baptiſmo. ET CANTICUM AGNI. Quo Agnum, ſive Chriſtum laudabant, qui per mare Baptiſmi vitreum tranſmittit electos ſuos in vitam æternam; veluti Moyſes Iſraëlitas per mare rubrum verſus terram promiſſionis. DICENTES, MAGNA ET MIRABILIA SUNT OPERA TUA. Cùm enim Deus poteſtate, ſapientiâ, & omni perfectione, ſuper omnes cauſas creatas in infinitum emineat; decuit, ait Carthuſ. ut opera ejus incomparabiliter magna, & mira eſſent. Talia autem ſunt Machina hujus mundi, & opera naturæ, ſed majora & mirabiliora opera gratiæ & gloriæ, quibus Dominus pro ſervis, Deus pro creatura incarnari & mori voluit; & per vile elementum aquæ baptiſmalis, ac ignobiles Sacramentorum materias, ſanctificat animas, & eas in vitam ac felicitatem æternam traijcit. JUSTÆ ET VERÆ SUNT VIÆ TUÆ. Leges tuæ & inſtitutà, per quæ, tanquam per vias, ad nos venis, & nos ad te redimus, ut interpretatur Richardus, juſta ſunt, quia unicuique pro merito ſuo reddis; & vera, quia perducunt, quò promittis. Veritas igitur iſta, eſt veracitas, quam Deus ſervat in promiſſis. REX SÆCULORUM. Rex æterne, qui ſæculis omnibus ſuperior, ſæcula creas & regis. Quædam tamen exemplaria græca legunt *Rex Sanctorum*, quia Deus ſpecialiter regnat in Sanctis, quos gratiæ ſuæ funiculis gubernat & regit.

4. QUIS NON TIMEBIT TE DOMINE? Quis piorum non timebit te timore filiali (ut ex verbis ſequentibus colligitur) ſicut filius parentem, quem amat, timet offendere. ET MAGNIFICABIT NOMEN TUUM? Et ſapientiam, potentiam, juſtitiam, ac reliqua attributa, propter quæ nominaris & prædicaris, non exaltabit & glorificabit. QUIA SOLUS PIUS ES. Solus verè, & per eſſentiam pius & beni-

benignus: fons, ex quo omnis pietas fluit, & proindè cujus pietas ita omnium piorum & Sanctorum pietatem excellit, ut nemo comparatione tui sit pius. Dicitur enim eo modo solus pius, quemadmodum solus sapiens, solus bonus, solus ens, inquit Carth. QVONIAM OMNES GENTES VENIENT. Gressibus fidei ante finem mundi venient ex omnibus gentibus aliqui electi, ait Richar. est enim distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum addit Carth. quo modo similes Scripturæ locutiones, quibus dicuntur, omnes venturi ad Christum, omnes salvandi per Christum &c. interpretatur S. Augustinus. ET ADORABVNT IN CONSPECTV TVO. Adoratione & submissione cordis, quam tu solus conspicis.

In die autem Judicij, omnes omninò, etiam reprobi, in conspectu Judicis apparebunt, sed non omnes adorabunt. Nisi fortè quis dicat, ait Carthus. reprobos pro venia oraturos ex timore servili, quam nullatenus obtinebunt. Aut certè potiùs reprobi adorabunt intellectu recognoscendo, non affectu se submittendo, juxta illud, *Omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, ad Philip. 2. v. 10.

QVONIAM IVDICIA TVA. Quia opera & effectus justitiæ tuæ, quâ præmias bonos, & punis malos, MANIFESTA SVNT. Electis tuis per spiritum scientiæ & intellectûs: non enim piorum fidem latet justa esse judicia Dei, quæ latent, ut ait S. Augustinus lib. 20. cap. 2. de Civitate Dei.

Quomodo autem judicia Dei manifesta sunt, inquit Haymo, cùm Apostolus ad Rom. 11. v. 33. exclamans, *O altitudo divitiarum sapientiæ* &c. dicat judicia Dei incomprehensibilia esse? Respondet: licet manifestum sit, quod sint justa, subtilitas tamen judiciorum Dei, quare velit, ut illud sic fiat, est incomprehensibilis. Quis enim dicere potest, inquit, quare Deus Judæos primò sibi adsciverit, & gentes vias suas liberè ingredi permiserit, act. 14. v. 15. & tamen Judæos posteà repellens, gentes ad se vocaverit?

In extremo tamen judicio manifestabitur, quàm justo Dei judicio fiat, ut in hac vita tam multa, & pænè omnia justa judicia Dei sensus & mentes nostras lateant, ait S. Augustinus loco cit.

An verò in illo judicio omnibus patebunt ista judicia Dei incomprehensibilia, cur hic præ illo eligatur, aut reprobetur, meritò dubitat hoc loco Estius; nam hoc scire, non pertinet ad intelligendam justitiam retributionis, quam tunc erga electos & reprobos Deus exercebit.

5. ET POST HÆC VIDI. Hinc patet, quod id, quod v. 1. breviter, & an-

& anticipativè se uidisse dixerat, & jam v. 5. explicare incipit, non viderit ante, sed post illud quod v. 2. 3. 4. narravit. ET ECCE APERTUM EST. Mihi aperiri visum est. TEMPLUM TABERNACULI TESTIMONII. Templi illa pars quæ est tabernaculum, in quo Arca olim erat cum tabulis testimonij, sive legis Decalogi, quâ Deus voluntatem suam hominibus testatus est. Hæc autem erat sacratissima pars templi, quæ oppanso velo à reliquis partibus separabatur, & Sanctum Sanctorum vocabatur. IN CÆLO. Cælum enim figura templi Salomonis S. Joanni perpetuò repræsentabatur, ut toties antè vidimus.

6. ET EXIERUNT SEPTEM ANGELI. De quibus diximus v. 1. Exeunt autem ex Sancto Sanctorum, tanquam à facie Dei, qui olim habitare dicebatur in Sancto Sanctorum, super propitiatorium Arcæ, undè Israëlitis responsa dabat. HABENTES SEPTEM PLAGAS. Jussu Dei peccatoribus ordine suo infligendas, cap. seq. VESTITI LINO MUNDO ET CANDIDO. Id est, podêre, sive veste talari (ut Angelus alter Apoc. 1. v. 13.) ex puro & splendentilino contextâ. Quæ vestis significat puritatem intentionis, & animi candorem, quo Angeli divinæ justitiæ pœnas exequuntur, aliter longè quàm homines, qui quando secundùm divinas leges de peccatoribus pœnas sumunt, irâ, odio, & alijs nigris affectibus, quos permiscent, munditiem & candorem intentionis commaculant.

Similis sensus erit si legamus, ut quidam codices, *Vestiti lapide mundo & candido*. Vestis enim lapidibus, & gemmis mundis ac candidis, opere phrygio fulgens & contexta, significat candorem & firmitatem animi inflexibilem, quâ Angeli mandata Dei in punitione impiorum exequuntur.

ET PRÆCINCTI CIRCA PECTORA ZONIS AUREIS. Ad mamillas circa præcordia zonis aureæ charitatis succincti. Igneus enim auri fulgor, blandum & tranquillum charitatis ardorem significat, quia Angeli non ex odio, sed desiderio emendationis, Dei jussu, peccatores flagellant. Ideò etiam Angelus Christum repræsentans, dicitur vestitus podêre, & ad mamillas zonâ aureâ præcinctus, Apoc. 1. v. 13.

Beda, Richardus, & plurimi veterum, per 7. Angelos sic vestitos & ornatos, sensu mystico, intelligunt Ecclesiæ Doctores, & Euangelij prædicatores, qui septem, id est, omnes Dei plagas peccatoribus infligendas publice annuntiant: quorum vestis linea & candida puritatem vitæ, & externam carnis mortificationem significat. Linum enim

enim multo labore ad candorem venustatis perducitur, ait Haymo. Præcinguntur autem circa pectora zonis aureis, quia non solum opus externæ libidinis, sed etiam fluxum illicitæ cogitationis restringunt retinaculis charitatis, inquit Richardus.

7. ET VNVM DE QVATVOR ANIMALIBVS. Cui fortasse reliqua tria animalia hoc commiserant; quia omnium 4. Euangelistarum idem est Euangelium, sive liber unus 4. Euangeliorum.

Alij, *unum*, accipiunt pro, *primo*, more Hebræorum. Primum autem animal erat Leo, ut patet Apocal. 4. v. 7.

DEDIT SEPTEM ANGELIS. Deus ministerio unius Euangelistarum (qui per quatuor animalia ex communi sententia Patrum significantur, ut Apocal. 4 v. 6. diximus) utitur in distributione phialarum, & plagarum infligendarum peccatoribus, quia peccata, quæ vindicantur, sunt contra legem Euangelicam scriptam, & mundo promulgatam à 4. Euangelistis: Aut, ut alij volunt, à primo Euangelista per leonem figurato, quia hoc animal naturâ suâ maximè iracundum & vindicativum est. SEPTEM PHIALAS AVREAS. Vascula concava, patuli oris, non angusti, ut quidam existimant: non enim erant instar laguncularum nostrarum, sed potiùs similes pateris, aut naviculis, quibus thus ad incensum Sacerdotibus celebrantibus ministrant Diaconi. Unde vocem hebræam, quæ passim, *phiala*, vertitur, Arias montanus, *Pelvim*, vertit Zach. 9. v. 15. & alibi, *craterem*, ut 2. Paral. 4. v. 8. Phialæ enim erant vasa, in quibus principes viri bibebant, ut patet Judic. 5. v. 25. & Amos 6. v. 6. Item in phialis adolebatur thymiama, ut supra patuit, *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum*, Apocal. 5. v. 8. ad quos usus idoneæ non sunt phialæ angusti oris.

Aureæ sunt Phialæ; quia aurea Dei charitas iram suam effundit in peccatores, ut eos, quamdiu in hoc mundo vivunt, convertat. Ideò enim etiam zonas septem Angelorum circa pectora aureas fuisse v. præced. diximus.

PLENAS IRACVNDIÆ DEI. Varijs plagis refertas, quas ad uniuscujusque phialæ effusionem Deus cap. sequenti supra sectatores Antichristi effundet. Phialæ igitur istæ significant justa judicia Dei, in quibus pœnæ, peccatoribus à Deo statutæ, quodammodo continentur, donec eas super ipsos effundat.

8. ET IMPLETVM EST TEMPLVM FVMO. Sicut olim templum Salomonis, quando dedicatum fuit, 3. Reg. 8. v. 10. ad cujus templi instar cœlum repræsentabatur S. Joanni. A MAIESTATE DEI.

Græcè, *à gloria Dei.* Qui fumus exibat ex præsentia gloriæ & Majestatis Dei. Solet enim olim Deus præsentiam suam in fumo, nube, aut nebula populo à se electo exhibere. Nam in columna nubis traduxit eos per desertum; Moysi loquebatur in nube; quando tabernaculum primò erectum est, nubes operuit, & gloria Domini implevit illud, Exod. 40. v. 32. sicut posteà templum Salomonis. Hinc dicitur, quod Deus fuerit pollicitus inter eos habitare in caligine, 2. Paral. 6. v. 1. Quod significabat, occultam esse mortalibus divinæ Majestatis excellentiam, & eam, veluti per nubem & caliginem à nobis cognosci. ET DE VIRTVTE EIVS. Et ex ejus potentia. Nam sicuti gloriæ ejus Majestatem, ita nec virtutis & potentiæ ejus in puniendis peccatoribus, nisi per fumum & nebulam, justitiam & rectitudinem comprehendimus. Undè fumus iste fortasse ex phialis ipsis Angelorum (per quas divina judicia significari diximus) exhalabatur: phialæ enim idoneæ erant ad thus & thymiamata adolendum ut v. præced diximus. ET NEMO POTERAT INTROIRE IN TEMPLVM. Mente quasi ascendere in cælum, ad cognoscendam altitudinem judiciorum Dei, quâ peccatores in hac & altera vita tam severè punit. Ideò enim reprobi nomen Dei jam blasphemant, ait Richar. quia judicij ejus justitiam ignorant. DONEC CONSVMMARENTVR SEPTEM PLAGÆ SEPTEM ANGELORVM. Donec finitis 7. Angelorum plagis, & fine rebus hujus mundi imposito, Christus ad judicium universale veniret, in quo aperirentur libri, & per mentium illuminationem omnes introirent in templum, sive in cælestium judiciorum arcanum, non jam fumo ignorantiæ obscuratum, sed divinæ revelationis charitate illustratum. Hic tamen introitus non erit impijs ad gaudium, ait Richardus, sed ad supplicij complementum, in hoc enim ineffabiliter dolebunt, quòd se merito damnatos, & divinam iracundiam justè æternaliter meruisse videbunt.



CAPVT

CAPVT XVI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem Angeli ordine quisque suo phialas suas in terram, mare, flumina &c. effundunt, & totidem plagis sævissimis Antichristi sectatores feriunt.

vers. 1.

ET AVDIVI VOCEM MAGNAM: Qualem vocem homines irati edere solent. DE TEMPLO. Cælesti. DICENTEM SEPTEM ANGELIS. Præcipientem illis. Erat enim vox alicujus Angeli ex superioribus, clamantis & præcipientis vice Dei. EFFVNDITE SEPTEM PHIALAS IRÆ DEI IN TERRAM. In homines habitantes in terra, non solo corpore, sed etiam rerum terrenarum amore.

2. ET ABIIT PRIMVS, ET EFFVDIT PHIALAM &c. Plerique interpretes negant, Angelos cum phialis apparituros, sed hâc figurâ loquendi significari tantum plagas divinâ aut angelicâ virtute peccatoribus infligendas. Sed sicut intelligi potest ad litteram, quod Angeli tubis reverà canent ad singulas priores plagas, Apocal. 8. & 9. Item quod Angelus in forma aquilæ per medium cæli volabit, &c. ita nihil videtur esse absurdi, si dicamus Angelos reverà ex phialis aliquid in terram, mare, &c. effusuros, ut Antichristiani manifestius intelligant, non casu has plagas evenire, sed à Deo per Angelos inferri. Propter quem finem etiam Moyses, virgâ suâ percussis jussu Dei fluminibus, lacubus, aut pulvere terræ &c. plagis illis famosis Ægyptum flagellavit. ET FACTVM EST VVLNVS SÆVVM ET PESSIMVM Græcè *ulcus malum & malignum.* Unde multi existimant fuisse ulcera fœda, & vulnere quodam exulcerata, ac hiantia in secretiore parte sedis, qualibus olim percussi sunt Azotij, propter Arcam Domini apud eos captivam 1. Reg. 5. v. 6. Quò etiam aspexit Psaltes: *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*, Psal. 77. Hâc enim plagâ Deus etiam hodie gulæ & voracitati deditos aliquando percutit, quemadmodum morbo gallico scortatores. IN HOMINES, QVI HABEBANT CHARACTEREM BESTIÆ. Fronti aut dextræ impressum, juxta ea quæ Apocal. 13. v. 16. dicta sunt. ET IN EOS, QVI ADORAVERVNT IMAGINEM EIVS. Vltrò aut coacti metu mortis ab

armigero Antichristi, ut ex Apocal. 13. v. 15. intelli potest.

3. ET SECVNDVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN MARE. Hæc plaga est similis plagæ secundi Angeli tubicinis, Apocal. 8. v. 8. nisi quod hæc plaga sit gravior alterâ. ET FACTVS EST SANGVIS TANQVAM MORTVI. Et mare totum (non solùm tertia pars ejus, ut in plaga priori Apocal. 8. v. 8.) mutatum est in sanguinem similem sanguini, qui ex corpore hominis occisi ac mortui largiter effunditur. Igitur particula, *tanquam*, significat similitudinem sanguinis illius cum copioso sanguine, quo in prælio cruento, ex multa sanguinis effusione flumina aut mare circa littus rubescit: unde non est, tam sanguis, quàm aqua sanguine rubricata. Aliqui tamen intelligunt sanguinem impurum & saniosum, qualis ex cadavere occiso & aliquamdiu mortuo effluere solet. ET OMNIS ANIMA VIVENS MORTVA EST IN MARI. Omnes pisces, & omnia reptilia, quorum in mari non est numerus, suffocata sunt in sanguine.

4. ET TERTIVS EFFVDIT PHIALAM SVPER FLVMINA. Ne ad potum & humanos usus, aquâ fluminum & rivorum homines uti possint. Similis fuit plaga tertij Angeli tubicinis, Apocal. 8. v. 10. & primæ plagæ Ægypti, Exo. 7. v. 19. ET SVPER FONTES AQVARVM. Sub quibus etiam putei comprehendi debent, ne quid aquæ dulcis relinquatur utile ad bibendum aut coquendum. Undè hæc plaga sævissima est, & longè gravior priori. Quidam tamen credunt, stagna, lacus, & vivaria excipienda esse, nec convertenda in sanguinem; quia eorum hîc nulla fit mentio. ET FACTVS EST SANGVIS. Omnes aquæ dulces conversæ sunt in purum & verum sanguinem, non tantùm in aquam sanguine rubentem, ut minus adhuc usibus humanis sit utilis, nec percolari possit, ut revertatur ad aquæ naturam.

Hæc tamen plaga non eousque durabit, donec omnes homines emoriantur siti: sicut nec prior Apocal. 8. v. 10. nec Ægyptiaca similis, Exodi 7. v. 19.

5. ET AVDIVI ANGELVM AQVARVM. Qui fluminum & fontium aquis præest, & cui jam datum erat negotium vertendi aquas dulces in sanguinem. Aretas enim existimat, hunc eundem Angelum esse, qui aquis fluminum & fontium præses datus est à Deo; sicuti alia elementa alios Angelos præsides habere putantur.

Quidam recentiores Theologi ex hoc loco Apocal. colligunt, fluxum & refluxum maris non à luna, sed ab isto Angelo aquarum fieri; quod lib. 5. cap. 1. art. 8. Meteorologiæ nostræ olim refutavimus: Nam Angeli corporibus elementaribus præsident ad solas actiones præter-

præternaturales, non ad eas, quas elementa ipsa, aut cælum naturaliter possunt efficere, ut docet S. Th. 1. p. qu. 110. art. 1. ad 2. Deindè potiùs Angelus maris, quàm fluminum & fontium, deberet singulis senis horis reciproco illo æstu mare movere.

DICENTEM, IUSTUS ES DOMINE. Angeli enim Deum in omnibus operibus suis laudant, etiam quando vindictam de peccatoribus sumit. QUI ES. Stabili & permanente existentiâ æternitatis. ET QUI ERAS. Jam olim ante principium mundi & temporis. SANCTUS. Per essentiam, & proinde nihil iniquum velle potes. Quædam tamen exemplaria græca, si Bezæ credimus, pro, *sanctus*, legunt, *& qui eris*, ut Dei existentia ante & post æterna esse significetur. QUI HÆC IUDICASTI. Græcè, *quia hæc iudicasti*. Justus, inquam, es, quia hac pænâ eos dignos judicasti.

6. QUIA SANGUINEM SANCTORUM ET PROPHETARUM EFFUDERUNT. Multos enim sanctos & prophetas, præter Eliam & Henoch, Antichristus & ejus satellites martyrio afficient. ET SANGUINEM EIS DEDISTI BIBERE. Propinasti eis, si bibere vellent, sed non bibent, sicut Ægyptij bibere non poterant aquas Nili à Moyse versas in sanguinem, Exo. 7. v. 21. unde tot Ægyptij siti suffocati sunt, ut vivi non sufficerent sepeliendis mortuis, sicut narrat Philo in vita Moysis.

Estius tamen negat, flumina & fontes reverà esse convertendos in sanguinem, sed quando dicitur Deus interfectoribus martyrum daturus bibere sanguinem, significari tantum, quod illi homicidæ, pœnâ tali crimini proportionatâ puniantur. Sicuti, inquit, quando Apoc. 13. v. 10. dicitur, *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*, & Sap. 11. v. 17. *Per qua peccat quis, per hæc & torquetur*. Licèt enim pœna gehennæ ignis sit omnibus damnatis communis, inquit Estius, aliâ tamen speciali pœna punietur homicida, aliâ fornicator, aliâ ebrosus, &c. Et hoc sensu dicitur ille dives epulo in linguâ cruciari per quam peccaverat, Lucæ 16. v. 24. Sed quandoquidem plagæ, istæ, quibus Antichristiani in fine sæculi flagellabuntur, similes Ægyptiacis describantur, & à S. Irenæo lib. 4. cap. 50. cum eis comparentur; non est ratio, cur ad litteram non interpretemur, flumina revera in sanguinem convertenda esse. Interpretatio ergo Estij valere potest pro sensu mystico, non pro litterali.

7. ET AUDIVI ALTERUM Angelum AB ALTARI DICENTEM. Quasi legatus esset SS. Martyrum, quorum animæ sub illo altari erant, Apocal. 6. v. 9. ETIAM DOMINE DEUS OMNIPOTENS. Confirmat sententiam præcedentis Angeli, quâ Dei justitiam in pu-

 niendis

niendis tam severe peccatoribus laudavit. Hoc enim consentaneum est desiderijs SS. Martyrum, qui sub illo altari clamant, *Usquequo non vindicas sanguinem nostrum*, Apocal. 6. v. 10 VERA ET IUSTA IUDICIA TUA. Vera, quia efficiunt id, quod promittunt, ait Richar. justa, quia præmium secundum meritum reddunt. Justum enim est, ut qui crudeliter agunt, crudeliter puniantur.

8. ET QUARTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM IN SOLAM. Inflammando quodammodo eum, ut ardore extraordinario homines torreret. Unde non facit hic Angelus contra præceptum quo v. 1. omnes jussi sunt phialas suas effundere in terram; nam omnium 7. phialarum effusiones tandem relabuntur in terram. Licèt enim quarta phiala effundatur in solem, & septima in aërem, tanquam in causas effectuum & tribulationum, hæ tamen in homines terrestres & impios in terra habitantes tandem recidunt. ET DATUM EST ILLI. Soli, à Deo causas naturales sic per providentiam suam disponente. ÆSTU AFFLIGERE HOMINES. Magno & extraordinario æstu homines impios quodammodo torrere. ET IGNI. Græcè, *in igne*, sive, *per ignem*. Hinc verisimile est, maximam ardentium facum, discurrentium stellarum, cometarum, fulminum, aliarumque ignitarum exhalationum multitudinem illo ardore solis in aëre accendendam, quæ copiâ materiæ gravata decident in terram, & infimum aërem in quo spirant homines, quodammodo inflammabunt. Talis enim olim unius æstatis, propter easdem causas, intolerabilis ardor, quo regiones Occidentis adustæ sunt, dedit occasionem fabulæ casus Phaëtontis, ut auctor libri de mundo, qui Aristoteli tribuitur, narrat. Hunc verò casum Phaëtontis, eodem ferè tempore cum plagis Ægyptiacis, & diluvio Deucalionis, accidisse, in Chronico dicit Eusebius.

9. ET ÆSTUAVERUNT HOMINES ÆSTU MAGNO. Ideòque præ impatientia ardoris BLASPHEMAVERUNT NOMEN DEI. Maledixerunt potentiæ & excellentiæ Dei. HABENTIS POTESTATEM SUPER HAS PLAGAS. Qui potest tam acerbas peccatoribus plagas infligere, & etiam vult, cum tamen, si vellet, posset ipsis parcere. Sic quidam olim sub zonâ torridâ Africæ populi surgentem quotidie solem blasphemabant, quia nimis eos calore adurebat, cùm alij sub alijs climatibus populi, tanquam beneficum sidus adorarent.

Sensu mystico, phiala effunditur in solem, ait Carthus. quando Principes Ecclesiæ, qui instar solis verbo & exemplo fulgere debent, irâ in subditos accenduntur, & varijs afflictionibus eos urunt, & ad blasphemias ac maledictiones adigunt.

NEQUE

NEQVE EGERVNT POENITENTIAM. Sic flagellati non sunt conversi ad peccatorum pœnitentiam, sed pertinaces manserunt, & ut pessima mancipia, flagellis obdurati sunt. UT DARENT ILLI GLORIAM. Confitendo Dei justitiam, quod illas plagas peccatis suis promeriti essent. Sic aliàs dicitur dare gloriam Deo, quicumque aliquod Dei attributum confitetur: unde Hebræi videntur pro more habuisse, ut quando invitabant aliquem ad fatendam veritatem, dicerent, *da gloriam Deo*, ut Josue 7. v. 19. Joan. 9. v. 24. Quasi dicerent: confitere Deum esse omniscium, & cordium inspectorem, fatendo coram eo sincerè veritatem.

10. ET QVINTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER SEDEM BESTIÆ. Super ipsum thronum Antichristi, ita ut ab ipso, & familiâ ejus, hæc plaga ad omnes Antichristianos quodammodò deflueret. ET FACTVM EST REGNVM EIVS TENEBROSVM. Tam ipse quam subditi ejus, qui anteà temporalium prosperitate, corporum valetudine, & omni lætitiâ, tanquam luce diei, circumfusi erant, subitò per adversitates, & publicum mærorem, tanquam tenebris noctis cooperti sunt. ET COMMANDVCAVERVNT LINGVAS SVAS PRÆ DOLORE. Tanquam rabidi canes stridebant dentibus, mordebant labia, exerebant linguas, & mordebant quasi vellent comedere & devorare. Sic enim homines aliquando solent facere, quando dolor ad illam acerbitatem venit, ut sit prorsus intolerabilis, & homines facit insanire.

11. ET BLASPHEMAVERVNT DEVM CÆLI. Scientes talem plagam à Deo, & à cælo, ubi est sedes Dei, sibi immitti. PRÆ DOLORIBVS ET VVLNERIBVS SVIS. Græcè, *& ulceribus suis*, iterùm, ut v. 2.

Indicat, undè dolores illi tam urentes, & intolerabiles provenlant; nempè, ex tumoribus exulceratis, & in vulnera erumpentibus, ac cancro quodam nervos, & partes corporis maximè sensibiles erodentibus; quasi ulcere & vulnere pessimo percussus est B. Job à satana, à planta pedis, usque ad verticem, quando testâ radebat saniem, sedens in sterquilinio, Job 2. v. 8. Aut certè, quia sectatores Antichristi in omnes fœminarum & masculorum libidines projectissimi erunt, ulcera & vulnera ista, papulæ & vomicæ luis venereæ erunt. ET NON EGERVNT POENITENTIAM EX OPERIBVS SVIS. De fornicationibus, idololatriâ, & omnibus sceleribus, quibus cooperti erant.

12. ET SEXTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN FLVMEN

ILLVD

ILLVD MAGNVM EVPHRATEM. Magnus enim est Euphrates, præcipuè ubi Tygris eum influit, & communi alveo in sinum Persicum uterque se præcipitat. Hic fluvius olim terminus Rom. Imperij versus Orientem fuit. Babylonem Chaldæorum urbem regiam interluit, & à Chobare præfecto, ut lib. 6. cap. 26. narrat Plinius, in duos ramos supra Babylonem fissus est, ne copiâ aquarum, & præcipiti cursu urbem infestaret. Undè à nomine illius præfecti Chobaris, Euphrates vocatur, *flumen Chobar*, Ezech. 1. v. 3. ET SICCAVIT AQVAS EIVS. Stellis ardentibus fortasse magnâ mole ac numero in flumen præcipitatis, quales S. Joannes dixit extremis his temporibus de cælo casuras super terram, *sicut ficus emittit grossos suos, quando à vento movetur*, Apoc. 6. v. 13. Nam stellam, sive cometem talem in Germania Anno 1543. ad terram usque cecidisse, & rivum ebibisse narrat Sennertus, lib. 4. cap. 1. Epitom. Debuit tamen etiam Angelus claudere fontes Euphratis, ne nova aqua succedens alveum repleret. UT PRÆPARETVR VIA REGIBVS AB ORTV SOLIS. Ut raptim sine pontibus aut navibus transirent maximi exercitus septem regum, qui ab oriente ex Persia, Parthia, & vastissimis illis regionibus advolabunt ut subijciant & conjungant se Antichristo, ubi intellexerint, tres reges Ægypti, Africæ, & Ethiopiæ ab eo victos & interfectos, ut Apocal. 12. v. 3. ex Dan. 11. v. 42. narravimus. Deus autem per Angelum, siccato Euphrate, illis regibus viam ad Antichristum pandet, ut post finitam Christianorum persecutionem, omnes simul in unum exercitum collectos, unico ictu cum Antichristo prosternat.

Multi ad prophetiam Danielis non respicientes, omnia hæc allegoricè solùm interpretantur, & per effusiones phialarum, verbi divini prædicationem intelligunt. Igitur sexta phiala in Euphratem effunditur, quando homines à prædicatoribus Euangelij fluxus rerum humanarum admonentur, juxta interpretationem S. Augustini illius versus Psal. 136. *Super flumina babylonis illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion:* flumina enim Babylonis fluxum voluptatum, & rerum temporalium, quæ à filijs hujus sæculi amantur, & transeunt, mysticè, & pulcherrimè interpretatur. Flumina autem Babylonis sunt Euphrates & Tygris qui sicut rapidissimè feruntur, ita mundanæ voluptates, & hujus vitæ temporalia bona celerrimè transcurrunt.

Tunc autem ad effusionem phialæ flumina ista siccantur, quando prædicatoribus phialas Euangelicæ prædicationis effundentibus, siccantur & mortificantur carnales voluptates, ut reges, qui super appetitus suos regnant, lumine gratiæ ab oriente sole, qui Christus est, illumi-

illuminati & excitati, ficco quasi vestigio versus Sion, & cælestem Jerusalem revertuntur.

13. ET VIDI DE ORE DRACONIS. Diaboli. ET DE ORE BESTIÆ. Antichristi. ET DE ORE PSEVDOPROPHETÆ. Bestiæ ascendentis de terra, & summi pontificis religionis Antichristianæ, de quo facta est mentio Apoc. 13. v. 11. SPIRITVS TRES IMMVNDOS. Tres dæmones exeuntes, quorum primus & principalis de ore draconis Luciferi, hoc est, jussu ejus, exibat, alter de ore Antichristi, tertius de ore pseudoprophetæ, quia magi erant; dæmones autem imperio magorum obedire solent. Hi autem tres dæmonum capitanei alios inferiores secum assument, ad perficiendum ea, ad quæ mittuntur. IN MODVM RANARVM. Similes ranis. Ostenduntur autem S. Joanni tres illi archidæmones specie ranarum, ad indicandum eorum immunditiam & imbecillitatem, quia instar ranarum, voce & terriculamentis, amplius quàm viribus, adversus homines valent. Volunt etiam videri incolæ aquarum sicut pisces, ait Beda, sed in limo & cœno juxta ripas inter arundines habitant, id est, carnis spurcitijs, & inquinamentis delectantur.

14. SVNT ENIM SPIRITVS DÆMONIORVM. Undè meritò spiritus immundi appellantur. FACIENTES SIGNA. Falsorum miraculorum & prodigiorum artifices, & ideò maximè idonei, ut per signa & prodigia decipiant homines, & in suam sententiam abducant. ET PROCEDVNT AD REGES TOTIVS TERRÆ. Non tantum ad 7. illos orientales reges, quorum transitui siccabitur Euphrates, sed ad omnes reges & principes per Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem dispersos, ad Indos & Americanos. CONGREGARE ILLOS IN PRÆLIVM. Cum Antichristo adversus Christianos: quod partim occultis suggestionibus, partim per magos ministros suos, & signorum patratores perficient. Dicent enim se esse legatos Dei in forma humana apparentis, hoc est, Antichristi, cui ut se ultrò subijciant, & vires suas cum eo conferant, eloquentiâ, signis, & prodigijs persuadebunt. AD DIEM MAGNVM OMNIPOTENTIS DEI. In quo die Deus magna faciet, & omnipotentiam suam ostendet, quando omnes illos Antichristi, & auxiliariorum exercitus in unum locum & prælium congregatos igne cælesti involvet, & consumet, ut patebit Apoc. 20. v. 9.

15. ECCE VENIO SICVT FVR. Ecce autem ego Deus qui loquor in Joanne, veniam subitò, occultè, & furtim, ut ultimo hoc prælio hostes meos opprimam, quando Antichristus & impij minimè

putabunt, sed se victores esse, & omnia sub pedibus habere credent. Deinde ubi eos oppressero, veniam quoque ad judicium universale, ut rebus humanis finem tandem imponam.

Hic versus autem extra historiæ, quam tractabat, contextum, quasi per parenthesin interijcitur.

BEATVS QVI VIGILAT. In operibus virtutum. Sic Christus, *Vigilate quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit*, Matth. 24. v. 42. ET CVSTODIT VESTIMENTA SVA. Gratiam sanctificantem, quâ tanquam veste candidâ induitur anima; & virtutes, quæ tanquam gemmæ vesti sunt intertextæ. NE NVDVS AMBVLET, ET VIDEANT TVRPITVDINEM EIVS. Et ne Angeli & Sancti videant turpitudinem nuditatis, ac pudenda ejus. Hæc autem sunt deformitates vitiorum, quæ vocantur opera tenebrarum, quia homines in tenebris nocturnis non verentur nudi, aut seminudi turpiter ambulare, qui de die in veste honesta tantum apparent. Unde illud Apostoli, *Sicut in die honestè ambulemus*, ad Rom. 13. v. 13. honestâ scilicet virtutum veste amicti, sicut vestire & ornare se solent, qui in die ambulant.

16. ET CONGREGABIT. Deus tandem in fine totius persecutionis, & omnium bellorum. Redit S. Joannes ad Historiæ contextum, unde v. præced. discesserat. ILLOS. Reges Antichristianos. IN LOCVM QVI VOCATVR HEBRAICE ARMAGEDON. Talis loci nulla mentio in S. Scriptura; quia tamen ex ipso nomine hebraico colligitur, esse locum in terra sancta, videtur esse campus ille magnus in Galilæa, qui passim in Scriptura *Mageddo*, 2. paral. 35. v. 22. & alibi vocatur: in quo Josias Rex Juda olim superatus est à Nechao Rege Egypti, & ubi Barac cecîdit exercitum Sisaræ Ducis Regis Jabin, Judic. 5. v. 19. Vocatur etiam *campus magnus Esdrelon*. Judith 1. v 8. In quo enim loco omnes illi exercitus Antichristi, cujus sedes erit Jerosolymis, poterunt commodiùs congregari, quàm in campo illo spatiosissimo, qui passim in Scriptura, *campus magnus*, appellatur. Habet enim in longitudine decem milliaria, & in latitudine usque ad mare Galilææ & Jordanem extenditur, ut narrat Adrichomius.

Refellitur tamen à quibusdam hæc nostra interpretatio, quia S. Joannes locum illum non *Mageddo*, sed *Harmagedon*, vocat: *Har*, autem hebraicè, montem, non planitiem significat. Sed facile responderi potest, vocari, *Harmagedon*, tamquam montium *mageddo*; quia licèt planities illius campi in se montosa non sit, est tamen montibus & collibus circumdata, ut in illo campo, tanquam in quodam amphitheatro, significentur congregandi omnes illi exercitus.

17. ET

17. ET SEPTIMVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN AEREM. Vt in hoc elemento quædam admiranda operaretur. ET EXIVIT VOX MAGNA. Rem magnam & mundi finem adesse denuntians. DE TEMPLO A THRONO. De templo cælesti, & ab ipso throno, ubi sedebat Deus,ut illi voci, tanquam Dei voci, crederetur. DICENS: FACTVM EST. Actum est de mundo & res humanæ jam jam consummandæ sunt.

18. ET FACTA SVNT FVLGVRA. In testimonium veritatis. ET VOCES, ET TONITRVA. Voces lugubres & articulatæ, finem mundi adesse, & Væ peccatoribus clamantes, inter fulgurum coruscationes, & tonitruorum strepitus. ET TERRÆ MOTVS FACTVS EST MAGNVS. Ad multiplicandum supernè, infernè, & undique terrorem. QVALIS NVNQVAM FVIT, &c. Erit enim terræ motus universalissimus, quo non tantum particularis aliqua regio, sed universus terræ & aquæ globus concutietur. Erit enim à causâ supernaturali voluntariâ & divinâ, inquiunt Albertus & Carthusianus. *Commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra, sicut ebrius*, Isa. 24. v. 19.

19. ET FACTA EST CIVITAS MAGNA IN TRES PARTES. Jerosolyma civitas magna, & Regia Antichristi, illo terræ motu discissa est in tres partes. Jerosolymam enim iterùm ante Apocal. 11. v. 8. vocavit, *civitatem magnam*, in qua Dominus crucifixus est. Undè Aretas dicit appellari, *magnam*, non tam multitudine civium, aut amplitudine mœnium, quàm dignitate & famâ, quâ Christus Dominus illam nobilitavit. ET CIVITATES GENTIVM CECIDERVNT. Si enim vulgaribus terræ motibus civitates sæpè cadant, sicut sub principatu Tiberij (cum Christus esset annorum circiter viginti) duodecim Asiæ urbes unâ nocte prostratæ sunt, ut lib. 2. cap. 84. narrat Plinius, quid fiet illo terræ motu, qualis & quantus à mundi principio nunquam fuit? ET BABYLON MAGNA. Et Roma gentilis, qualis erat tempore isto, quo S. Joannes hanc Apocalypsin scribebat, & qualis iterùm futura est tempore Antichristi. Vide quæ Apocal. 14. v. 8. diximus. VENIT IN MEMORIAM ANTE DEVM. Deus recordatus est Babylonis. Deus, qui nihil oblivisci potest, dicitur alicujus rei recordari, quando illam præmio aut pœna afficit: anteà enim, cum nihil boni aut mali circa illam operaretur, videbatur ejus esse oblitus. DARE ILLI. Ut det & propinet ipsi. CALICEM VINI. Amari & fæculenti. INDIGNATIONIS IRÆ EIVS. Ob peccata sua & tyrannidem, quâ olim, & iterum in fine mundi, tot martyrum sanguinem fudit. Per calicem autem vini sæpè scriptura pœnam significat,

ficat, quam Deus peccatoribus quasi propinat.

20. ET OMNIS INSVLA FVGIT. Evanuit ex oculis, submersa & absorpta terræ motu. Sicuti enim terræ motus novas quandoque insulas in auras evehit (quomodo Rhodon & Delon enatas lib. 2. c. 87. scribit. Plin.) ita etiam easdem aliquando resorbet, & aspectui hominum subtrahit. Sic Atlantidem ingentem in Oceano Atlantico Insulam terræ motu una nocte aufugisse, & Oceano demersam esse, in Critia narrat Plato. ET MONTES NON SVNT INVENTI. Absorpti scilicet eodem terræ motu. Sicuti enim terræ motus spiritu subterraneo plana interdum in montes erigit, ita etiam montosa hiatu terræ condit. Insulæ autem & montes maximè obnoxij sunt terræ motibus ob multas subterraneas cavitates, quibus spiritum terræ motorem facilè accipiunt.

21. ET GRANDO MAGNA, SICVT TALENTVM. Maxima & ingentis ponderis grando, quæ minas, sivè libras atticas 60. ponderaret; talentum enim tot libras atticas comprehendit. Non quòd reverà tanti ponderis futura sit grando, sed quia magni ponderis. Nam Græci talentea vocant, quæcumque magni ponderis sunt. Hæc igitur grando erit instar grandinis Ægyptiacæ, quâ Moyses jumenta & homines in agro repertos occidit, Exodi 9. v. 24. DESCENDIT DE CÆLO IN HOMINES. Tanquam iræ cælestis plaga. Et licet in jumenta quoque, & omnia terræ virentia deciderit; dicitur tamen in homines descendisse, quia homines in omnibus illis etiam percutiuntur, quæ in usus hominum sunt creata. ET BLASPHEMAVERVNT DEVM &c. Impij enim homines sæpè non emolliuntur, sed obdurantur plagis à Deo immissis, optantes eum non esse, omnipotentiæ, & gloriæ ejus invidentes, inquit Chartus. Atque ita non tantum grando, sed etiam peccatum blasphemiæ est simul pœna peccati prioris, quia justo judicio Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito, etiam in aliud cadat, ait Haymo.



CAPVT.

CAPVT XVII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus unus ex septem, qui effuderunt phialas suas, ostendit S. Ioanni meretricem purpuratam, sedentem super bestiam coccineam, quæ habebat capita septem & cornua decem, &c. quorum omnium significationes Angelus ei posteà interpretatur.

Vers. 1.

ET VENIT VNVS DE SEPTEM ANGELIS &c. Cui Deus excidium magnæ meretricis, sive urbis magnæ, quæ sedet super septem montes, commiserat. Si, *unus*, accipiatur hîc, sicut Hebræi sæpè accipiunt pro, *primus*; Angelus iste erit Michaël, qui videtur esse primus & princeps illorum 7. Angelorum, qui effuderunt phialas suas: isti enim Angeli sunt 7. spiritus qui in conspectu throni sunt, Apocal. 1. v. 4. per quos Deus Ecclesiam, & mundum corporeum gubernat, ut aliquoties ante diximus. ET LOCVTVS EST MECVM: Non vocali, sed imaginariâ locutione. DICENS, VENI: Non passibus corporis, sed per attentionem ad ea, quæ dicam. OSTENDAM TIBI: In imagine quadam veluti depictam. DAMNATIONEM MERETRICIS MAGNÆ. Pœnam, ad quam Deus meretricem illam magnam damnavit. Quænam verò sit illa meretrix magna, quam posteà Babylonem vocat, explicatur v. ult. ab Angelo, licèt subobscurè, nempè Roma vetus, inquit Aretas, magni & potentis illius Imperij caput. QVÆ SEDET SVPER AQVAS MVLTAS. Quæ multis populis præsidet; sic enim v. 15. se explicat Angelus. Populi gentium rectè vocantur aquæ, quia molles, effæminati, libidine & omni luxuriâ diffluentes.

2. CVM QVA FORNICATI SVNT. Fornicatione præsertim spirituali, quæ est idololatria: hanc enim Scriptura S. & præsertim Prophetæ, *fornicationem*, appellare solent, quia per idololatriam anima à Deo vero sponso suo alienatur, & Dijs falsis, tanquam adulteris, se prostituit. REGES TERRÆ. Quos in Europâ, Asiâ, Africâ, armis aut fœdere Romana potentia sibi subiecit, quorum provincijs cum Dominatu sæculari, religionem Deorum suorum Roma invehebat, & etiam vicissim Deos provinciales in urbem suas tanquam in publicum lupanar, admittebat. Unde cum penè omnibus dominaretur

gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, ait S. Leo, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. ET INEBRIATI SVNT. Sicut à meretricibus inebriari solent, quos ad libidines suas pellicere volunt. QVI INHABITANT TERRAM. Homines terreni, inhabitantes totam terram Romano Imperio subjectam. DE VINO PROSTITVTIONIS EIVS. Inebriati sunt, inquam, de voluptatum, divitiarum, dignitatum, & commoditatum temporalium dulcedine, quibus exteræ gentes ad Romanorum jura, & religionem suscipiendam alliciebantur.

Hæc tamen ebrietas non eousque valuit, ut Judæos ad idololatriam Romanorum Deorum pelliceret, licèt Herodes vino & amore regiæ dignitatis ebrius, pulso Hircano, Aristobulo, Alexandro, Antigono, & omni stirpe Machabæorum excisâ, Romanis se subjecerit, & regnum à Pompeio Rom. Duce, deinde à Julio Cæs. postea ab Antonio, & denique ab Augusto Cæs. victorum fortunam in bellis civilibus semper secutus, supplex obtinuerit, & juribus ac tributis Romanorum, regnum Judæorum subdiderit.

3. ET ABSTVLIT ME. Angelus. IN SPIRITV. Extasi mentis spirituali, non translatione corporali. IN DESERTVM. Ut nullis aliarum rerum imaginibus distractus, attentiùs, quod ei ostensurus erat, consideraret. Sic etiam infra Apoc. 21. v. 10. Angelus iterùm aufert illum in spiritu, in montem altum, ut illi ostendat uxorem Agni. ET VIDI MVLIEREM. Quam paulò ante, meretricem magnam vocavit. SEDENTEM SVPER BESTIAM COCCINEAM. Tinctam colore coccineo, quem *Scharlaken* vulgò appellamus. Coccum enim est granum, quo vestes colore tali ruberrimo, & plusquam sanguineo tinguntur.

Bestia autem ista coccinea est draco rufus & magnus, Apocal. 12. v. 3. sivè, diabolus sanguine Martyrum, & torturâ Sanctorum rufus & coccineus.

PLENAM NOMINIBVS BLASPHEMIÆ. In fronte, & undique gerens & ostentans inscripta nomina blasphemiæ, adversus Deum, & Sanctos ejus. Adjectivum, *plenam*, non ad *mulierem*, sed ad *bestiam* referendam esse, ex Græco patet. Aliter tamen videtur accepisse S. Hieronymus, lib. 2. contra Jovin. quando Vrbem Romam alloquens, ait: *Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delevisti.* Roma enim est mulier, non bestia coccinea. Nisi tamen S. Hieronymus ad v. 5. respexerit, ubi mulier dicitur gestare in fronte nomen Babylonis. HABENTEM CAPITA SEPTEM, ET CORNVA DECEM. Quid significent illa bestiæ capita & cornua, Angelus v. 9. & 12. explicabit.

4. ET

4. ET MULIER ERAT CIRCUMDATA PURPURA. Stola purpureâ, tanquam regina. ET COCCINO. Paludamento coccinei coloris. ET INAURATA AURO. Quod purpuræ, & paludamento intextum erat, opere phrygio. ET LAPIDE PRETIOSO. Adamante, smaragdo, pyropo, &c. ET MARGARITIS. Gemmis, quæ propriè lapides non sunt, sed succus, qui concrescit in concharum valvulis.

Describit reginam pretiosissimis vestibus, & omni ornatu ac pompa ad omnem sæculi luxum & vanitatem circumdatam, qualis fuit olim Roma, ubi extra Italiam in Græciam & Asiam produxit Imperium: cum Græcis enim & Asianis devictis luxus & superbia intravit in Urbem & Italiam, quod Romani historici sæpè conqueruntur. Talis verò Roma iterum sub finem mundi, & tempore Antichristi creditur futura.

HABENS POCULUM AUREUM IN MANU SUA. Ut tam divite & præclaro poculo omnes gentes ad ebrietates, & fornicationes suas, id est, ad Deorum suorum idololatriam, ad omnia scelera & flagitia Romæ tunc triumphantis invitet. PLENUM ABOMINATIONE (Græcè *abominationibus*) ET IMMUNDITIA FORNICATIONIS EIUS. Philtro quodam, & potione amatoriâ, quâ omnes ad abominanda flagitia sua, fornicationes & idololatrias alliciebat. Cæteræ enim gentes, potentiam, magnificentiam, & opes Rom. tunc Urbis admirantes, certatim ad amicitiam, & Sacra Romanorum, spe aut metu, convolabunt.

5. ET IN FRONTE EIUS NOMEN SCRIPTUM. Palàm, & sine pudore nomen suum, & qualis esset, profitens, quod impudentissimæ meretrices olim solent. MYSTERIUM. Attende, nam mysterium latet in nomine, quod fronti inscriptum gerit. Itaque hæc vox *mysterium*, non est nomen mulieris, sed per parenthesin interijcitur à S. Joanne, vel ab Angelo ei loquente, ne quis putaret, nomen, quod mox dicet, esse verum nomen mulieris, sed solum mysticum, sub quo verum nomen adumbratur. BABYLON MAGNA. Hoc est nomen, quod ipsa in fronte gerit: hoc enim nomine Romam ethnicam Apostoli vocabant, ut Apocal. 14. v. 8. diximus. Babylon enim & Roma ethnica, amplitudine regni, idololatriâ, superbiâ, luxu, persecutione Sanctorum fuerunt simillimæ.

Notat quoque S. Augustinus lib. 18. cap. 22. Civ. Dei, quod Deus per duo ista, Babylonis & Romæ, latissima Imperia voluerit orbem terræ in unam societatem Reipubl. pacare & colligere, ut scilicet filio suo in orbem venturo, mores hominum paulatim ad huma-

nitatem

nitatem disponeret. Undè ibidem cap. 27. notat, quod circa principia Babylonis Orientalis à Nino conditæ, factæ fuerint Abrahamo apertissimæ promissiones, de benedicendis in semine ejus omnibus gentibus. Sub tempus verò, quo Babylon occidentalis (sic ipse Romam vocat) à Romulo condita est, regnante apud Judæos Achas, aut filio ejus Ezechiâ, tunc Isaias, Osee, Joël, Amos, Michæas, & alij Prophetæ, de Christo apertiùs, & loqui, & etiam scribere inceperunt. Tunc enim oportebat, inquit S. Augustinus, scribere, quod gentibus prodesset, quando illa civitas, quæ gentibus aliquando imperaret, & quâ imperante Christus venturus erat condebatur.

MATER FORNICATIONVM. Quæ fecit tot gentes Imperio suo subditas fornicari, & idololatrari cum Dijs suis.

Hoc etiam in veterem illam Orientis Babylonem maximè quadrat, quæ principium idololatriæ toti mundo dedisse putatur, quando primum Regem suum Belum (quem multi Nemrod, qui cœpit esse potens in terra, & venator robustus fuit coram Dominò, Gen. 10. v. 8. & Jovem gentilium fuisse existimant) instituit pòst mortem, tanquam Deum adorare.

ET ABOMINATIONVM TERRÆ. Omnis luxus, scelerum, & flagitiorum, quæ à capite Romá in omnes terræ Provincias Romanorum Imperio subiectas, dimanaverunt.

6. ET VIDI MVLIEREM EBRIAM DE SANGVINE SANCTORVM. Saturam & repletam sanguine Sanctorum à se fuso. Sicut enim Tyranni, qui sanguini fundendo inhiant, dicuntur per metaphoram sitire, haurire, & bibere sanguinem: ita qui plurimum sanguinem effuderunt, dicuntur metaphoricè sanguine inebriati. ET DE SANGVINE MARTYRVM JESV. Hinc patet, S. Joannem potiùs loqui de tempore futuro, quàm de præterito & præsenti. Nam eo tempore, quo Apocalypsin scribebat, parum adhuc sanguinis Martyrum Jesu Christi, sub solo Nerone & Domitiano Roma effuderat. Rivi autem & flumina sanguinis Christiani, quibus inebriata est Roma, sub generalibus sequentium Imperatorum persecutionibus, demùm effusa sunt; & maximè in decima & ultima generali Diocletiani & Maximiani persecutione circa annum Christi 300. Undè omnes isti decem sanguinarij Cæsares significati sunt per equum rufum, Apoc. 6. v. 4 ut ibi dictum est. ET MIRATVS SVM, CVM VIDISSEM ILLAM. Tali monstrosæ bestiæ insidentem, tali veste, luxu, pompâ circumdatam, sanguine madentem & ebriam.

7. EGO

7. EGO DICAM TIBI SACRAMENTUM. Græcè, *mysterium*; quod vocabulum retinuit Interpres Latinus suprà v. 5. MULIERIS ET BESTIÆ. Explicabo tibi, inquit Angelus, rem mysticam & arcanam, quæ latet sub figura illius mulieris, & bestiæ cornutæ, & septicipitis, quæ mulierem portat.

8. BESTIA, QUAM VIDISTI, FUIT. Olim potens & imperans toti mundo, & talis rursùm erit in fine mundi sub regno Antichristi. Juxta hunc loquendi modum dixit Poëta: *Nos fuimus Troës, fuit Ilium & ingens gloria Dardanidum.* Diabolus enim, qui in ista bestia figuratur, toti mundo dominabatur, ante Christi adventum. ET NON EST. Imperio dejecta, & nullius potentiæ jam est, comparatione ejus, quod ante fuit. Venit enim Christus fortior, & alligavit fortem, & vasa ac arma ejus diripuit, Matt. 12. v. 29. Undè dicitur ligatus per mille annos, & missus in abyssum, clauso & signato super illum abyssi ostio, infra Apoc. 20. v. 3. ET ASCENSURA EST DE ABYSSO. Et tamen iterùm posteà ascendet de abysso, & redibit super terram, licet modico tempore, ut dicet S. Joannes loco cit. ET IN INTERITUM IBIT. Ac tandem post modicum illud tempus remittetur in abyssum, & interitum æternæ damnationis, unde nunquam amplius exibit. ET MIRABUNTUR. Tantam, & tam subitam mutationem potentiæ in impotentiam, felicitatis in miseriam. INHABITANTES TERRAM. Diaboli & Antichristi asseclæ, qui non minus affectu animorum, quam habitatione corporum terræ inhærent. Unde sequitur: QUORUM NON SUNT SCRIPTA NOMINA. Per æternæ prædestinationis decretum. IN LIBRO VITÆ. In æterni Patris memoria, cui ad vitam æternam electi inscribuntur. A CONSTITUTIONE MUNDI. A condito mundo, sive ab omni retrò tempore, imò ante omne tempus, & ab æterno, quia Deus memoriæ suæ libro aliquid incipere inscribere in tempore non potest, quia est immutabilis. VIDENTES BESTIAM, QUÆ ERAT. Diabolum, qui paulò ante sub regno Antichrist. & in ipso Antichristo principali suo instrumento, tam potens erat. ET NON EST. Quando scilicet tandem in fine, Antichristo, & omnibus ejus exercitibus, ac universis diaboli instrumentis à Christo devictis, Apoc. 19. v. 20. & Apoc. 20. v. 9. potentia ejus tam imbecillis, & prorsus nulla apparebit.

9. ET HIC EST SENSUS. Græcè, *hic est mens*, ut vertit Eras. nam particula, *hic*, non est pronomen sed adverbium, quo Angelus S. Joanni ostendit bestiæ, & mulieris insidentis imaginem. QUI HABET SAPIENTIAM. Qui sub hac imagine, & in fundo, magnam habet reconditam sapientiam; sivè, ad cujus mysterium intelligendum opus est magnâ

& profundâ sapientiâ. SEPTEM CAPITA, bestiæ, SEPTEM MONTES SVNT. Significant 7. montes. SVPER QVOS MVLIER SEDET. Quibus imposita est Babylon, sive Rom. civitas; nam Roma olim ædificata est super 7. colles, Capitolinum, Palatinum, Cœlium, Esquilinum, Viminalem, Quirinalem, & Aventinum; unde versus Propertij:

Septem urbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi.

Constantinopolis tamen, quæ olim nova Roma vocata fuit, est etiam septicollis. Unde, si cætera responderent, per mulierem bestiæ septicipiti, aut septicolli insidentem, possemus commodè Constantinopolim interpretari. Sic etiam faciliùs intelligeretur, quomodo urbs ista, quæ sub figura mulieris meretricis S. Joanni repræsentatur, rursus ad idololatriam, circa finem mundi, deficiet: hoc enim de Constantinopoli longè apparet verisimilius, quam de Roma. Deinde Apocal. 18. v. 17. dicitur, quod nautæ & negotiatores maris lugebunt incendium hujus civitatis; & v. 19. dicuntur in ea facti divites omnes, qui habebant naves in mari. Quod in nullam civitatem melius competit, quam Constantinopolim, quæ mercimonijs ditissima, & frequentissima est in toto orbe, propter portuum & sitûs commoditatem, quâ Asiæ & Europæ mercimonia & divitias conjungit. Tanta deniq; omnium, quæ terrâ mariq; proveniunt, rerum ibi abundantia, ut incredibile sit, nisi Petrus Gilius, qui sæculo elapso Constantinopoli habitavit, & historiam scripsit, alijque testes oculati fidem facerent. Undè civitas ista toties eversa semper tamen reædificata fuit; cum Carthago, Corinthus, Athenæ, & tot alia toto orbe olim celeberrima emporia, semel aut iterum eversa, manserint in ruinis. Romam verò, inquit Gilius, Sanctitas Petri potiùs, quàm naturalis situs conservat, cum mari portuoso careat. Cæteræ igitur urbes, inquit, sunt mortales, Constantinopolis verò, quàmdiu erunt homines, futura mihi videtur immortalis.

Itaque cap. sequenti videbimus, an saltem postquàm sedes Imperij, relictâ Româ, à Constantino Magno Constantinopolim translata fuit, hæc civitas non successerit in nomen & fortunam Babylonis, sive Romæ, quæ ad idololatriam redibit, & comburetur sub regno Antichristi.

ET REGES SEPTEM SVNT. Et ista etiam septem capita bestiæ significant 7. Reges. Beda, Rich. Carthus. & multi veteres particulam, *&*, non copulativè, sed explanativè accipiunt, ut significet idem, quod, *id est*, quasi 7. montes non sint aliud, quàm 7. Reges, ob

ob tumorem superbiæ montibus præcelsis adæquati, ait Beda.

Sed plures interpretes melius separant 7. montes à 7. regibus: ut montes sint propriè dicti montes, sive colles quibus inædificata est Babylon, sive Romana Civitas, & reges septem sint alij ab istis montibus. Unde 7. illa capita bestiæ, non rem unam, sed duas significant; nempe septem montes, & reges septem.

Quinam verò isti 7. reges sint, summa obscuritas, & difficultas est. Plurimi interpretes, dicunt esse 7. regimina, seu magistratus mundani status septem ætatum mundi, qui persecuti sunt Sanctos ab orbe condito usque ad Antichristum. Primus enim est ab Adamo usq; ad diluvium, secundus à diluvio usque ab Abrahamum, tertius ab Abrahamo usq; ad Davidem, quartus à Davide usque ad captivitatem Babylonicam, quintus à captivitate Babylonica ad Christum, sextus à Christo usque ad Antichristum, septimus ab Antichristo ad mundi finem. Hos magistratus 7. ætatum mundi tanquam 7. capita, gestat bestia sive diabolus, quia per eos, tanquam per diabolica instrumenta persecutus est, persequitur, & persequetur Sanctos.

Verum hæc communis interpretatio incommodum istud habet, quod Babylon, sive Roma, videatur, sicuti septem montibus, ita etiam septem regibus istis insidere; Roma verò non præsedit Magistratibus, qui persecuti sunt Sanctos in omnibus septem ætatibus mundi.

Unde quidam interpretes, ut hoc incommodum evitarent, per mulierem bestiæ insidentem, non Romam, sed generatim intelligunt civitatem diaboli, sivè congregationem malorum, quæ per omnes ætates à principio mundi ad finem, pugnat cum civitate Dei.

Sed mulierem istam non esse generaliter civitatem malorum, sed determinatam aliquam urbem, patebit infrà v. 16. & postea Apoc. 18. v. 9. 10. &c. ubi dicitur comburenda igni.

Itaque concinnius, & verisimilius fortasse dicetur quod sicut per 7. capita bestiæ, Angelo interprete, significantur 7. montes, quibus Rom. civitas imposita est; ita per eadem 7. capita significentur septem diversa ejusdem urbis regimina & status, quibus portata, & tandem elevata est ad illam potentiam, & imperium orbis. Primum regimen fuit sub regibus (qui etiam numero 7. fuerunt) ab Romulo usque ad Tarquinium superbum. Secundum sub Consulibus, 3. sub Decemviris, 4. sub Tribunis militum consularibus, 5. sub Dictatoribus: nam Cornelius Sylla Dictaturam diuturnam, I. Cæsar perpetuam fecit, 6. sub Cæsaribus seu Imperatoribus. Horum sex regimnum

 brevis-

breviſſimam numerationem, initio Annal. ſuorum, Corn. Tacitus facit. Reſtat verò regimen ſeptimum, quod in fine mundi ſub Antichriſto erit, qui totius Orbis Rom. & terrarum Imperium ad ſe trahet.

10. QVINQVE CECIDERVNT. Juxta communiorem Interpretum opinionem, magiſtratus quinque primarum ætatum mundi jam interierunt; aut certè, juxta id quod ſtatim diximus, quinque primi Rom. civitatis ſtatus & regimina ceciderunt, & evanuerunt hoc tempore, quo S Joannes ſub Cæſ. Domitiano ſcribebat Apocalypſin. VNVS EST. Unus autem qui eſt ſextus ex illis 7. regibus, adhuc durat, nempè Magiſtratus impiorum, qui affligunt Sanctos in hac ſexta ætate mundi, quæ ab adventu Chriſti extenditur uſque ad Antichriſtum. Vel certè, ſextus Vrbis, ſive Imperij Rom. ſtatus, & regimen ſub Cæſaribus jam eſt, & currit, uſque ad Antichriſtum, juxta illud Apoſtoli, *Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus*, 2. ad Theſſ. 2. v. 8. ET ALIVS NONDVM VENIT. Septimus & ultimus, qui eſt Antichriſtus, nondum in mundum venit.

Hinc patet, quod quando S. Joannes alibi dicit, Antichriſtus *venit, & nunc iam in mundo eſt*, 1. Joan. 4. v. 3. non intelligat Antichriſtum veniſſe n propria, ſed tantùm in præcurſorum ſuorum perſona, ſicut Elias venit in Joanne Bap. Matt. 17. v. 12.

ET CVM VENERIT, OPORTET ILLVM. Ex provida, & ſapientiſſima Dei ordinatione, quia tribulatio & ſævitia regni ejus tam acerba erit, quod *niſi breviarentur dies eius, non fieret ſalva omnis caro*, Matt. 24. v. 22. BREVE TEMPVS MANERE. Regnabit enim tantùm per tempus, & tempora, & dimidium temporis, ſive 3. annos cum dimidio, Dan. 7. v. 25. hoc eſt per menſes 42. Apoc. 13. v. 5.

11. ET BESTIA, QVÆ ERAT, ET NON EST. Diabolus, ut v. 8. diximus. ET IPSA OCTAVA EST. Et quidem quoad perſonam diverſa eſt à ſeptem illis regibus, adeoque, ſi ijs connumeretur, erit octava. ET DE SEPTEM EST. Sed tamen virtute & energiâ eſt ex 7. regibus, quia in illis ſeptem operatur, & maximè in ultimo rege Antichriſto, cujus ſpiritus quaſi & anima erit diabolus. Quidquid enim Rom. urbis, vel totius Orbis terræ Magiſtratus, à condita Urbe, vel ab orbe condito, idololatriæ, impietatis, & ſævitiæ in Dei ſervos admiſerunt, hoc totum, operante in ipſis beſtiâ, ſivè inſtinctu diaboli perpetrarunt. ET IN INTERITVM VADIT. Et tamen, licèt tam diu potentiâ ſuâ magnâ, præſertim ante Chriſti adventum, & in fine ſæculi ſub Antichriſto, uſus fuerit; in Divinæ tamen prædeſtinationis decreto vadit in interitum æternæ damnationis, carceribus inferni recludendus.

12. ET

12. ET DECEM CORNVA, DECEM REGES SVNT. Diversi à 7. prioribus regibus, qui per 7. capita significabantur. QVI REGNVM NONDVM ACCEPERVNT. Sed tantum sub finem mundi accepturi sunt. Sunt enim illi decem reges, in quos Rom. Imperium erit divisum, quando veniet Antichristus. SED POTESTATEM TANQVAM REGES. Particula, *tanquam*, potest esse veritatis & identitatis, ut significet, verè futuros reges, re & nomine. Potest etiam esse particula similitudinis tantum, ut potestate solâ, non nomine, quidam inter eos sint futuri reges. Sic hodie magnus Dux Etruriæ, magnus Dux Moscoviæ, potestate tanquam reges sunt, licèt regio nomine non insigniantur. VNA HORA ACCIPIENT. Brevi tempore. POST BESTIAM. Non tempore sed dignitate post bestiam. Græcè, *cum bestia*; quomodo Erasmus & Arias vertunt: simul enim regnabunt cum bestia, sive cum diabolo in suo Antichristo dominante, attamen tanquam assecclæ ejus, & reges minores cum rege majori, quem potestate sequentur, & à quo dependebunt. Unde sequitur.

13. HI VNVM CONSILIVM HABENT. Quo simul cum Antichristo conspirant contra Christi Ecclesiam. ET VIRTVTEM ET POTESTATEM SVAM. Verti etiam potest: *& potentiam, & auctoritatem suam.* Ut potentia bellica, & auctoritas regiæ jurisdictionis intelligatur. BESTIÆ TRADENT. Tres enim ex illis, regem Ægypti, Africæ & Æthiopiæ humiliabit Antichristus, & victi se illi tradent, Dan. 7. v. 24. & Dan. 11. v. 43 reliqui vero septem timore perterriti, se ultrò illi tradent, ut Apoc. 12. v. 3. dictum est.

14. HI CVM AGNO PVGNABVNT. Persequendo, & pugnando adversus Sanctos, qui sunt membra Agni, sive Christi. ET AGNVS VINCET ILLOS. In unum exercitum congregatos in campo *Armagedon*, Apocal. 16. v. 14. & 16. ubi omnes illos reges cælesti fulmine perdet, Apoc. 20 v. 9. QVONIAM DOMINVS DOMINORVM EST. Quia Deus est, & proinde Dominus super omnes Dominos. ET REX REGVM Cujus proinde potentiæ reges illi resistere non poterunt. ET QVI CVM ILLO SVNT. Qui in ijsdem quasi castris cum Agno, non tam inferendo, quàm subeundo mortem pro Agno, militant, vocati per gratiam ad fidem. ELECTI. Ad vitam & regnum æternum. ET FIDELES. Regi suo Agno sunt, pro quo mortem potiùs oppetunt, quàm fidem ejus negent.

15. AQVÆ QVAS VIDISTI. Supra v. 1. VBI MERETRIX SEDET. Tanquam in solio, & veluti eis imperans. POPVLI SVNT, ET GENTES, ET LINGVÆ. Sunt diversarum nationum & linguarum populi.

Olim enim Latinis, Græcis, Barbaris, & hodie innumeris populis linguâ discrepantibus imperat Roma nova, sive Constantinopolis. Per aquas autem rectè designantur populi, ait S. Gregorius hom. 8. in Ezech. quia in vita sonum habent ex tumultu carnis, & quotidie defluunt ex decursu mortalitatis.

16. ET DECEM CORNVA, HI ODIENT FORNICARIAM. Decem reges significati per 10. cornua, odio habebunt, & armabuntur adversus Romam, idololatram & impiam. ET DESOLATAM FACIENT ILLAM. Exscindent illam, & redigent in solitudinem. Undè satis colligitur, hanc Babylonem esse certam aliquam civitatem, non universim civitatem Diaboli, sivè generalem improborum congregationem, quam illi reges impij in solitudinem redigere non possunt, cum ipsimet illius congregationis pars sint. ET NVDAM. Mœnibus & defensoribus tanquam vestibus spoliatam. ET CARNES EIVS MANDVCABVNT. Omnem ejus substantiam diripient & devorabunt. Cum enim civitas ista opulentissima, sub specie pinguis & opimæ mulieris S. Joanni repræsentetur, opes ejus valdè concinnè, *carnes ipsius* appellat, quas devoraturi sunt illi reges, postquam eam mœnibus, & defensoribus nudaverint.

Alij tantùm hyperbolem esse volunt, quâ magnum odium in illam urbem exscindendam significetur. Qui enim alterum valde odit, dicitur velle comedere & devorare illum.

ET IPSAM IGNI CONCREMABVNT. Ac tandem devoratis ejus carnibus, sivè expilatis, auro, argento, & omnibus ejus divitijs, residua tandem ædificia, tanquam cadaveris ossa incendio absument.

17. DEVS ENIM DEDIT IN CORDA EORVM. Deus providentiâ suâ urbem istam ad illas divitias & gloriam provehens, occasionem dedit, unde reges illi odium, invidiam, & animum illam diripiendi & exscindendi conciperent. UT FACIANT, QVOD PLACITVM EST ILLI. Græcè, *facere sententiam eius*. Ut faciant & exequantur sententiam, quam placuit Deo de illâ civitate perdendâ ferre. UT DENT REGNVM SVVM BESTIÆ. Ut regiam suam potentiam, & vires bellicas conferant in Antichristum, ad Babylonis excidium, & alia communibus armis patranda, quæ sequuntur.

Hinc probabiliter colligitur, Romam non esse exscindendam antè Antichristi adventum, ut quidam tamen putant.

Nomen, *bestia*, quod v. 3. & deinceps, tribuit draconi rufo, sive diabolo, nunc tribuit Antichristo, quia diabolus & Antichristus sunt

sunt quasi una bestia, cum spiritus diaboli Antichristum inhabitet, & quasi eum animet.

DONEC CONSVMMENTVR VERBA DEI. Donec usq; ad finem compleantur divinæ prophetiæ, apud Danielem, & alios Prophetas, de exscindenda Babylone, & ultimâ mundi catastrophe.

18. ET MVLIER QVAM VIDISTI. Ut adhuc evidentius cognoscas, quænam illa sit. EST CIVITAS MAGNA, non solum mœnium ambitu, sed maximè potentiâ, & imperij amplitudine. QVÆ HABET REGNVM SVPER REGES TERRÆ. Quæ imperat Regibus terræ, quos habet sibi tributarios, & quibus regna sua tribuit, tanquam vasallis. Sic eum Herodes Ascalonita, & filij ejus Archolaus, & Herodes Antipas Joannis Bap. decollator, & Christi derisor, ab Augusto Cæs. Herodes Agrippa S. Jacobi interfector, à Cæsare Caligula, deinde à Claudio, regnum Iudææ acceperunt, & alij alibi reges à Senatu Rom. vel à Cæsaribus.

Vndè clarum erat S. Ioanni, Romam sui temporis, ab Angelo istâ periphrasi designari.

CAPVT XVIII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incendium & excidium Babylonis describitur. Casum ejus deplorant mercatores, nautæ, & quicumque cum ea negotiabantur. Sancti è contra exultant, victoriæ triumphum, & epicinia cantant.

vers. 1.

ET POST HÆC VIDI ALIVM ANGELVM. Diversum quidem ab eo, qui cap. præcedenti mysterium bestiæ, & meretricis S. Ioanni exposuit; sed tamen verisimiliter ex numero illorum 7. Angelorum qui phialas suas in terram effuderant, Apocal. 16. v. 1. Sunt enim 7. principes Angelorum, per quos Deus hunc mundum inferiorem gubernat. DESCENDENTEM DE COELO. Ut ostenderet, se à Deo missum; ad exequendam sententiam in cælo latam contra Babylonem. HABENTEM POTESTATEM MAGNAM. Faciendi magna sibi commissa à Deo, quam S. Ioannes ex majestate & splendore circumfuso facilè conijciebat. ET TERRA ILLVMINATA EST A GLORIA EIVS. Tantus enim erat splendor gloriæ, ut instar solis totam terram illuminaret.

2. Et

2. ET EX CLAMAVIT IN FORTITVDINE. Voce forti, ut Domini sui iram & indignationem exprimeret adversus Babylonem. Aut certè, quasi triumphum & epicinia canens mox evertendæ Babylonis. CECIDIT, CECIDIT BABYLON MAGNA. Tam certò jam jam cadet quàm si cecidisset. Imitatur verba Isaiæ 21. v. 9. qui de antiqua & orientali Babylone vaticinatus est, quod de nova, & occidentali hîc vaticinatur Angelus. Vide, quæ Apocal. 14. v. 8. ad similia verba diximus. ET FACTA EST HABITATIO DÆMONIORVM. Illa civitas, quæ tantâ mercatorum, & omnium hominum frequentiâ habitabatur, jam ad solitudinem redacta est, & in ea tantum lemures & dæmonia habitant. ET CVSTODIA OMNIS SPIRITVS IMMVNDI. Facta est receptaculum immundorum spirituum, qui in taunorum, satyrorum, hircorum, & pilosorum formis, fœminas simplices & agrestes olim ad libidinem sollicitabant, & pro Dijs agrestibus haberi volebant. Hodie autem cum sagis & veneficis tripudia, convivia, & diabolicam idololatriam in talibus locis desertis exercent. ET CVSTODIA OMNIS VOLVCRIS IMMVNDÆ, ET ODIBILIS. Et receptaculum draconum, struthionum, bubonum, & vlularum, quæ in desertis ædificijs habitare solent; quas aves, tanquam ferales, in odio & horrore homines habent.

Alij volucres immundas intelligunt, quibus vesci prohibitum erat Iudæis, ut aquilam, accipitrem, bubonem, onocratulum, herodionem, upupam, vespertilionem, &c. quæ describuntur Levit. 11.

Similem desolationem veteris Babylonis minatur Isaias: *Requiescent,* inquit, *ibi bestiæ, & replebuntur domus draconibus, habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ*, Isa. 13. v. 21. & 22. & alius Propheta de eadem Babylone evertenda, *Habitabunt dracones cum faunis, ficarijs*, Ierem. 50. v. 39. Sic celeberrima olim emporia, Corinthus, Athenæ, Ephesus, ignobiles nunc vici sunt, & inter Ephesinæ urbis, ac templi Dianæ (quod olim fuit inter septem miracula mundi) rudera, latitant hodie latrones, qui viatores ex illis latebris adoriuntur, ut testantur, qui nuper eo peregrinati sunt.

3. QVIA DE VINO IRÆ FORNICATIONIS EIVS. De calice vindictæ, quem Deus iratus propinat idololatris, & fornicatoribus, quos ipsa seducit. BIBERVNT OMNES GENTES. Rom. Imperio subjectæ, ad quas idololatria, & scelera omnia, ab arce Imperij Româ, defluxerunt. ET REGES TERRÆ CVM ILLA FORNICATI SVNT. Principes Romani orbis tributarij, aut societate aliqua cum Rom. Republica connexi, ea occasione fornicati sunt fornicatione spiri-

ſpirituali, falſa Urbis Rom. Numina colendo. Fornicatione carnali etiam Reginæ quædam, ut regina Ægypti Cleopatra, M. Antonij concubina, Romanis principibus, propter eorum potentiam, ſe proſtituebant. ET MERCATORES TERRÆ. Qui olim undiq; ex univerſa terra Rom. Imperio ſubjecta, merces in illam urbem invehebant. DE VIRTVTE DELICIARVM EIVS. Propter vim & abundantiam deliciarum omnis generis, quibus Romani viri & fæminæ inſatiabiliter delectabantur, & quas mercatores eò certatim comportabant, & in fine ſæculi iterum facturi ſunt. DIVITES FACTI SVNT. Nam quidquid terrâ mariq́ue ad gulæ delicias, & conviviorum luxum, ad veſtium pompam & ornatum, ad ſpectacula Circi, & amphitheatrorum, &c. extrahere & adducere poterant, cariſſimo pretio ditiſſimis & earum rerum avidiſſimis hominibus vendebant.

4. ET AVDIVI ALIAM VOCEM DE CŒLO. Hanc vocem non in aëre auditam, ſed in interioribus animæ viribus S. Joanni ab Angelo impreſſam, ut ſpirituali ſolùm auditu perciperet, ait Carthuſ. ſic enim Deus & Angeli plerumq́ue loqui ſolent Sanctis, & ſpiritualibus hominibus. DICENTEM. Ut S. Joanni repræſentaretur, quid verbi divini præcones, aut Deus per gratiam ſuam, vel per Angelos, intellectum illuminando, dicturus ſit fidelibus, qui tunc temporis erunt Romæ. EXITE DE ILLA POPVLVS MEVS. Fideles, & electi mei: ſic etiam olim de veteri evertendâ Babylone exire jubentur: *Recedite de medio Babylonis*, Jerem. 50 v. 8. Loth de Sodomis, Gen. 19. v. 12. Sic etiam ex Jeroſolymâ à Tito Cæſ. evertendâ ſancti & juſti, qui tunc in ea erant, Dei oraculo moniti ſunt, ut in civitatem Bellam trans Jordanem migrarent, ſicut narrat Euſebius. UT NE PARTICIPES SITIS DELICTORVM EIVS. Sæpè enim non tantum pœna, ſed etiam culpa quodam contagio afflat bonos, qui inter malos, ut Catholici, inter hæreticos, habitant. Unde quia ſemper mente & animo de congregatione malorum exire oportet, & cavere, ne peccatum eorum nobis placeat; quandoq́ue neceſſarius eſt receſſus, etiam corporalis, maximè fidelibus infirmis, qui aliorum malitiâ facilè maculantur, ait Carthuſ. Imò Eſtius addit, vel nullos vel paucos excuſari, quo minus à manifeſta & pernicioſa malorum ſocietate, qualis eſt, inquit, hæreticorum, ſecedant. Neceſſitas autem egeſtatis, inquit, quam ferè prætendere ſolent, potiùs excuſat, ut minùs peccent, quàm, ut omninò à culpa ſint liberi. Paucorum enim ea eſt perfectio, ut ſine periculo inter malos verſari poſſint: perfecti autem, ait, vix ſine ſcandalo

dalo imperfectorum versari possint.

Prudenter igitur dispiciendum est, an reverà periculum perdendæ animæ subsit, quæ potior nobis esse debet, quàm omnes opes, & vita corporalis: deindè perpendendum est, etiam, an ex recessu Catholicorum Ecclesia non majus detrimentum sit acceptura.

ET DE PLAGIS EIVS NON ACCIPIATIS. Et ne etiam plagis, & pœnis eorum simul involvamini. Solent enim publicæ clades bonos cum malis simul involvere.

5. QVONIAM PERVENERVNT PECCATA EIVS VSQVE AD COELVM. Tantâ mole in altum excreverunt, ut cælum ipsum tangant, nec Deus Amplius dissimulare possit quin ea videat, & puniat. ET RECORDATVS EST DOMINVS INIQVITATVM EIVS. Videbatur anteà non videre, nec recordari; sed ubi sic excreverunt, videre, & recordari incœpit, ut puniret. Quando enim Deus præmiat bona, aut punit mala, dicitur eorum recordari.

6. REDDITE ILLI. Hæc Angeli vox est ad Sanctos, qui martyrio, aut aliter malè tractati sunt sub tyrannide Babylonis. SICVT ET IPSA REDDIDIT VOBIS. Hebræi, *reddere*, pro, *dare*; *repromittere*, *retribuere*, pro, *promittere*, *tribuere*, sæpe usurpant: *si reddi retribuentibus mihi mala*, Psal. 7 Sicut igitur tormentum dedit vobis Babylon; ita vice versa, vos, non manibus, sed orationibus ad Deum judicem, & per divinæ sententiæ approbationem ei tormentum reddite. Licèt enim malum pro malo reddere non liceat, zelo propriæ vindictæ, 1. Pet. 3. v. 9. possumus tamen orare, ut Deus ad gloriam suam officio justi judicis fungatur, & scelera in nos & ipsum commissa vindicet, non tantum in futura vita, ubi non est amplius medicinæ locus; sed etiam in præsenti, ut impij pœnis medicinalibus vel sanentur, vel citò ex hoc sæculo auferantur, ut posteà mitiùs puniantur in inferno. ET DVPLICATE DVPLICIA. Pro tormentis majoribus & duplicibus, quibus vos afflixit, reddite ei etiam tormenta duplicata. SECVNDVM OPERA EIVS. Sicut opera ejus merentur. IN POCVLO, QVO MISCVIT, MISCETE ILLI DVPLVM. In calice doloris, in quo vinum amaritudinis cum fæcibus suis vobis miscuit, & propinavit, non tantùm simplum, sed duplum miscete, ut duplo, id est, multo amplius afflictionum temporalium sentiat, quam vobis intulit. Nam licet amaritudo illa duplicata excedat afflictiones Sanctorum, non tamen excedit meritum peccatorum ejus: nam benignus Dominus non suprà, sed infra id, quod justum est, punit, inquit Aretas.

Quidam

Quidam tamen, ut Richardus, Carthusianus, & alij, pœnas duplicatas intelligunt æternas, quas patientur impij pro pœnis temporalibus, quibus Sanctos afflixerunt.

7. QVANTVM GLORIFICAVIT SE. Superbivit, & in altum se contra Deum extulit. ET IN DELICIIS FVIT. Voluptatibus Tactus, Gustus, & omnium sensuum corporis, quibus Roma ethnica immersa fuit, præsertim post Græciam & Asiam subjugatas, quando gentes illæ delicijs jam olim assuetæ, corruptos & effeminatos suos mores intulerunt Italiæ. In fine autem mundi cum idololatria iterum similis lascivia, & corruptela morum redibit. TANTVM DATE ILLI TORMENTVM. Cruciatum. ET LVCTVM. Tristitiam quæ ex tormento resultat, sicut vana lætitia ex superbia animi & delicijs.

Loquitur autem de tormento & luctu inferendis Babyloni per incendium, & eversionem ejus à decem Regibus. Si vero tormentum & luctus, quos impiæ civitatis homines in altera vita perpessuri sunt, intelligerentur; non solùm tanti, sed longè majores intensivè & extensivè sunt, quam omnes deliciæ vitæ mortalis: licèt non sint majores quam peccata eorum in Deum infinitæ Majestatis commissa mereantur.

Undè si præsentem locum de tormento & luctu infernali (sicut quidam faciunt) interpretemur; non significatur æqualitas inter delicias hujus vitæ, & pœnas inferni, sed proportio quædam, juxta quam acrius punietur, qui magis in delicijs fuit, cæteris paribus, inquit Carthus.

Ex hoc autem loco non solidè quidam probant, quod parvuli sine Baptismo decedentes, non puniantur pœnâ sensus; quia quantum ad propriam personam, in nullis hujus vitæ delicijs fuerunt. Nam S. Joannes non loquitur hîc de quolibet peccato, sed tantùm de peccato superbiæ, & carnalium deliciarum Babylonis. Alias enim peccatores, qui cum timore & tremore peccata sua perpetrant, qui ambulant vias difficiles, & lassantur in via iniquitatis, Sap. 5. v. 7. nullam pœnam sensus sentirent in inferno, quia delicias nullas, aut exiguas valde peccando experti sunt. Deinde ad litteram S. Joannes non de tormento & luctu Babylonis post hanc vitam, sed de punitione hujus vitæ, per excidium & combustionem loquitur, ut mox patebit.

QVIA IN CORDE SVO DICIT. Ita ut sit non tantum jactantia oris, sed etiam superbia cordis, quâ rem ita se habere existimat. SEDEO REGINA. Tanquam in solio regnans, & judicans populos mihi subditos. Simile quid de se jactat antiqua Babylon, quæ hujus figura

 fuit,

fuit, Isa. 47. v. 8. ET VIDUA NON SUM. Non sum vacua civibus, sed plena & abundans, tam civibus, quàm subditis. ET LUCTUM NON VIDEBO. Potentiam meam contemplando, fieri non potest, ut vidua fiam, & cives meos interfectos lugeam. *Videre luctum*, sicut, *videre mortem*, &c. sunt phrases hebraicæ, quibus significatur, tale quid alicui evenire.

8. IDEO. Propter istam superbiam, & jactantiam. IN UNA DIE. Tempore uno à Deo constituto. VENIENT PLAGÆ EIUS. Quas Deus per decem illa cornua bestiæ, sivè per decem Reges Antichristo sociatos, ipsi infliget. MORS. Quâ interficientur ejus cives. ET LUCTUS. Civium superstitum ob mortem interfectorum. ET FAMES. Quam patientur reliquiæ civium, tam extremo tempore obsidionis, quam captâ urbe, quando fugâ per montes & sylvas fuerint dissipati. ET IGNE COMBURETUR. Et denique viduata & vacua civibus ædificia ejus tandem igne consumentur. QUIA FORTIS EST DEUS. Undè nemo debet tam subitam florentissimæ urbis mutationem mirari. QUI IUDICABIT ILLAM. Qui ad mortem, luctum, famem, & incendium illam condemnabit. Loquitur per verbum futuri temporis, quia licèt judicium & sententia Dei condemnatoria sit æterna; executio tamen ejus futura tantùm est in fine mundi.

9. ET PLAGENT SE. Percutientes pectora sua. SUPER ILLAM. Propter infortunium ejus. REGES TERRÆ. Reguli, & Principes minores, tam subditi decem illis Regibus, qui eam comburent, quàm qui Babylonem ipsam incolebant, & metu ex ea aufugerunt, aut alio modo Babyloni subjecti & devoti fuerant. QUI CUM ILLA FORNICATI SUNT. Qui Deos ejus colebant. ET IN DELICIIS VIXERUNT. Et qui Babylonem ad delicias ventris, spectaculorum, & omnis generis mundanas voluptates, sæpè commeabant. CUM VIDERINT FUMUM INCENDII EIUS. Quo ædificia illa magnifica, & omnia deliciarum instrumenta brevi absumenda sunt.

Beda, qui Babylonem non certam aliquam urbem, sed generalem omnium malorum civitatem interpretatur, per fumum, intelligit calamitates & contritiones, quas mali patiuntur in hac vita. Sunt enim quidam fumus, sive indicium ignis infernalis secuturi, sicut fumus præcedit ignem: quid enim est aliud, inquit, grassatio ista mundi, & contritio, quàm fumus instantis gehennæ?

10. LONGE STANTES. Undè fumum, & summum incendij apicem magis, quàm ædificia, & ardentem urbem aspicere valeant. PROPTER TIMOREM TORMENTORUM EIUS. Ne fortè incidant in

manus

manus exercituum obsidentium urbem, & tormentis ac excidio urbis involvantur. DICENTES, VÆ, VÆ CIVITAS ILLA MAGNA BABYLON. Non minantur, sed lamentantur casum dilectæ sibi civitatis. CIVITAS ILLA FORTIS. Nam amplitudine, fortitudine, & opibus erit tunc prima civitas totius orbis; & ideò ad eam diripiendam, & exscindendam advolarunt exercitus Regum satellitum Antichristi, ab ipso verisimiliter Antichristo missi.

Probabilius enim videtur, Babylonem, sive Romanam urbem non antè adventum Antichristi à decem Regibus, nondum Antichristo subjectis, evertendam esse, ut Ribera, & quidam alij existimant; sed ab ipso Antichristo per illos Reges jam à se devictos. Hoc enim ordo Apocalypsis videtur postulare: nam Apoc. 17. v. 13. decem cornua bestiæ, sive decem Reges, dicuntur tradituri potestatem suam bestiæ, sive Antichristo, & posteà crematuri Babylonem Apoc. 17. v. 16 & hoc toto cap. 18.

Facilè autem intelligi potest, quomodo omnes Orbis Provinciæ, quas olim tenuerunt Romani, varijs casibus in decem Regna dividendæ sint; & tamen ipsa Romana civitas sub nullius adhuc, ex illis decem Regibus, Imperium redigenda sit antè adventum Antichristi, quemadmodum Provinciæ illæ Romanorum hodie Hispaniæ, Galliæ, & alijs Regibus subsunt, & tamen nulli eorum civitas Romana subest; & Romanus Imperator, nomine & dignitate ab omnibus illis distinctus perseverat.

QVONIAM VNA HORA. Tempore isto brevi, quo tam celeri incendio absumetur. VENIT IVDICIVM TVVM. Executio judicij, & sententiæ condemnatoriæ, quam Deus adversus eam tulit, ut combureretur.

11. ET NEGOTIATORES TERRÆ FLEBVNT. Mercatores ex magna & cultissima Orbis terræ parte, ex desperatione lucri in posterum, etiam usque ad lacrymas dolebunt. QVONIAM MERCES EORVM NEMO EMET AMPLIVS. Tam pretiosæ enim merces, quas statim enumerando describet, non solent, nisi in magnis & opulentis civitatibus, distrahi.

12. MERCES AVRI ET ARGENTI. In vasis ex auro, & argento fabrefactis, in aureis & argenteis filamentis ad texendas aut ornandas vestes opere phrygio. Auro quoque lacunaria & parietes domorum olim incrustabant Romani: mensas etiam, & lectos, in quibus mensis accumbebant, ditiores ex argenteis aut aureis laminis fabricabant, ET LAPIDIS PRETIOSI. Adamantes enim, smaragdos, &c. non

 tantum

tantum in digitorum annulis, sed fæminæ etiam in crinibus, in stolis, imò etiam in sandalijs & calceis olim gestabant. Et margaritæ. Gemmis enim & margaritis, non solum in auribus, capite, collo, pectore, sed toto corpore onustas quasdam fæminas Romanæ urbis fuisse historiæ narrant. Unde illud Senecæ: *Duc uxorem bene institutam, non cuius auriculis bina patrimonia dependent, non quam margarita suffocant.* Quidam etiam magni pretij margaritas aceto maceratas sorbebant. Imperator Heliogabalus, inter bellaria, pomis & pyris margaritas aliquando miscebat. Et byssi. Lini delicatissimum genus est, ejusdem olim cum auro pretij, ut scribit Plinius. Et purpuræ. A purpura marinâ conchâ, cujus succo tinguntur purpureæ vestes. Et serici. Ex lanugine, quam olim Seres Indiæ populi ex arboribus depectebant, hodie ex bombycum lanificio texitur. Et cocci. Granum est, cujus ruberrimo succo vestes hodie & olim tinguntur.

Ut autem Tertullianus lib. de Cultu fæminarum, nobiles Christianorum fæminas ab istis vestium tincturis & superfluis ornamentis alienaret, dicit esse meretricias delicias, sine quibus meretrix Babylonica maledicta & prostituta non potuit in hoc cap. 18. Apocal. describi.

Et omne lignum thyinum Genus est ligni pretiosi & odorati, qualia ligna ex Ophir allata sunt Salamoni, ex quibus fulcra Domus Domini, & Domus Regis, & citharæ liræque fabricatæ sunt cantoribus, 3. Reg. 10. v. 12. Et omnia vasa de lapide pretioso. Græcè, *Omne vas ex ligno pretiosissimo.* Quamquam etiam Romani cyathos, & vasa unguentaria ex alabastrite, & lapidibus pretiosis interdum conficerent. Undè nostra lectio latina etiam retineri potest.

13. Et cinnamomum. Quod hodie, *canellam*, vocamus. Arbuscula est Indiæ Orientalis aromatica quatuor circiter cubitorum altitudine, & brachiali crassitudine, ex cujus trunco sex aut septem rami pullulant, qui quotannis rescinduntur, & quorum cortices siccati ad varias mundi regiones deferuntur, ut ab incola insulæ *Zeylani*, undè hodie in Hispaniam cinnamomum advehitur, se audivisse narrat Amatus Lusitanus in Dioscoridem. Et odoramentorum. Et merces thymiamatum, ut habet textus græcus, quibus tam in Deorum sacrificijs, quàm ad voluptatem olfactus utebantur. Et unguenti. Maximum olim Romæ, præsertim sub Cæsaribus, in usu balsami, & pretiosorum unguentorum, fuisse luxum, ex Plinio lib. 13. cap. 3. discimus, quorum libræ singulæ, inquit, quadringenos dena-

denarios. 1. 200. nostrates florenos, excedebant. Solemne autem erat in magnificis convivijs, inter bellaria, unguenta odorifera ad perfundendos crines, & flores ad coronandum capita convivarum, afferre: quem morem ab Oriente, devicto Antiocho, & Asia, venisse Romam significat Plinius. Undè Magdalena, non à more Palæstinæ & patriæ suæ abivit, quando in ultima Christi cœna, attulit alabastrum unguenti pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ejus, Marci 14. v. 3. ET SIMILÆ. Quæ etiam similago dicitur. Flos est, & purgatissima triticeæ farinæ pars, licet Adrianus Junius partem tritici inter florem & farinam mediam esse velit, ex qua crassissimi solùm furfures sunt excreti, undè panis laudatissimus conficitur.

Ex siligine tamen (non Belgicâ, sed Italicâ) potiùs quàm ex tritico, olim ditiores Romani panem conficiebant, sicut potest ex Seneca, & istis versibus Juvenalis probari, qui de pane divitum Romanorum loquens, ait:

Sed tener, & niveus, mollique siligine factus
Servatur Domino: dextram cohibere memento. —

Undè in jure civili, siliginarij vocantur mercatores, qui talem siliginem populo vendebant aut distribuebant.

ET IVMENTORVM. Equi, muli, asini, & cætera dorsuaria animalia, vocantur, *iumenta*, à juvando, ut aliqui putant. ET RHEDARVM. Romani enim olim aut rhedâ, aut essedo, ut hodie nobiliores, vehebantur, aut crescente luxuriâ, lecticâ, vel sellâ gestabantur. In lecticis jacebant, in sellis sedebant, ferentibus servis lecticarijs, sex fermè aut octo. Istam mollitiem, ex Asia imperante primo Cæsarum Julio, venisse in Rom. Urbem, docet J. Lipsius lib. 1. cap. 9. Electorum. *Rheda* autem esse vetus Gallicum vocabulum & à Gallis ad Romanos, & deindè ad Græcos migrasse, Grammatici existimant. ET MANCIPIORVM. Græcè, *& corporum*; olim enim Romæ, ut hodie apud Turcas, & alibi, corpora mancipiorum, sicut equorum & mulorum, ad operas serviles pretio mercabantur. ET ANIMARVM HOMINVM. Animas etiam seu vitas hominum vendebant, ut in ludo gladiatorio exerciti, vitam contra se, aut contra feras in arena pugnando, profunderent. In mancipijs ergò corpus ad labores, in gladiatoribus animam, & vitam ipsam, ad arenæ, & amphitheatrorum spectacula mercabantur.

Quæ omnia si ad litteram sic accipiantur, patet veterem Romanorum luxum, amphitheatra, & omnes corruptos mores eosdem redi-

tantum in digitorum annulis, sed fœminæ etiam in crinibus, in stolis, imò etiam in sandalijs & calceis olim gestabant. ET MARGARITÆ. Gemmis enim & margaritis, non solum in auribus, capite, collo, pectore, sed toto corpore onustas quasdam fœminas Romanæ urbis fuisse historiæ narrant. Unde illud Senecæ: *Duc uxorem bene institutam, non cuius auriculis bina patrimonia dependent, non quam margarita suffocant.* Quidam etiam magni pretij margaritas aceto maceratas sorbebant. Imperator Heliogabalus, inter bellaria, pomis & pyris margaritas aliquando miscebat. ET BYSSI. Lini delicatissimum genus est, ejusdem olim cum auro pretij, ut scribit Plinius. ET PVRPVRÆ. A purpura marinâ conchâ, cujus succo tinguntur purpureæ vestes. ET SERICI. Ex lanugine, quam olim Seres Indiæ populi ex arboribus depectebant, hodie ex bombycum lanificio texitur. ET COCCI. Granum est, cujus ruberrimo succo vestes hodie & olim tinguntur.

Ut autem Tertullianus lib. de Cultu fœminarum, nobiles Christianorum fœminas ab istis vestium tincturis & superfluis ornamentis alienaret, dicit esse meretricias delicias, sine quibus meretrix Babylonica maledicta & prostituta non potuit in hoc cap. 18. Apocal. describi.

ET OMNE LIGNVM THYINVM Genus est ligni pretiosi & odorati, qualia ligna ex Ophir allata sunt Salamoni, ex quibus fulcra Domus Domini, & Domus Regis, & citharæ liræque fabricatæ sunt cantoribus, 3. Reg. 10. v. 12. ET OMNIA VASA DE LAPIDE PRETIOSO. Græcè, *Omne vas ex ligno pretiosissimo.* Quamquam etiam Romani cyathos, & vasa unguentaria ex alabastrite, & lapidibus pretiosis interdum conficerent. Undè nostra lectio latina etiam retineri potest.

13. ET CINNAMOMVM. Quod hodie, *canellam*, vocamus. Arbuscula est Indiæ Orientalis aromatica quatuor circiter cubitorum altitudine, & brachiali crassitudine, ex cujus trunco sex aut septem rami pullulant, qui quotannis rescinduntur, & quorum cortices siccati ad varias mundi regiones deferuntur, ut ab incola insulæ *Zeylans*, undè hodie in Hispaniam cinnamomum advehitur, se audivisse narrat Amatus Lusitanus in Dioscoridem. ET ODORAMENTORVM. Et merces thymiamatum, ut habet textus græcus, quibus tam in Deorum sacrificijs, quàm ad voluptatem olfactus utebantur. ET VNGVENTI. Maximum olim Romæ, præsertim sub Cæsaribus, in usu balsami, & pretiosorum unguentorum, fuisse luxum, ex Plinio lib. 13. cap. 3. discimus, quorum libræ singulæ, inquit, quadringenos dena-

denarios. 1.200. nostrates florenos, excedebant. Solemne autem erat in magnificis convivijs, inter bellaria, unguenta odorifera ad perfundendos crines, & flores ad coronandum capita convivarum, afferre: quem morem ab Oriente, devicto Antiocho, & Asia, venisse Romam significat Plinius. Undè Magdalena, non à more Palæstinæ & patriæ suæ abivit, quando in ultima Christi cœna, attulit alabastrum unguenti pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ejus, Marci 14. v. 3. ET SIMILÆ. Quæ etiam similago dicitur. Flos est, & purgatissima triticeæ farinæ pars, licet Adrianus Junius partem tritici inter florem & farinam mediam esse velit, ex qua crassissimi solùm furfures sunt excreti, undè panis laudatissimus conficitur.

Ex siligine tamen (non Belgicâ, sed Italicâ) potiùs quàm ex tritico, olim ditiores Romani panem conficiebant, sicut potest ex Seneca, & istis versibus Juvenalis probari, qui de pane divitum Romanorum loquens, ait:

Sed tener, & niveus, molllique siligine factus
Servatur Domino: dextram cohibere memento. —

Undè in jure civili, siliginarij vocantur mercatores, qui talem siliginem populo vendebant aut distribuebant.

ET IVMENTORVM. Equi, muli, asini, & cætera dorsuaria animalia, vocantur, *iumenta*, à juvando, ut aliqui putant. ET RHEDARVM. Romani enim olim aut rhedâ, aut essedo, ut hodie nobiliores, vehebantur, aut crescente luxuriâ, lecticâ, vel sellâ gestabantur. In lecticis jacebant, in sellis sedebant, ferentibus servis lecticarijs, sex fermè aut octo. Istam mollitiem, ex Asia imperante primo Cæsarum Julio, venisse in Rom. Urbem, docet J. Lipsius lib. 1. cap. 9. Electorum. *Rheda* autem esse vetus Gallicum vocabulum & à Gallis ad Romanos, & deindè ad Græcos migrasse, Grammatici existimant. ET MANCIPIORVM. Græcè, *& corporum*; olim enim Romæ, ut hodie apud Turcas, & alibi, corpora mancipiorum, sicut equorum & mulorum, ad operas serviles pretio mercabantur. ET ANIMARVM HOMINVM. Animas etiam seu vitas hominum vendebant, ut in ludo gladiatorio exerciti, vitam contra se, aut contra feras in arena pugnando, profunderent. In mancipijs ergò corpus ad labores, in gladiatoribus animam, & vitam ipsam, ad arenæ, & amphitheatrorum spectacula mercabantur.

Quæ omnia si ad litteram sic accipiantur, patet veterem Romanorum luxum, amphitheatra, & omnes corruptos mores eosdem redi-

rediturosin fine mundi, qui olim tam in veteri Roma, quam in nova, sive Constantinopoli, præcesserunt, postquam Romani Imperij sedes eò est translata.

Vel certè, interpretari possumus, quod postremo diximus de mercatura animarum hominum, sicut Haymo, qui ait, animas hominum, non tantum corpora vendi, quando Judæis & Mahumetanis venduntur mancipia, quæ statim circumcidunt, & religioni suæ adscribunt, & ita servos suos non tantum corpore, sed etiam anima faciunt.

14. Poma desiderii animæ tvæ. Fructus omnes illi delicati & succulenti, quibus inter bellaria & mensas tuas secundas, ô Babylon, anima tua avidè inhiabat. Vox enim græca, non tantum poma, sed generaliter fructus tenuis corticis, & succulentos significat; qualia sunt aurea, cytria, & aliorum generum poma & pyra: deindè melones, & fructus omnes illos dulcis succi plenos, quos Italia, & Oriens inter mensæ secundæ delicias hodie etiam habet. Discesservnt a te. Quando jam ardes, & in cineres cadis. Hæc est Angeli apostrophe ad urbem ardentem, quam S. Joanni loquendo, quasi per parenthesin, interijcit. Et omnia pingvia. Quibus in cibo, potu, & conviviorum delicijs uti solebas. Et præclara. In tincturis vestium, & auri, argentique gemmarum & lapidum pretiosorum ornamentis &c. Periervnt a te. Græcè, *discesserunt à te.* Sicut pauló ante interpres vertit. Et amplivs illa iam non invenient. Mercatores & alij non amplius illa apud te invenient, quando ad te, vel potiùs ad cineres tuos accedent. Græcè tamen, *non invenies:* videlicet in te, nec videbis amplius, quomodo Erasmus & Arias vertunt, clariore sensu.

15. Mercatores horvm. Pinguium & præclarorum. Hoc versu, & sequenti, repetit ferè eadem, quæ supra v. 10. & 11. satis explicavimus.

16. Qvoniam vna hora. Brevissimo unius incendij tempore. Destitvtæ svnt possessoribus suis tantæ divitiæ. Quæ partim incendio absumebantur, partim anteà ab exercitibus regum satellitum Antichristi fuerant direptæ. Et omnis gvbernator. Nauclerus, qui naves in mari, lacu, flumine gubernat. Et omnis, qvi in lacvm navigat. Græcè, *Omnis in navibus navigans:* quales sunt mercatores, & eorum factores, qui merces suas in navibus comitantur. In græcis hodie codicibus nulla, *lacus*, mentio. Interim verum est, mercatores non tantum per mare & flumina, sed etiam per lacus merces suas navibus transvehere.

Qui-

Quidam ſuſpicantur, interpretem pro, *navibus navigat*, vertiſſe, *in lacum navigat:* quia vox græca, inquiunt, naves minores, quibus piſcatores & alij in lacubus utuntur, ſignificat. Sed hoc falſum eſſe, ex v. 19. patet, ubi magnæ & marinæ naves eodem nomine appellantur.

ET NAVTÆ. Turba nautica, quæ ſub gubernatore ſuo regit navem. ET QVI IN IN MARI OPERANTVR. Et generaliter omnes, qui in mari aliquid negotiantur, ſivè mercatores, ſivè nautæ, ſivè piſcatores ſint &c. LONGE STETERVNT. In navibus ſuis ſpectantes, admirantes, & deplorantes Babylonis incendium. Sequitur enim:

18. ET CLAMAVERVNT, VIDENTES LOCVM INCENDII EIVS. Græcè, *fumum incendij*. Undè probabiliter colligi poteſt; Babylonem eſſe civitatem maritimam, aut non longè à mari, cujus incendij fumum & locum nautæ ex mari à longè ſpectare facilè potuerint. Et proindè in Romam novam, ſivè Conſtantinopolim in littore maris ſitam hoc magis quadrare videtur, quam in Romam veterem quæ ſolo flumine Tiberi alluitur, 16. milliaribus Italicis procul à mari. DICENTES; QVÆ SIMILIS CIVITATI HVIC MAGNÆ? Quæ unquam civitas par illi, aut ſimilis infortunio, quæ ex tanto fortunæ faſtigio in nihilum ſubito cadit?

19. ET MISERVNT PVLVEREM SVPER CAPITA SVA. In magna enim triſtitia & luctu ſolent olim Hebræi, Græci, Latini aſpergere pulvere capita ſua, ut ex ſordibus dolorem teſtarentur, & magis lugubres apparerent. *Sparſerunt pulverem ſuper caput ſuum*, Job. 2. v. 12. Deindè os & faciem ſuam nonnunquam volvebant in pulvure: *ponet in pulvure os ſuum*, Thren. 3. v. 29. VÆ VÆ, CIVITAS ILLA MAGNA. Verti poterat. *Heu, heu*; quia eſt interjectio lamentantis, non minantis, ut v. 10. diximus. IN QVA DIVITES FACTI SVNT. Negotiando cum civibus Babylonis. OMNES QVI HABEBANT NAVES IN MARI. Mercatores, qui navibus onerarijs tranſportant merces per mare. DE PRETIIS EIVS. Divites facti ſunt, inquam, ex pretijs & pecunia rerum venalium, quas navibus ſuis invehebant. QVONIAM VNA HORA DESOLATA EST. Quia momento quaſi temporis combuſta, & in ſolitudinem redacta eſt.

Cæterum quæ his duobus capp. 17. & 18. de civitate iſta Babylonis ab Angelo S. Ioanni narrata ſunt, etiamſi plerią; recentiores interpretes de Roma veteri & Italica accipiant, quam in fine mundi iterum redituram ad falſorum Deorum idololatriam dicunt, futuramque potentiſſimam, qualis ſub ethnicis Impp. & Repub. florente, olim fuit:

Mm tamen

tamen si attentè omnia perpendantur, fortasse civitati alicui maritimæ, & commodissimi portus, ad quam mercatores undique ex toto orbe facilè confluere possint; & alia deindè, quibus Angelus hujus Babylonicæ meretricis interpres, eam describit, verisimilius Romæ novæ, sivè Constantinopoli, quàm Romæ veteri conveniunt.

Notandum enim, quod Constantinus Magnus, Christianorum primus Imp. divino monitu, ut Zosomenus scribit, aut considerata loci, & portus opportunitate, in littore Bosphori Thracij, sivè freti, quod Europam ab Asia dividit, ut Europæ Asiæque merces & opes ibi conjungeret, civitatem, veteris Romæ quasi filiam, (ut S. Augustinus lib. 5. cap. 25. de Civ. Dei vocat) circa annum Christi 330. condiderit, quam secundam vel novam Romam appellandam esse, lege sancivit. In ea enim urbe Capitolium, Curiam, circum maximum, amphitheatrum, miliarium aureum, fora, porticus, aliaque veteris Romæ publica loca, supra septem etiam montes, ædificari jussit, multosque Senatores ac cives ex Roma veteri eò transtulit: deinde ejus Senatoribus eosdem honores, ait lib. 2. cap. 2. Zosomenus, eosdem dies sacros, qui veteribus Romanis tributi fuerant, assignavit. Deniqué ait, rebus omnibus urbem illam Romæ, quæ est in Italia, parem studuit efficere, ut non tam nova civitas ædificata, quàm Roma vetus ex Italia in Thraciam migrasse videretur.

Tantâ verò mox mercium, mercatorum, & omnium hominum frequentiâ repleta fuit, ut omnium consensu, inquit idem auctor, Romam vetrem longè superaret.

Postremò, quod maximum fuit, sedem Rom. Imperij, relictâ Româ veteri Apostolicæ Sedi, Constantinopolim transtulit, ibique mansit usque ad annum Christi 1453. quando à Mahumete II. Turcarum Imp. expugnata fuit. Nisi quod circa annum Christi 800. Occidentis Imperium à Constantinopolitano divisum, & à Pontifice Leone III. Regi Francorum Caralo Magno concessum fuerit. Quod hodie adhuc durat in successoribus Romanis, putaturque duraturum usque ad adventum Antichristi, juxta communem ferme interpretationem verborum Apostoli 2. ad Thess. 2. v. 7.

Cum igitur vetus Imperatoria Roma per sedis Imperialis translationem post annum Christi 300. Constantinopolim quodammodo migraverit, ut paulò ante narravimus: non absurdum, nec à Prophetiarum ambagibus, & involucris alienum erit, si pleraq; quæ Apoc. 17. & 18. de Babylone dicta sunt, de Italiæ Româ veteri & ethnicâ interpretemur. Sed quod de idololatriâ, & potentiâ ejus reditura, ac

ejus

ejus incendio in fine mundi, non amplius de Româ Italicâ factâ Papali intelligamus, sed de Roma Imperiali, postquàm Italiam deserens in Thraciam migravit. Nam Constantinopolis ex situ loci, ut ex Petro Gillio Apocal. 17. v. 9. narrabamus, aptissima est, ut usque ad finem mundi permaneat tanquam civitas quædam immortalis, ut eam Gillius appellat. Deinde ut divitijs, ac mercatu ad illum splendorem crescat, quem S. Ioannes in figura Babylonis describit.

Quantum verò ad idololatriam, longè verisimilius est, Romam Imperialem Mahumetismi jam caput, quàm Papalem, Christianæ Religionis Apostolicam Sedem, & ubi hæc Sedes Apostolica, jure divino, probabilissimâ opinione, ut loquitur Bellarm. usque ad finem mundi manere debet, idololatria inficiendam esse, & præsertim tot annis, & fortè sæculis multis duraturâ, sicut satis indicatur supra v. 3. ubi de vino fornicationis ejus bibisse dicuntur omnes gentes, & reges terræ cum ea fornicati fuisse. Quod nequaquam brevi tempore fieri poterit. Hæc enim fornicatio non tantum tribuitur Romæ veteri, quando sub ethnicis Imperatoribus erat, sed etiam illi, quæ in fine mundi comburetur.

Quid si ergò princeps aliquis idololatra ex ultimo Oriente, cum ingenti decies centenum millium exercitu (ut Anno Christi 1400. Tamerlanes Rex Tartarorum, qui Bajazetem Imp. Turcarum vicit, & captivum abduxit) Imperium Turcarum evertat, & idololatriæ sedem Constantinopoli constituat? Vel certè, quia, hæc tanta mutatio Religionis hoc fortè tempore incipere deberet, quandoquidem deficiente paulatim jam Romano occidentali Imp. mundus ad finem tendere videatur; nec ulli ferè in toto Oriente sint potentes principes idololatræ, præter Chinenses, homines imbelles & effæminatos; dicamus potiùs, fornicationem istam spiritualem, de qua S. Joannes his capitibus loquitur, non esse proprium cultum idolorum, sed superstitionem Mahumetanam. Nam quamvis Turcæ & Mahumetani non sint propriè idololatræ, tamen à Deo vero fornicantur, nec eum colunt, sicuti est. Multa enim absurda de ipso fingunt, nec Christum esse Deum agnoscunt, sed Prophetam tantum Mahumete suo inferiorem.

Quod autem in libris Prophetarum SS. Patres *fornicationem*, passim *idololatriam*, interpretentur, non est mirum, quia nulla erat fermè in mundo tunc temporis falsa religio, præter idololatriam. Nunc verò & Mahumetani, & Judæi, imo hæretici omnes, quicumque Deum verum falsis attributis deformant, dici possunt fornicari à Deo vero,

animarum suarum sponso. Est enim alius deterior cultus simulachrorum, ait S. Augustinus lib. de vera relig. cap. 38. quo homines phanthasmata sua colunt, & quidquid animo errante, cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerint.

Itaque hoc etiam tempore Imperatoria Roma meretrix à fide Christi & veri Dei fornicaria est per Mahumetismum, & cum ea fornicantur infinitæ propemodum Asiæ, Africæ, Europæ gentes, & reges sivè principes Mahumetani, per ingentes terrarum tractus & oceani orientalis insulas dispersi.

Si autem vera sunt, quæ diximus, superstitio Mahumetana usque ad finem mundi durabit. Deinde Constantinopolis jam quidem dives, sed multo ditior & potentior fiet; Antichristus eam decem regum exercitibus expugnabit & comburet, Imperiumque Rom. Orientale, quod jam Turca occupat, primò evertet; deinde Occidentale quod Impp. Germani hodie tenent, & quidquid olim Romani in occidente possidebant, hoc est, Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Belgium, &c. denique totius Orbis Imperium in se convertet.

Sed post hoc diverticulum ad explicationem nostri textus redeamus.

20. EXVLTA SVPER EAM COELVM: Angelus, aut certè S. Joannes invitat cælites ad exultandum & lætandum de justo Dei judicio, quo per Antichristum, & reges ejus auxiliares Babylonem evertit. ET SANCTI APOSTOLI, ET PROPHETÆ. Et vos præcipuè verbi Dei præcones, à civibus Babylonis vexati, & morte affecti.

Apostoli non semper accipiuntur pro XII. illis tantum, quos Christus sibi adjunxit, sed interdum generalius pro omnibus qui ab Ecclesiâ, vel superioribus suis ad prædicandum Dei verbum mittuntur: ut 2. ad Cor. 8. v. 23. *Prophetæ* etiam in novo Test. sæpè generatim vocantur, non à prædictione futurorum, sed ab expositione Scripturarum, ex singulari Spiritus Sancti inspiratione, ut Act. 13. v. 1. ad Rom. 12. v. 6. 1. ad Cor. 14. v. 3. 4. 5. &c.

Verisimile autem est, multos tales Apostolos & Prophetas in fine mundi mittendos esse in varias Orbis partes, & præsertim Babylonem capitalem totius orbis urbem, ut in prædicatione Euangelij adjuvent Eliam & Henoch, & omnes homines de instante mundi consummatione admoneant; quos Babylon opprobrijs & morte afficiet, sicut Antichristus Eliam & Henoch Jerosolymæ occidet.

Deindè Turcæ & Mahumetani, Babylonis fortassis incolæ, innumerabiles Christianorum greges, tam bello, quàm pace, in odium

Christianæ religionis, variјs modis interemerunt, & interiment, ante finem mundi: ut meritò per equum pallidum, qui aperto quarto sigillo exivit, Apocal. 6. v. 8. multi intelligant Mahumetem, *cui data sit potestas super 4. partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiјs terræ:* unde mox v. 9. & 10. ibid. sequitur clamor martyrum, vindictam clamantium sub altari.

Aliј qui Romam veterem & Italicam esse Babylonem existimant, longè aliter hæc accipiunt: quasi Apostoli Petrus & Paulus, & quidam Prophetæ novi Test. olim à tanto tempore Romæ interfecti, exultent de vindicta & excidio Romæ, quod accidet sub finem mundi.

Sed S. Joannes loqui videtur de Apostolis & Prophetis, non qui olim interfecti fuerint à Nerone, vel alio Tyranno sub Roma veteri; sed à Civibus, vel à Principe illius Babylonis; quam describit adeò divitem & opulentam futuram in fine mundi.

Veteres autem plurimi qui sensu saltem mystico, Babylonem interpretantur civitatem diaboli sive congregationem impiorum toto orbe dispersam; intelligunt Apostolos Christi, & Prophetas veteris testam. lætantes de justicia, & judicio extremo, quo Christus reprobos in infernum perdet.

QVONIAM IVDICAVIT DEVS IVDICIVM VESTRVM. Exultate, inquam, cælites tribulationibus & mortibus à Babylone contriti, quia Deus, ut vos vindicaret, justam sententiam condemnatoriam tulit. DE ILLA. Super illa. Phrasis autem hebraica est, in Psalmis frequens, quâ Deus dicitur, judicare judicium, vel causam alicujus, quando punit illos, qui injuriâ illum affecerunt: *Iudica iudicium meum, & redime me*; Psal. 117. *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Psal. 42.

21. ET SVSTVLIT VNVS ANGELVS. Ex illis septem, de quibus Apoc. 16. v. 1. & Apoc. 17. v. 1. FORTIS. Opus enim erat fortitudine ad faciendum, quod sequitur. LAPIDEM QVASI MOLAREM MAGNVM. Ut magnitudinem, & pondus divitiarum Babylonis melius exprimeret. ET MISIT IN MARE. Non quasi Babylon in mare demergenda esset, cùm incendio peritura sit; sed quia non ampliùs apparebit, quasi à vicino mari absorpta esset.

Lapidem molarem, qui mobilis & volubilis est, Beda, Haymo, & aliј, sæculi volubilitatem mysticè interpretantur, quæ in fine mundi cessabit. Farina autem, quam hic lapis molaris molit, sunt multæ cogitationes minutæ & curæ temporales, ait Haymo, quas sæculi volubilitas hominibus temporalibus parit.

DICENS, HOC IMPETV. Magno & celerrimo: ut significetur, non lentè per partes, sed simul, uno valido & sonante impetu Babylon perdenda. MITTETVR BABYLON. Proijcietur in exitium, tanquam in abyssum maris, cives autem ejus mittentur in profundum loci infernalis. ET VLTRA IAM NON IVNENIETVR. Subitò enim evanescet ex hominum oculis.

Simili projectione lapidis in Euphratem, Saraias Propheta jussus est à Jeremia instantem veteris Babylonis perditionem figurare, Jerem. 51. v. 63.

22. ET VOX CITHAROEDORVM &c. Musica, & omnia musicorum instrumenta, quibus Babylonis cives in convivijs, comedijs & festivitatibus se recreare, saltarè, bacchari, & insanire solebant. NON AVDIETVR IN TE AMPLIVS. Sic Prophetæ magnarum & delicijs affluentium civitatum excidia explicare & deplorare solent, musicas lætitiæ voces commemorando, quæ in luctum vel silentium sunt commutandæ. ET OMNIS ARTIFEX OMNIS ARTIS. Quales sunt, præter cæteros Mechanicos in urbibus opulentioribus, aurifices, gemmarij, pretiosorum pannorum textores, varij generis obsoniorum coci, alijq; gulæ & voluptatum Ministri. NON INVENIENTVR IN TE AMPLIVS. Babylon enim habitatoribus & habitaculis vacuabitur.

Carthusianus, qui cum multis alijs, hanc Babylonem interpretatur esse congregationem reproborum apud inferos post mundi finem lugentium, putat probabiliter hinc colligi, quod damnati non sint futuri memores suarum artium & scientiarum in inferno, propter vehementiam tormenti infernalis.

Verùm damnati, Deo hoc agente, ad multa simul attendere possunt, etiamsi acerrimè torqueantur: nam ad pœnam sensus, & simul ad pœnam damni, quæ gravissimè omnium eos affligit, attendunt. Deindè, si peccatorum suorum recordantur (nam *venient in cogitatione peccatorum suorum timidi*, Sap. 4. v. 20.) non mirum est si etiam artium meminerint, in quibus deliquerunt.

ET VOX MOLÆ NON AVDIETVR. Strepitus lapidis molaris ad farinam, pollinem, & similam molendam, quâ delicati divitum panes, & variæ conviviorum deliciæ à pistoribus & cocis confici solent. Quidam tamen ad vocem, & cantilenas servorum & ancillarum, olim brachijs molentium, hanc molæ vocem referunt.

23. ET LVX LVCERNÆ NON LVCEBIT IN TE AMPLIVS. Prandere enim leviter, cænare verò in multam noctem, non ad lumen candelabrorum, ut hodie, sed lucernis è fornice cœnaculorum pensilibus

libus solebant olim Romani: undè illud Virgilij: *Pendent lychni laquearibus aureis.*

Maximè verò hoc Mahumetanorum moribus convenit, qui hodie Constantinopoli, & alibi, commessationibus nocturnis maximè delectantur, præsertim in Quadragesima sua, quando post diei jejunium, integras noctes, apertis popinis, & expositis ubique lucernis, inter festas epulas, & instrumenta musica choreas ducunt. Fastigia quoque mosquearum suarum, & pyramides varias tota urbe Constantinopolitanâ ad eum usum factas, quæ numerum decem millium excedunt, innumeris lucernis replent, ita ut tota urbs gratissimo spectaculo videatur esse una capella ardens. Undè si Constantinopolis sit futura ista Babylon, ut ante probabile esse diximus, mirum non est, à S. Joanne mentionem lucernarum ejus hic factam fuisse.

ET VOX SPONSI ET SPONSÆ. Musici cantus vocum & instrumentorum, quibus sponsorum & sponsarum nuptiæ celebrantur. NON AVDIETVR ADHVC IN TE. Non audietur in posterum, sive amplius, sicut eandem particulam græcam Interpres paulò antè vertit. QVIA MERCATORES TVI ERANT PRINCIPES TERRÆ. Grecæ, *Magnates terræ.* Adeò potentes & divites erant tui mercatores, ut principatus & dominia in varijs terræ Provincijs emerent & possiderent. Sic hodie Italiæ Principes sunt etiam mercatores, & mercimonia in varijs orbis emporijs per suos factores exercent, ut nobilitas alimentum & splendorem ex mercium divitijs accipiat. Sic etiam Roma veteri florente, multi Senatores, & inferioris ordinis cives, negotiationibus, quas per procuratores suos non tantùm in Italia, sed alibi per Europam, Asiam, & Africam exercebant, regias opes sibi parabant. Adeò ut quidam apud Tacitum lib. 13. Annal. obijciat Senecæ, quod intra quadriennium varijs modis ter millies sestertium, id est, ut J. Lipsius computat, septuagies quinquies centena millia Philippicorum, sive septem milliones Philippicorum cum dimidio sibi comparaverit. Propter igitur tantas civium suorum divitias, propter avaritiam & cætera vitia, quæ ex divitiarum abundantia solent nasci, sic punietur & desolabitur Babylon.

Quidam tamen sic intelligunt: quod exteri principes fuerint Babylonis mercatores, quia suos Principatus & regna ab ea emebant, sicut Herodes & multi alij Reges pecuniâ & muneribus olim à Romanis emebant. Redibit autem in fine mundi similis mercatura ejusdem Romæ veteris, aut certè Romæ novæ & Imperialis, quæ est Constantinopolis.

QVIA

QVIA IN VENEFICIIS TVIS. Et deinde sic desolaberis, ô Babylon, quia isto divitiarum, potentiæ, & magnificentiæ tuæ splendore, tanquam fascino quodam & magicis veneficijs. ERRAVERVNT OMNES GENTES. Ex omnibus orbis terræ gentibus multi homines impij, & amatores hujus mundi, à fide Christiana ad idololatriam, vel Mahumetismum defecerunt, existimantes divitias, & rerum terrenarum splendorem esse signum favoris numinis erga te, & religionem tuam.

24. ET IN EA. Mutat subitò apostrophen, & personam secundam in tertiam, ut sæpè solent Prophetæ. SANGVIS PROPHETARVM. Concionatorum verbi divini, qui profunda Scripturarum populis exponebant: tales enim etiam, *Prophetas*, vocari, maximè in novo Testam. suprà v. 20. dictum est. ET SANCTORVM INVENTVS EST. Quos Babylon interfecit. Nec tantum sanguis eorum, qui in ipsa urbe Babylone interfecti, sed ET OMNIVM, QVI INTERFECTI SVNT IN TERRA. Et plerorumque omnium, qui in toto Orbe terrarum Babyloni subjecto, ob fidem Christi occisi sunt: omnium enim illorum sanguis in manibus Babylonis invenitur, quia jussu ejus per præfectos & Præsides provinciarum effusus est; sicut olim in persecutionibus veteris Romæ factum est, & adhuc fiet in persecutionibus Romæ posterioris, proximè antè Antichristi adventum.



CAPVT

CAPVT XIX.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impiâ Babylone excisa, Cælites triumphum canunt, & alleluia. Angelus annuntiat, tempus nuptiarum Agni advenisse. S. Ioannes cadit ad pedes ejus, & vult eum adorare; sed Angelus probibet. Christus & exercitus Sanctorum in equis & vestibus albis adversus Antichristi exercitus, & Reges terræ pugnant. Isti vincuntur, & Antichristus cum suo pseudopropheta vivi à terra & inferno absorbentur.

vers. 1.

POST HÆC AVDIVI QVASI VOCEM. Non veram vocem, quæ aërem, & aures corporis feriret, sed imaginariam, quæ intus in auribus cordis formabatur. TVRBARVM MVLTARVM. Numerosa enim est turba Sanctorum. IN COELO DICENTIVM, ALLELVIA. Laudate Deum: nam *hallelu* hebraicè significat, *laudate*, à rad. *halen*, vocula autem monosyllaba, *Iai*, est unum ex decem nominibus Dei, compositum ut videtur ex duabus primis litteris, *Iehova*, unde nihil est aliud quam *Iehova* abbreviatum.

Hanc vocem, *Alleluia*, à primis Judæis Christianis ad Græcos & Latinos migrasse, qui in suis linguis hebraicam pronuntiationem retinuerunt, ne Judæorum Ecclesiam scandalizarent; posteà vero dilatato per omnes gentes Euangelico sermone, non potuisse semel susccepta mutari, testatur S. Hieronymus Epist. ad Marcel. Est autem vox lætitiæ & triumphi, quâ Sancti excitant se mutuo ad laudes, & gratias Deo decantandas, ob victoriam de suis hostibus, Dei munere, reportatam. Undè potius est vox patriæ, quàm hujus peregrinationis, & vallis lacrymarum: putantque aliqui, Beatos in patria hebraicam illam vocem, *Alleluia*, perpetuo cantaturos, juxta illud, *Per vicos eius alleluia cantabitur*, Tob. 13. v. 22. Undè à Septuagesima usque ad Pascha, quando Ecclesia antiquum humani generis lapsum, & tristia pœnitentiæ tempora recolit, non cantat, *alleluia*, nec Christiani hac voce ad lætitiam se excitant: licèt tamen, quia Deus semper laudandus est, in officio divino, loco, *alleluia*, substituatur, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*.

SALVS. Quâ nos salvavit. Multi codices non, *salus*, sed, *laus*, legunt.

ET GLORIA. Quæ ideò ei debetur. ET VIRTUS. Potentia, quâ hostes, suos, & nostros debellavit. DEO NOSTRO EST. Meritò tribuitur ab omnibus Angelis & hominibus.

2. QVIA VERA. Quia veracia: nam pœnas, quas minatur, exequitur. ET IVSTA. Quia immerentem non punit. JVDICIA SVNT EIVS. Sententia condemnatoria. QVI IVDICAVIT DE MERETRICE MAGNA. Babylone, condemnando & perdendo eam. QVÆ CORRVPIT TERRAM. Maximam partem orbis terrarum. IN PROSTITVTIONE SVA. Prostituendo se ipsis, & ad falsam religionem alliciendo, ut à Christo averteret. ET VINDICAVIT SANGVINEM SERVORVM SVORVM. Martyrum, quem & in urbe, & in toto Imperio suo effudit. DE MANIBVS EIVS. Susceptum & effusum. Propter ergò duo scelera punitur Babylon, quia corrupit malos, & persecuta est bonos, ait Beda.

3. ET ITERVM DIXERVNT ALLELVIA. Multâ enim & repetitâ laude dignus est Deus; undè David: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33. Et viginti Psalmi ejus pro titulo habent. *Alleluia*. ET FVMVS EIVS. Memoria Babylonis exustæ. ASCENDIT IN SÆCVLA SÆCVLORVM. In æternum scandit versus cælum, ut Sancti propter vindictam istam cantent eternum *Alleluia*, & Deo gratias semper agant. Verbum *ascendit*, est presentis temp. ut ex græco patet, & significat *nunc* æternitatis, quod semper est præsens.

Potest etiam hic locus referri ad pœnas tormentorum æternas, quas cives Babylonis in inferno patientur, sicut similem phrasim explicuimus Apoc. 14. v. 11.

4. ET CECIDERVNT, in facies suas, SENIORES VIGINTI QVATVOR. De quibus mentio facta Apoc. 4. v. 4. & representant præcipuos, ac proceres Sanctorum veteris & novi Test. ET QVATVOR ANIMALIA. Per quæ 4. Euangelistas significari, communis est sententia Patrum, ut diximus Apoc. 4. v. 6. ET ADORAVERVNT DEVM SEDENTEM SVPER THRONVM. Ut non tantùm præconio vocis, sed etiam submissione corporis, & humilitate cordis eum laudarent. DICENTES AMEN. Verum est, quòd justa & vera sint judicia ejus, ut v. 2. dictum fuerat. ALLELVIA. Et ideò eum laudemus.

Seniores, & 4. animalia cantantes, *Alleluia*, prosternunt se ante thronum, quia quo Sancti majores sunt, eò profundiùs se humiliant, & submissiùs adorant, quia majora beneficia à Deo, quàm cæteri acceperunt, juxta illud, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, Eccli 3. v. 20.

5. ET VOX DE THRONO EXIVIT. Tanquam vox præconis, & interpretis divinæ voluntatis. Vocem alicujus Seraphini fuisse, credit Aretas

Aretas; aut certè, potiùs Angeli ex ordine thronorum, super quibus sedere dicitur Deus. DICENS: LAVDEM DICITE DEO NOSTRO. Angeli invitant homines ad cantandum Dei laudes, quia unicus est chorus & harmonia, quæ componitur ex humanis & Angelicis vocibus, sicuti unus est communis omnium Deus. OMNES SERVI EIVS. Servitute sinceræ dilectionis. ET QVI TIMETIS EVM. Quorum dilectio imperfecta, & timori adhuc permixta est, cùm perfecta charitas foras mittat timorem, 1. Joan. 4. v. 18. PVSILLI ET MAGNI. Tam imperfecti, quàm perfecti. Quidam tamen intelligunt tam pauperes & ignobiles, quàm divites & nobiles facultatibus hujus mundi: omnes enim omninò, pro sua conditione qualicumque, laudare Deum debent, quia tam paupertas, quàm divitiæ, & universim omnia, electis cooperantur in bonum.

6. ET AVDIVI QVASI VOCEM TVRBÆ MAGNÆ. Majorem adhuc, quàm fuit vox illa supra v. 10. ET SICVT VOCEM AQVARVM MVLTARVM. Ut fluctuum maris, vel fluminum ruentium per præceps, quales voces latissimè resonant. ET SICVT VOCEM TONITRVORVM MAGNORVM. Quæ magno stridore acutissimè crepant, & longissimè audiuntur: vox enim ista omnium Sanctorum simul canentium erat, & ideò comparat rebus, que latissimum & acutissimum sonitum edunt in hoc mundo. DICENTIVM ALLELVIA. Hoc jam est quartum à principio capitis, *Alleluia*, quod cantant in laudem Dei Creatoris, Conservatoris, Reparatoris, & Glorificatoris humani generis. Alij ad tres personas, & naturam divinam tribus personis commumem, numerum istum quaternarium, *Alleluia*, referunt. QVONIAM REGNAVIT. Regem se esse ostendit. DOMINVS DEVS NOSTER OMNIPOTENS. Quam omnipotentiam in excidio superbæ Babylonis demonstravit.

7 GAVDEAMVS. Spiritu. ET EXVLTEMVS. Corporis gestu, quod fit, quando gaudium animi in appetitum inferiorem, & in corpus effunditur. ET DEMVS GLORIAM EI. Et gaudium quoque in linguæ jubilum & glorificationem exeat. QVIA VENERVNT NVPTIÆ AGNI. In quibus Ecclesia Agno in cœlestis Regni Thalamo sociabitur, ait Beda. Quod fiet, quando peracto universali judicio, Ecclesia Electorum animâ & corpore gloriosa deducetur ad cœlum tanquam ad mariti sui domum.

Harum nuptiarum Sponsalia, ut Albertus & Carthus. meditantur, contracta sunt in sponsione Prophetarum, qui Christum in carne venturum promiserunt. Matrimonium per verba de præsenti, in mutua

Mariæ & Angeli collocutione, contractum est; in verbi autem & carnis unione consummatum. Celebritas celebrari cœpit in Christi Ascensione: nunc sponsa paulatim in domum sponsi introducitur, totaliter introducenda in fine sæculi, quando etiam convivium generale celebrabitur.

Et vxor eivs. Ecclesia electorum. Præparavit se. Ornatu quàm potuit magnificentissimo, sicuti sponsæ solent, quando in domum sponsi deducendæ sunt. Hæc autem ornamenta sunt torques, murenulæ, inaures, lapides pretiosi, & gemmæ virtutum, quibus anima decoratur & fulget.

8. Et datvm est illi. Non enim à seipsa hoc habet, sed gratiâ & dono sui sponsi. Ut cooperiat se byssino. Stolâ & cyclade talari, ex bysso, sive lino subtilissimo factâ, ut Apoc. 18. v. 12. diximus. *Byssus* enim est cortex arboris Indicæ, qui ad linum præparatur, ait Aretas. Splendenti et candido. Græce, *puro & splendido.* Quod non tantum purum, & sine macula est, sed etiam candore splendet. Byssinvm enim ivstificationes svnt Sanctorvm. Byssina enim illa sponsæ vestis significat justificationes, sivè bona virtutum opera, quibus singula Ecclesiæ membra decorem & splendorem, veluti vestimentum sibi texunt, & circumponunt. Sæpissimè enim, præsertim in Psalmis, justificationes & justitiæ significant bona opera, quibus anima in sanctitate & justitia coram Deo se promovet, longius se vestiendo & exornando. Valdè autem appositè filis lineæ & candidissimæ vestis comparantur bona opera, & laboriosi virtutum actus: quia sicuti linum multo labore frangitur, comminuitur, carminatur, netur, texitur, dealbatur, & ad splendorem illum tandem perducitur; ita perfecta virtutum opera, ut pura omnino, nec ullâ vel tenuissimâ labe aspersa sint, sed candidissimè splendeant, per multas mortificationes & labores eo pervenire debent.

9. Et dixit mihi. Vox illa Angeli, quæ exierat de throno supra v. 5. Scribe. Ut rei hujus historia etiam ad posteros, & futuri temporis Sanctos perveniat. Beati. Etiamsi angustiati & afflicti, & miserabiliores omnibus hominibus in hoc mundo videantur. Qvi ad cœnam nvptiarvm Agni. Prandium enim est refectio prima gratiæ, quæ in die hujus sæculi peragitur; cæna verò est ultima refectio gloriæ, & divinæ contemplationis, quæ in fine diei, seu post consummationem sæculi in cælo celebrabitur, ut S. Gregor. Beda, Richar. & alij veteres notant. Vocati svnt. Non quomodocumque, sed secundum propositum, ad Rom. 8. v. 28. sive ex æterno

Dei

Dei proposito & decreto, dandi ipsis vitam æternam; quales sunt soli electi. ET DIXIT MIHI. Ne dubium ullum esset, quin res ita se haberet. HÆC VERBA DEI VERA SVNT. Non mea, sed Dei ipsius, cujus nuntius sum, verba sunt, beatos esse, qui ad cænam &c. & ideo certo credant, & in meditatione eorum Sancti Dei electi se delectent.

10. ET CECIDI. Prostravi me. ANTE PEDES EIVS. Apparebat enim Angelus formâ humanâ, assumpto corpore aëreo: vel potiùs, quia interiùs tantùm loquebatur S. Joanni, non verum corpus, sed solam coporis phantasticam effigiem interiori sensui S. Joannis obijciebat, ait Carthus. Unde casus ille & prostratio fuit tantùm imaginaria, sicuti quando Ezechiel, anno 25. transmigrationis Babylonicæ, in visione adductus est in terram Israël, Ezech. 40. v. 2. UT ADORAREM EVM. Ut propter tam læta & vera, quæ afferebat, nuntia, cultu duliæ, qualis sanctis Angelis & hominibus tribui potest, eum adorarem, & honore isto gratias agerem. Verbum enim, *adorare*, in Scriptura, non semper adorationem latriæ soli Deo debitam, sed etiam Duliæ interdùm significat, ut 3. Reg. 1. v. 16. & v. 23. Betsabee & Nathan Propheta dicuntur Davidem regem adorasse. ET DICIT: VIDE NE FECERIS Cave ne me adores. Etiamsi Angelus honorem istum admittere potuisset, quia non latriâ, ut Deum, sed duliâ, ut creaturam, S. Joannes eum adorare volebat; noluit tamen admittere, quia inquit, CONSERVVS TVVS SVM. Ejusdem Dei & Christi tecum ego sum servus; non autem valdè decens est, parem à pari adorari. ET FRATRVM TVORVM. Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum. HABENTIVM TESTIMONIVM JESV. Qui gerunt testimonium, quod sint Ministri Christi Jesu. Iste enim Angelus erat unus ex illis septem Spiritibus, qui in conspectu throni sunt, Apocal. 1. v. 4. & in hæc inferiora mittuntur, ut cum verbi divini prædicatoribus occultè ministrent, & Christi fidem ac salutem electorum promoveant. DEVM ADORA. Potiùs opus aliquod majus & decentius fac, & summo cultu latriæ Deum honora.

Non ergò malè faciebat S. Joannes volendo Angelum adorare, sed Angelus eum monet, ut majus & excellentius aliquid aliud ageret, ut ait Carthusianus.

TESTIMONIVM ENIM JESV. Explicat, quinam sint, quos dixit habere testimonium Jesu. EST SPIRITVS PROPHETIÆ. Nam Spiritus sivè donum Prophetiæ ad prædicendum futura, & prædicandum, ac intelligendum occulta Scripturarum, & fidei mysteria, qualem spiritum habebat S. Joannes, est testimonium & signum, quod aliquis

aliquis sit Christi Iesu in Ecclesia Minister. Nam ad Ecclesiæ Ministerium spiritus talis solet à Deo darj: unde Apocal. 22. v. 9. ubi Angelus iterum vetat se adorari, vocat apertè, *Prophetas*, quos hic dicit habere testimonium Iesu.

Sanctus Gregorius hom.8.in Euang. existimat, Angelum noluisse à S. Ioanne adorari, quia reverebatur in ipso Humanitatem à Verbo divino assumptam: Unde notat, quòd in veteri Testam. ante Verbi Incarnationem, Angeli non fuerint soliti reijcere hominum adorationem. Sic Angeli illi, quos Loth Gen. 19. v. 1. & alter, quem Iosue adoravit, Iosue 5. v. 15. adorationem admiserunt. Unde patet, quantum per Verbi divini Incarnationem dignificata sit natura nostra, inquit Carthus. propter quam Angeli potiùs honorant homines, quàm patiantur se ab hominibus honorari.

Baronius autem & Barth. Petrus putant Angelum noluisse à S. Ioanne adorari, ut refelleret Cerinthianos Asiæ hæreticos, qui Angelos supra Christum adorabant; quorum hæresim S. Paulus ad Coloss. 2. v. 18. perstringit.

11. ET VIDI CŒLVM APERTVM. Ut indè exiret candida illa equitum Turma, de qua statim. Apertio ista cæli etiam significat revelationem mysterij S. Joanni factam, quod in Dei præscientia, tanquam in cælo clausum erat, ut interpretatur Richar. ET ECCE EQVVS ALBVS. Primus omnium exibat vehens ducem totius turmæ equestris. *Equus* celeritatem adventus sessoris significat, ait Aretas. *Albus* autem est, quia rebus cælestibus cæli color tribuitur, qui albus & candidus est: undè Gentiles, Jovem suum quadrigis albis vehi fingebant.

Haymo, Richardus, & alij, *equum album*, Christi Humanitatem immaculatam, & candore lucis æternæ splendentem interpretantur: quem equum tunc Divinitas ascendit, quando Verbum caro factum est. Et licèt non sola Christi divinitas sed etiam ejus Humanitas equo albo insidens S. Joanni apparuerit: nihil tamen vetat, qualitates Humanitatis in subjecto equo relucere, & per equi candorem significari.

ET QVI SEDEBAT SVPER EVM, VOCABATVR. (Angelo id indicante S. Joanni) FIDELIS. Stans promissis suis, auxiliando amicis per gratiam, & præmiando eos per gloriam. ET VERAX. Reddendo inimicis suis, quod minatus est. ET CVM IVSTITIA IVDICAT ET PVGNAT. Neminem judicio aut armis injustè opprimens. Licèt enim potentissimus sit, non tamen potentiâ suâ abutitur ad tyrannidem.

San-

Sanctus Hieronymus in caput 3. Habacuc hæc ad primum Christi adventum refert: & equum Christi album, non alium, inquit, esse puto, quàm Paulum Apostolum, super quem Christus equitans totum Orbem circuivit. Sed hic sensus potius videtur esse accommodatitius, quam litteralis. Hæc enim Prophetia S. Joannis potiùs ad finem mundi, quàm ad principium Euangelicæ prædicationis spectare videtur.

12. OCVLI EIVS SICVT FLAMMA IGNIS. Præ irâ & indignatione in hostes suos, & Antichristi exercitus, quos expugnatum venit. Similia verba Apocal. 1. v. 14. explicuimus. Aretas flammam istam oculorum non tantum ad iram & terrorem, sed etiam ad benevolentiam & blandimentum refert; flamma oculorum ejus, inquit, illuminat Angelos & justos, exurit dæmones & peccatores. ET IN CAPITE EIVS DIADEMATA MVLTA. Omnium nempè regum orbis terræ: ipse enim est Rex regum, & Dominus Dominantium, cui, etiam ut homini, data est omnis potestas in cælo & in terra. Matth. ult. v. 18. *Diadema* autem est fascia candida, quâ reges olim cingere solebant frontem & caput. HABENS NOMEN SCRIPTVM. In capite suo, & in ipsis fortasse diadematibus: nam hæc inscriptio videtur distingui ab inscriptione vestimenti & fæmoris, de qua infra v. 16. Hæc etiam inscriptio est altior & sublimior, quam altera; nam ad Christi Divinitatem spectat, quæ est quodammodo Christi caput. QVOD NEMO NOVIT, NISI IPSE. Nemo perfectè novit, & comprehendit rem illo nomine significatam, nisi ipse, & illi, quorum essentia cum ipso eadem est. Nomen autem istud est Verbum Dei, ut mox dicet.

Nemo autem Verbi Divini ineffabilem generationem, & notionem penetrare, & comprehendere valet, nisi solus Deus. Aut si intelligatur de notitiâ clarâ, licèt non comprehensivâ, subintelligendum est, *Aut nisi, cui ipse voluerit revelare*; sicuti in simili exemplo additum est, Matth. 11. v. 27

13. ET VESTITVS ERAT VESTE ASPERSA SANGVINE. Hostili, quem pugnando & vincendo in multis prælijs effuderat: undè significat, illum esse assuetum sanguinem hostilem fundere, & hostes vincere. Alludit autem ad locum Isa. 63. v. 1. & 2. Alij interpretantur, proprio Christi Sanguine vestem ejus aspersam apparuisse, quia per effusum sanguinem suum, diabolum, & hostes omnes devicit. Undè Sanguis suus fuit ei victoriæ instrumentum, & quod alijs victoribus est gladius. ET VOCABATVR NOMEN EIVS, VERBVM DEI. S. Joannes videtur delectatus illo nomine Verbi Dei, quo Christum frequenter

quenter appellat, Joan. 1. v. 1. &c. 1. Joan. 1. v. 1. 1. Joan. 5. v. 7. &c. Quia enim Verbum à Patre per intellectum procedit, est sapientia æterni Patris super cujus pectus S. Joannes in cœna recubuerat, & undè sapientiam suam se hausisse meminerat.

14 Et exercitus, qui sunt in cælo. Et militiæ cælestis, sivè SS. Angelorum turmæ. Sequebantur eum in equis albis. Equitant Angeli ad significandam eorum celeritatem, quâ tanquam equis celerrimis, & pegasis alatis, currunt in pugnam, & quocumque à Duce suo mittuntur.

Sanctus Gregorius lib. 31. moral. cap. 31. hos equites, non Angelos, sed homines sanctos interpretatur, quorum corpora sunt velut equi, candore virtutum albi, & quos animæ insidentes ab illicitis fræno continentiæ restringunt, & charitatis impulsu, tanquam calcaribus, boni operis exercitatione relaxant.

Vestiti byssino albo et mundo. Quo iterùm significantur justificationes Sanctorum, ut v. 8. S. Joannes interpretatus est.

15. Et de ore eius. Est enim oris & linguæ, non dexteræ gladius. Procedit gladius ex vtraque parte acutus. Duplicem aciem habens, ut faciliùs, & profundiùs in vulnera intret, quia ab utraque parte scindit. Vide, quæ Apocal. 1. v. 16. de isto gladio diximus. Ut in ipso. Per ipsum. Percutiat gentes. Infideles Antichristi exercitus: solo enim vocis imperio, tanquam gladio ex ore procedente, hostes suos cædit & exanimat; undè alter Apostolus dicit, Antichristum spiritu oris Christi interficiendum, 2. ad Thes. 2. v. 8. Et ipse reget eas in virga ferrea. Sceptro duro, quo eas propter scelera sua confringet ut vasa figuli. Et ipse calcat. Calcare solet ex officio, quia à patre constitutus est Judex vivorum & mortuorum. Torcular vini. In quo sanguis peccatorum à justo judice, sicut vinum à vindemiatore, in torculari calcatûr. Furoris iræ Dei omnipotentis. Iræ quasi furiosæ, quâ peccatores, & in hoc sæpè mundo, & in æternum severissimè punit. Furor autem & ira Dei, non passionem, aut mentis commotionem, sed æquitatis rigorem, & ultionis acerbitatem significant, ait Carthus.

16 Et habet in vestimento. In Humanitate sua, quâ, tanquam vestimento, Divinitas ejus induta est. Et in femore svo. In loco, undè generatio carnalis fluit: ut significetur dignitatem illam habere, quia è regia Davidis stirpe secundùm humanam generationem, ut Messias, descendit; femore enim posteritas seminis designatur,

inquit

inquit Beda. Undè Abraham, ne posteritas ejus misceretur alienigenis, inter se servumque suum tertium testimonium femur adhibuit, Gen. 24. v. 2. SCRIPTVM EST: REX REGVM, ET DOMINVS DOMINANTIVM. Non tantùm secundùm divinam, sed etiam secundum humanam naturam, quæ ex femore David profluxit. Propter enim unionem humanitatis cum Verbo Divino, & meritum Passionis ejus, dignitas illa Regis Regum Christo homini condebita & tributa fuit: quia enim humiliavit semetipsum usque ad mortem, Deus exaltavit illum &c. ad Philip. 2. v. 9.

17. ET VIDI VNVM ANGELVM STANTEM IN SOLE. Circumfusum radijs solis in summo aëre, ut omnibus esset conspicuus. ET CLAMAVIT VOCE MAGNA. Ut faciliùs ab omnibus exaudiretur. DICENS OMNIBVS AVIBVS. Carnivoris, ut vulturibus, corvis, &c. QVÆ VOLABANT PER MEDIVM CÆLI. Ad venatum & prædam. VENITE, ET CONGREGAMINI AD CŒNAM MAGNAM. Convivium grande: nam aliàs aves non cænant vesperi post solis occasum, sed prandent toto die. DEI. Quam Deus præparabit vobis.

18. UT MANDVCETIS CARNES REGVM. Qui auxiliantur Antichristo, & mox interficiendi sunt in prælio. ET CARNES TRIBVNORVM. Græcè, *Chiliachon*, qui mille militibus præsunt, quos Colonellos appellamus. ET CARNES FORTIVM. Militum fortissimorum in exercitu Antichristi, qui fortitudine suâ, & arte bellandi mortem non effugient. ET CARNES EQVORVM. Qui in prælio isto interficientur. ET SEDENTIVM IN IPSIS. Nulli enim eorum etiam evadent: erit enim strages generalis, & inusitata: unde addit, ET CARNES OMNIVM LIBERORVM ET SERVORVM. Omnes enim peribunt usque ad servos militum, calones, & lixas, qui in alijs prælijs effugere solent, quia ad sarcinas & impedimenta extra pugnantium aciem consistunt. Undè significat, exercitus Antichristi, castris & impedimentis exuendos esse. ET PVSILLORVM, ET MAGNORVM. Et denique carnes, tam parvulorum, quàm adultorum, qui castra sequuntur, ab avibus comedentur.

Hâc periphrasi vult describere cædem, & internecionem generalissimam, in qua omnes omnino, tam bestiæ, quàm homines, nullo excepto, interficiendi sint: qualis clades hactenus non fuit à principio mundi.

19. ET VIDI BESTIAM. Antichristum. ET REGES TERRÆ. Antichristi auxiliares, designatos ante per decem cornua bestiæ, Apocal. 17. v. 12. ET EXERCITVS EORVM CONGREGATOS.

A spiritibus dæmoniorum in campo Armagedon, ut dictum est Apocal. 16. v. 14. 15. 16. AD FACIENDUM PRÆLIUM CUM ILLO, QUI SEDEBAT IN EQUO. Cum Christo supra v. 11. ET CUM EXERCITU EIUS. Qui eum sequebatur in equis albis supra v. 14. Non quòd adversus Christum & Angelos specie humanâ apparentes dimicaturus sit Antichristus in campo Armagedon, sed adversus residuos Christianorum exercitus, quibus occultè auxiliabuntur Christus, & Angelorum exercitus: sæpè enim Angeli, licèt non in aperto contra infideles pugnent; in occulto tamen partes Sanctorum adjuvant. Undè cum exercitus regis Syriæ Eliseum Prophetam, & Ministrum ejus circumdedisset, & Minister terreretur; *noli timere*, inquit Eliseus *plures enim nobiscum sunt*; & orante Eliseo, Deus aperuit oculos Ministri, ut videret *montem plenum equorum, & curruum igneorum* Angelici exercitus *in circuitu Elisei*, 4. Reg. 6. v. 17.

20. ET APPREHENSA EST BESTIA. Captus est in eo prælio Antichristus. ET CUM EO PSEUDOPROPHETA. Et captus est cum eo armiger ejus pseudopropheta, quem sub nomine bestiæ ascendentis de terra descripsit Apoc. 13. v. 11. QUI FECIT SIGNA. Prodigia, ut, ignem descendere de cælo Apoc. 13. v. 13. CORAM IPSO. In conspectu Antichristi, ut illum hominibus admirabilem, & adorari, vt Deum faceret, Apoc. 13. v. 14. QUIBUS SEDUXIT EOS. Ut Religionem Antichristi reciperent, existimantes esse vera & divina miracula, quæ falsa, & magica erant. QUI ACCEPERUNT CHARACTEREM BESTIÆ. Sigillum Antichristi in dexteris, vel frontibus suis impressum, Apoc. 13. v. 16. ET QUI ADORAVERUNT IMAGINEM EIUS. Statuam Antichristi, quam pseudopropheta, immisso in eam spiritu dæmonij, loqui faciebat, Apoc. 13. v. 15. VIVI MISSI SUNT HI DUO. Antichristus & ejus pseudopropheta. Mittentur autem solo imperio Christi, quo terra sub pedibus eorum dehiscet; & hoc est, quod ait Apostolus Paulus, *Quem Dominus Iesus interficiet* (græcè, *destruet*) *spiritu oris sui*, 2. ad Thess. 2. v. 8. & quod Daniel ait, *Sine manu conteretur*, Dan. 8. v. 25. & quod Isaias, *Spiritu labiorum eius interficiet impium*, Isa. 11. v. 4. IN STAGNUM IGNIS. In lacum inferni plenum igne stagnante: stagnum enim istud esse inferni barathrum, patet ex cap. seq. v. 10. ARDENTIS SULPHURE. Græcè, *Ardens in sulphure*. Ignis enim illius stagni ardet in sulphure, tanquam alimento suo; quod tamen, divinâ potentiâ illud conservante, non consumitur. Ardet autem in sulphure, ut non tantùm ardore, sed etiam odore, corpora damnatorum torqueantur, & maximè eorum, qui fœtore luxuriæ se cor-

corrumpere in hac vita non horruerunt, ut ait Richardus.

Vivi autem dicuntur mittendi in stagnum ignis, & tamen interficiendi spiritu oris Christi; quia ex imperio Christi terræ hiatu vivi absorbebuntur, licet interficiendi, & suffocandi sint in via, sicut Dathan & Abiron, Num. 16. v. 33. Quia *statutum est hominibus semel mori*, ad Hebr. 9. v. 27. aut certè, ab ipso inferni igne interficiendi sunt, consumpto corpore, & animâ ibi usque ad resurrectionem remanente.

21. ET CŒTERI de exercitu Antichristi, qui non duces; sed sequaces scelerum Antichristi, & pseudoprophetæ ejus fuerunt. OCCISI SVNT IN GLADIO SEDENTIS SVPER EQVVM. Per Christi gladium. QVI PROCEDIT DE ORE IPSIVS. Nam gladius iste est sententia, & imperium Christi judicis. Quo autem genere mortis occidendi sint, non exprimit, sicut de Antichristo, & ejus pseudoprophetâ expressit. Verisimile est, igne cælesti devorandos esse, sicuti de Gog, & Magog, cap. seq. v. 9. dicet.

Postquam verò reliqui Iudæorum, qui prædicatione Eliæ & Henoch conversi non fuerant, viderint Antichristi, quem suum esse Christum putaverant, horrendum exitium, verisimile est, tunc tandem venturos esse ad Christum, & implendum finaliter, quod dicit Apostolus, Cùm plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet, Rom. 11. v. 25.

ET OMNES AVES. Quæ instinctu naturæ eò convolabunt. Narrant enim quidam, vultures ad 500000. passuum, id est, ad 125. leucas belgicas, odorem cadaverum percipere: quod tamen incredibile est, nisi ventus exhalationes cadaverum ad eos deferat. Imò Plinius scribit, vultures biduo aut triduo ante volare, ubi cadavera futura sunt. SATVRATAE SVNT CARNIBVS EORVM. Richardus mysticè per, *aves*, Angelos malos & bonos intelligit: mali enim hominum damnatorum carnibus saturantur, quando ex livore malitiæ; boni, quando ex amore justitiæ, supplicijs eorum delectantur.



CAPVT XX.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Angelum descendentem de cælo, qui arripit diabolum, & ligat in abysso per mille annos. Posteà solvitur, & statim congregat Gog & Magog, qui cum innumerabili multitudine castra Sanctorum circumdant, sed igne cælesti devorantur. Diabolus in stagnum ignis, ut cùm Antichristo, & pseudopropheta ardeat, mittitur. Mortui deinde resurgunt, libri aperiuntur, fit judicium, infernus & mors in stagnum ignis etiam mittuntur.

Vers. 1.

ET VIDI ANGELVM DESCENDENTEM DE COELO. Multi Angelum istum Christum intelligunt, quia ille est, qui tenet clavem abyssi. Sed licet teneat ut Dominus, nihil tamen obstat, quo minus utatur proprio Angelo tanquam portario, ad aperiendum & claudendum. Fuerit ergo Angelus ille fortasse Michaël, qui Christi in gubernatione Ecclesiæ militantis principalis est minister. HABENTEM CLAVEM ABYSSI. Quâ significatur potestas aperiendi & claudendi inferni abyssum, ut aliquos ibi contineat, aut libertatem exeundi faciat. ET CATENAM MAGNAM IN MANV SVA. Vt longitudine catenæ magnæ, pluribus voluminibus & spiris, ac sic fortiùs, diabolum circumliget.

2. ET APPREHENDIT DRACONEM. Magnum illum, & rufum draconem, quem descripsit supra, Apoc. 12. v. 3. SERPENTEM ANTIQVVM. Qui olim in corpore serpentis per mulierem seduxit genus humanum. QVI EST DIABOLVS. Calumniator. ET SATANAS. Adversarius humani generis, qui calumniando & adversando conatur homines secum perdere. ET LIGAVIT EVM PER ANNOS MILLE. Per annos plurimos; qui fluunt à tempore mortis Christi, usque ad adventum Antichristi, secundùm illud Christi: *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem,* Mat. 12. v. 29. Ponit autem S. Ioannes numerum certum magnum, pro incerto valde magno, sicut Psalmista dicit, *verbi quod mandavit in mille generationes*, Psal. 104. vt notat S. Augustinus lib 20. cap. 7. de Civit.

Civit. Sicuti etiam solemus loqui, quando dicimus, millies factum esse, quod sæpissimè factum fuit.

3. ET MISIT EVM IN ABYSSVM. Projecit in infernum, juxta illud Christi, *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, Ioan. 12. v. 31. ET CLAVSIT. Imperio Dei, nè indè exiret quando vellet. Catena enim illa, & hoc claustrum nihil aliud sunt, quàm Dei, quo diabolus constringitur, imperium: nam diabolus, qui spiritus est, nullâ catenâ materiali, aut ferreo claustro potest contineri. ET SIGNAVIT SVPER ILLVM. Impresso sigillo super diabolum, sive super portam abyssi, in qua diabolus conclusus fuit, ne quis ei clanculò portam aperiret, quod sine fractione sigilli fieri non poterat. Sic Darius Rex Mædorum annulo suo dicitur obsignasse lapidem super os laci leonum, in quem Daniel missus fuerat, Dan. 6. v. 17. UT NON SEDVCAT AMPLIVS GENTES. Ne in errores & scelera tentando pertrahat, sicut temporibus antiquis, ante Christi mortem, quando potestas ejus solutior & liberior erat. DONEC CONSVMMENTVR MILLE ANNI. Donec finiantur illi mille, sive plurimi anni, qui à passione Domini ad adventum Antichristi decurrent. ET POST HÆC OPORTET. Ex immutabili Dei decreto, ILLVM SOLVI MODICO TEMPORE. Tribus annis cum dimidio, quibus regnabit Antichristus; tunc enim antiqua libertas diabolo redibit, ut per se, & per Antichristum, cæteraque sua instrumenta varijs machinis seducat reprobos, & persequatur electos. Ideò autem modico tantùm tempore solvetur, quia *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi*, Matth. 24. v. 22.

Propter autem hunc Apocalipsis locum, & mille istos annos inter Christum & Antichristum interjectos, multi olim fideles existimaverunt, anno Christi millesimo regnaturum Antichristum, & instare finem mundi. Vndè anno illo millesimo passim desistebant domos novas ædificare, aut ruinosas reparare, arbores plantare, matrimonia celebrare, & alia agere, quæ in spem vitæ longioris, aut posteritatis homines solent.

Multi deindè alij olim errores, ut statim ad versum sextum dicam, ex hujus loci obscuritate exorti sunt.

4. ET VIDI SEDES. In cœlo præparatas. ET SEDERVNT SVPER EAS. Quædam animæ videlicet, quas mox nominabit. ET IVDICIVM DATVM EST ILLIS. Potestas judicandi, ut posteà, resumptis in resurrectione generali corporibus, sedeant in nubibus circa Christum judicem, & cum eo judicent. Igitur jam animæ istæ accipiunt

piunt

piunt quasi possessionem potestatis judicandi, quam posteà exercebunt. ET ANIMAS. Non loquitur ergo de hominibus post corporum resurrectionem, ut volunt millenarij, sed de animabus eorum à corpore solutis ante resurrectionem generalem. DECOLLATORUM. Græcè, *securi percussorum*. Respiciens ad morem Romanum, qui non gladio, sed securi adjudicatos neci, decollabant. Undè quia plurimi in Orbe Romano Martyres hoc supplicio affecti sunt, ponit hanc speciem pro omni genere martyrij.

Loquitur autem specialiter de Martyrum animabus, quia illi sunt præcipui Sanctorum: & deinde vult nos per hoc ad Martyrium, & labores pro Christo suscipiendos animare.

PROPTER TESTIMONIUM JESU. Propter professionem fidei Jesu Christi. ET PROPTER VERBUM DEI. Et propter prædicationem verbi Dei, sive Euangelici. ET QUI NON ADORAVERUNT BESTIAM Et etiam vidi in sedibus illis sedentes animas eorum, qui in fine sæculi non adoraverint Antichristum, nec imaginem ejus, &c. Quæ verba cap. supperiori v. 20. explicavimus. ET VIXERUNT. Animæ illæ interea, corpore relicto vixerunt vitâ beatâ. Undè addit. ET REGNAVERUNT CUM CHRISTO. In cælesti regno sine corporibus suis. Undè patet, animas beatorum, ante generalem corporum resurrectionem, videre Deum & regnare in cælis. MILLE ANNIS. Intra illos mille annos, qui à Christo ad Antichristum intercurrunt: non enim vult dicere, quod regnum omnium beatarum animarum durabit mille continuis annis, quandoquidem tempore illo 1000 annorum decurrentium, aliæ animæ uno sæculo, aliæ alio sæculo, & proindè citiùs aut tardiùs à corpore absolvantur.

Sed quomodo animæ eorum Sanctorum, qui non adoraverunt bestiam, sivè Antichristum, possunt dici vixisse vitâ beatâ intra illos 1000. annos, qui terminantur initio persecutionis Antichristi, quando solvendus est satanas? Hic nodus multos torsit, sed simplicissimâ, & facillimâ interpretatione dicere possumus, annos illos tres cum dimidio regni Antichristi, esse clausulam, & finem extrinsecum 1000. annorum, ac proindè ad illos mille annos quodammodo pertinere. Undè animæ, quæ intra illos pauculos annos ad Cælum evolabunt adjunctæ sunt à S. Joanne illis animabus, quæ spatio mille annorum regnaturæ sunt cum Christo, ut omnes animas comprehenderet, quæ à Christi Passione, usque ad generalem corporum resurrectionem, regnabunt sine corporibus suis cum Christo, aliquæ longiori, aliæ breviori tempore.

5. Ce-

5. CÆTERI MORTVORVM. Animæ cæterorum hominum, scilicet reproborum, qui illo tempore mille annorum mortui sunt. NON VIXERVNT. Vitâ beatâ, quando à corporibus suis per mortem corporalem separatæ fuerunt. DONEC CONSVMMENTVR MILLE ANNI. Toto illo tempore, quo fluunt, & effluunt illi mille anni, nec tamen etiam posteà vivent, quia animæ reproborum nunquam futuræ sunt beatæ; unde Particula, *donec*, accipitur hîc, sicut Matth. 1. v. ult. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium* &c. ubi tantum narratur, quid non fecerit Joseph antequam Virgo pareret, non autem significatur quòd eam post partum cognoverit. HÆC EST RESVRRECTIO PRIMA. Quâ animæ Beatorum, ex corporibus suis mortalibus tanquam sepulchris, quasi resurgendo, ascendunt ad vitam beatam qua anteà carebant.

6. BEATVS est, in animâ suâ jam beatâ, licèt nondum in corpore. ET SANCTVS. Ab omni labe purus. Nam si quid fortè adhuc purgandum erat, expiatum est jam purgatorio igne. QVI HABET PARTEM IN RESVRRECTIONE PRIMA. Qui cum aliis Sanctis beatitudinem animæ participat. IN HIS SECVNDA MORS NON HABET POTESTATEM. Illi nunquam morientur morte illâ secundâ, quâ damnati semper moriuntur, sed nunquam finiuntur apud inferos. Mors autem prima, cujus comparatione illa dicitur secunda, est separatio animæ à corpore mortali. SEDERVNT SACERDOTES DEI ET CHRISTI. Sacrificantes & offerentes Deo, & Christo juge sacrificium laudis, & æternæ jubilationis. ET REGNABVNT CVM ILLO MILLE ANNIS. Tempore illo, quod à Christo ad Antichristum, & mundi finem decurrit, etiamsi ab impiis, qui corpora eorum occiderunt mortui penitùs aut miseri reputentur.

Hinc patet, quod quando Apocal. 6. v. 9. vidit animas istas interfectorum subtus altare, non intellexerit, eas nondum frui beatificâ Dei visione; cùm hic dicat, eas habere partem in prima resurrectione quæ est beatitudo animæ, & cum Christo regnare mille istis annis separationis à corpore.

Sanctus Augustinus lib. 20. cap. 9. de Civ. regnum istud mille annorum interpretatur esse, quo Iusti in Ecclesia militante usque ad diem judicii regnant cum Christo; quia licèt corpore adhuc habitent in terris, eorum tamen conversatio est in cælis, ad Philip. 3. v. 20. Resurrectionem verò primam intelligit eam, quâ peccator per justificationem ad vitam gratiæ resurgit: resurrectionem verò secundam, quæ in generali corporum resurrectione fiet. Sed ista interpretatio vide-

videtur potiùs esse mystica, quàm litteralis.

Alij autem nimis litterali & crasso sensu, putaverunt electos post resurrectionem corporum, mille annis adhuc permansuros, & regnaturos cum Christo in terris, ut tanto tempore animum & corpus terrenis voluptatibus explerent, quarum usu in vita mortali abstinuissent. Et hæc est Chiliastarum, sivè millenariorum hæresis, cujus auctor fuit Cerinthus S. Ioannis coætaneus, & adversarius. Vndè quidam, olim dixerunt, eum auctorem esse hujus Apocalypsis, quia hoc cap. videtur ista hæresis indicari.

Papias autem S. Joannis discipulus, Iustinus, Irenæus, & quidam alij SS. Patrum, Apostolis proximi, propter hunc Apocalypsis locum Millenarijs etiam accesserunt; nisi quod spirituales & honestas voluptates substituant in locum carnalium & turpium, quas finxit Cerinthus. Quam sententiam aliquando sibi non displicuisse, testatur S. Augustinus: sed videtur satis refelli, quia hi mille anni sunt ijdem cum mille annis quibus ligatus est, & in quorum fine solvetur Satanas, ut congreget in prælium Gog & Magog: ergo isti mille anni non sequentur, sed præcedent corporum resurrectionem, & Anichristi adventum.

Alij ergo, ut Iachimus Abbas, Pannonius, Galatinus, &c. sabbatum istud, ut vocant, mille annorum, ponunt immediatè ante adventum Antichristi, quo tempore Ecclesia militans in summa pace & tranquillitate, sine ulla hæresi, & morum dissolutione, tanquam in sæculo quodam aureo vivet, ut S. Catharinæ Sen. & B. Amadęo revelatum fuisse dicunt. Quibus aliæ revelationes addunt, hanc universalem Ecclesiæ reformationem inchoandam, & perficiendam esse per humilem & humilitantem S Augustini doctrinam, quæ docet homines in sola spe gratiæ cælestis inniti & viribus suis diffidere. Hoc autem, an vere futurum sit, eventus docebit, & videbit posteritas.

Sæpè tamen ejusmodi revelationes Sanctorum & Sanctarum sunt fallaces, quia per ænigmata, & obscuras ambages ipsis repræsentantur quæ aliud interdum significant, quàm Sancti illi apprehendant. Sicuti etiam Eusebius narrat, Papiam illum S. Ioannis discipulum parvi ingenij virum fuisse, nec satis intellexisse, quod Magister ejus de mille istis annis Apocalypticis ei narraverat.

7. ET CVM CONSVMMATI FVERINT MILLE ANNI. Hinc satis colligitur, istos mille annos, non esse annos beatæ æternitatis Sanctorum post resurrectionem, ut quidam interpretantur, quia æternitas illa terminari & finiri non potest. SOLVETVR SATANAS: ab eo, qui eum per mille annos ligaverat supra v. 2. DE CARCERE SVO. Infer-

Inferni abysso, suprà v. 3. ET EXIBIT, ET SEDUCET GENTES. Hinc clarum esse videtur, istos mille annos non sequi post resurrectionem electorum, ut Millenarij dicunt, sed antecedere etiam adventum Antichristi, cujus tempore gentes seducentur à satana post mille annos soluto. QUÆ SUNT SUPER QUATUOR ANGULOS TERRÆ. Quæ habitant in Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione: non tamen seducet omnes omnino, sed plurimas ex eis. GOG ET MAGOG. Seducet quoque Gog & Magog Principes Scytharum & Tartarorum, vicinarumque provinciarum Septentrionis. Nam Magog fuit unus ex filijs Japhet Gen. 10. v. 2. cui, & posteritati ejus in divisione Orbis terræ Scythia obtigit, ut scribit Josephus. Gog etiam hebr. *tectum*, aut, *culmen domus*, significat; undè hoc nomen supremo principi convenienter tribuitur. Imò quidam referunt, quod etiam hodie Imperator Tartarorum Gog-Cham, quasi supremum Sultanum se Apellet.

Apud Ezechielem cap. 38. v. 2. Gog vocatur *princeps capitis Mosoch & Thubal*, sivè capitalis & supremus princeps Cappadocum & Iberorum, ut interpretatur Iosephus; licèt alij per, *Mosoch*, malint Moscovitas Tartaris proximos interpretari. Iberi autem sunt populi Asiæ inter Colchidem & Armeniam, ex quibus putantur oriundi Hispani, qui ideò etiam Iberi vocantur.

Exercitui etiam Gog & Magog principum Tartarorum jungentur *Gomer* (quos Josephus Galatas esse putat) *& universa agmina domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur eius*, Ezech. 38. v. 6. *Thogorma*, autem Josephus interpretatur Phrigas.

Notandum autem est, quod Mosoch, Thubal, Gomer, & Thogorma, sint etiam filij Japhet, & fratres Magog, Gen. 10. v. 2. Unde isti omnes cum sua progenie, videntur post diluvium simul profecti occupasse totum Septentrionis tractum, qui Tartariam, Moscoviam, Poloniam, & Asiam circa mare Euxinum, ut Cappadociam, Pontum, Phrygiam, Galatiam &c. comprehendit: ut proinde populi terrarum ab illis fratribus post diluvium occupatarum, in unam multitudinem congregandi sint, & conflaturi exercitum ex omnibus auxiliarijs Antichristi validissimum.

Undè S. Joannes & Ezechiel (à quo S. Joannes historiæ hujus compendium sumpsit) specialem horum regum Gog & Magog mentionem faciunt. Et S. Joannes post narratum cap. super v. 20. per anticipationem, Antichristi interitum, redit ad narrandum adhuc aliquid de istorum regum copijs & exercitu. Ab omni enim ævo gentes Septentrionis bello fortissimæ, & ferocissimæ fuerunt, soleque

Deus illis uti, tanquam flagello, ad Meridionalium populorum castiganda peccata, ut per Gothos, Hunnos, Alanos, Wandalos, Longobardos factum fuisse legimus, ut illud Jerem. 1. v. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ*, non tantùm de Assyrijs & Babylonijs Israëlitarum hostibus & flagellis, qui per Syriam Damasci, ab Aquilone Palæstinam invadere solebant, verum sit, sed etiam de cæterorum populorum flagellis. Nam Germaniam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, evocatis ab Aquilone, sive Septentrione, barbaris nationibus, sæculis præteritis Deus semper afflixit. Ut proinde valde verisimile sit, præcipuos Antichristi milites, ducibus Gog & Magog, ex Tartaria, Moscovia, Polonia, Suecia, Norvegia, Gothia, Lappia, Finlandia, & reliquo Septentrione evocandos.

Hinc quia Deus talia bella, & magnas rerum mutationes per cometas, & novas in cælo effulgentes stellas præsignificare hominibus solet, Tycho Braye, & alij quidam Astrologi, ex nova stella, quæ Anno 1572. in Cassiopæa apparuit, conjectaverunt Gog aut Magog vel ipsum Antichristum in Tartaria vel Moscovia, quibus regionibus stella ista verticalis erat, eo tempore natum fuisse.

ET CONGREGABIT EOS IN PRÆLIVM. Ut partes Antichristi adjuvent. Videntur enim Gog & Magog inter illos 7. reges præcipui futuri, qui ultrò se subijcient Antichristo, quando intellexerint, victos ab eo fuisse tres alios reges ex 10. illis inter quos tunc Rom. Imp. divisum erit. QVORVM NVMERVS EST SICVT ARENA MARIS. Innumerabilis: nam maximi semper & validissimi regionum Septentrionalium solent esse exercitus, Undè præter Cimbrorũ, Hunnorũ, Wandalorũ, Longobardor. Gothorum veteres exercitus, Tamerlanes 1000000. Tartarorũ exercitu Totam Asiam minorem & vicinas regiones, ac Bajazetem Turcarũ Imp. circa an. 1400. superavit. Numerosior tamen fuit Xerxis Persarum Regis exercitus, quo Græciam invasit. Quidam enim narrant, 170. myriadum, sive 1700000. fuisse; sed Orientales multitudine militum magis quàm robore valent, Septentrionales verò utroque.

8. ET ASCENDERVNT SVPER LATITVDINEM TERRÆ. Ex regionibus suis septentrionalibus, in quibus ignoti, quasi sepulti latebant, ascenderunt, & expanderunt se super terræ superficiem. ET CIRCVIERVNT CASTRA SANCTORVM. Obsederunt castra & munitiones Christianorum, qui nolebant adorare bestiam.

Plerique per, *castra*, intelligunt hoc loco, habitacula, speluncas, & latibula Sanctorum, quia existimant, Sanctos illo tempore non habituros militaria castra, sed fugâ potiùs quam armis restituros exercitibus Antichristi.

Verùm

Verùm ſicui Machabæi olim parvo numero armis reſtiterunt maximis exercitibus Antiochi Regis Syriæ, ita nihil vetat, aliquos principes Chriſtianos arma etiam ſumpturos adverſus Antichriſtum, præſertim cùm Antiochus fuerit typus Antichriſti, & Machabæi figura Chriſtianorum, qui in fine mundi reſiſtent Antichriſto.

ET CIVITATEM DILECTAM. Eccleſiam Chriſti toto orbe diffuſam, ait S. Auguſtinus lib. 20. c. 11. de Civit. quam proinde civitatem, non in uno tantùm terræ loco, ſed in omnibus Chriſtianorum urbibus & locis circumdabunt. Hinc S. Augnſtinus per Gog & Magog, non Scythas, vel certum genus barbarorum, ſed omnes Chriſti adverſarios, & Antichriſti adjutores toto orbe diſperſos intelligit, ſenſu tamen myſtico magis, quàm litterali.

Unde nihil vetat hîc litteraliter, *civitatem dilectam*, interpretari Ieroſolymam, quam Apoc. 11. v. 2. Civitatem ſanctam appellavit. Nam licèt tunc ſit futura regia Antichriſti, tamen Antichriſto in alijs terræ partibus in perſecutione Chriſtianorum fortè occupato, Ieroſolyma magnâ Iudæorum multitudine per Eliam & Henoch ad fidem converſâ, alijſque Chriſtianis implebitur, quos Gog & Magog poſteà circumdabunt, nè ulli evadere poſſint.

9. ET DESCENDIT IGNIS A DEO DE CŒLO. Miſſus à Deo per Angelos ſuos. ET DEVORAVIT EOS. Vt etiam narravit olim alter Propheta, cùm ait: *Ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo,* Ezech. 38. v. 22. Nec ſolo igne peribit ille exercitus, ſed addit Ezechiel, *peſtem, imbrem vehementem, lapides immenſos & ſanguinem*, quia mutuâ cæde ſe interficient, & *gladius uniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirigetur,* Ezech. 38. v. 21. Ait etiam, quod egreſſuri ſint habitatores de civitatibus Iſraël, & combuſturi arma, clypeos & haſtas, arcus & ſagittas, &c. & ſuccenſuri ea igni ſeptem annis, Ezech. 39. v. 9. ita ut ligna iſta armorum exercitus Gog, toto iſto ſeptennio, ſuffectura ſint ipſis ad ignis uſum. Vnde multi colligunt, quod poſt Antichriſti, & exercituum ejus internecionem, non tantùm 45. dies ſuperfuturi ſint uſque ad finem mundi (ut quidam cum S. Hieronymo ex Dan. 12. v. 12. conjectant) ſed ut minimum ſeptem anni, ut intereà temporis tam ex Iudæis, quàm ex gentilibus electi ad fidem convertantur. Quo etiam tempore, homines depoſito metu inſtantis judicij univerſalis, ad vitam communem redibunt, & accidet, quod Chriſtus futurum prædixit, *Sicut in diebus Noë, ita erit adventus filij hominis: ſicut enim erant ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes uſque ad eum diem, quo intravit Noë in*

arcam ; ita erit & adventus filij hominis, Matth. 24. v. 38. ET DIABOLVS, QVI SEDVCEBAT EOS. Et partes eorum adversus Christianos occultè adjuvabat. MISSVS EST IN STAGNVM IGNIS ET SVLPHVRIS. Iterùm remissus ad abyssum inferni, unde ab Angelo solutus fuerat supra v. 7. Missus autem est non statim post interitum Gog & Antichristi, sed post consummationem sæculi, & iudicium universale. Quamquam dici etiam posset, quod sicut per mille annos ante adventum Antichristi fuerat in carcere abyssi ligatus supra v. 2. ne totâ potentiâ & malitiâ suâ nocere posset hominibus ; ita statim à morte Antichristi rursus sit religandus, nè tantùm hominibus noceat, quantum tempore persecutionis Antichristi concessum ei fuerat.

10. UBI ET BESTIA ET PSEVDOPROPHETA. Antichristus & summus Pontifex ejus. Vide quæ Apoc. 19. v. 20. diximus. CRVCIABVNTVR DIE AC NOCTE. Sine ulla cruciatus intermissione; non autem quasi in inferno dies succedat nocti : sunt enim ibi perpetuæ tenebræ exteriores, ut sæpè eas vocat Christus, & flamma ac ignis sine luce, ut dicit S. Basilius, quia ignis ille ceruleâ & tenebrosâ flammâ in sulphure ardet.

11. ET VIDI THRONVM MAGNVM. Ad indicandam magnitudinem, & magnificentiam Iudicis. CANDIDVM. Perfusum luce corporis judicis in eo sedentis : corpus enim Christi, & corpora Beatorum gloriosa, instar solis extra se radiant, & vicina lumine suo perfundunt. ET SEDENTEM SVPER EVM. Et Christum judicem etiam vidi. A CVIVS CONSPECTV. Præsentiâ : tam potens & efficax est. FVGIT TERRA ET CŒLVM. Non transitu locali ; sed figuræ, & veterum qualitatum, per ignem conflagrationis, interitu. Sic enim Apostolus ait, *Præterit figura huius mundi*, 1. ad Cor. 7. v. 31. Figura ergo præterit, non natura, ait S. Augustinus, lib. 20. cap. 14. de Civit.

Cœlum autem hoc loco plerique, aërem, intelligunt. Sed probabile est, cœlos etiam sydereos igne illo conflagrationis liquandos & purgandos esse, ut 2. Pet. 3. v. 12. & 13. & olim lib. 1. cap. 2. art. 7. Meteorolog. ostendimus.

ET LOCVS NON EST INVENTVS EIS. Videntur è loco, quem olim occupabant, aufugisse, tanta enim est accidentium, & novarum qualitatum diversitas, ut alterius substantiæ corpora videantur.

Dicit autem Scriptura, locum corporis alicujus non inveniri, quando locatum ipsum ibi non invenitur ; si enim locatum ibi non est, nec locus, qui illud contineat, ut Psal. 36. v. 10. & 36.

12. ET VIDI MORTVOS. Qui antèa mortui fuerant, & jam revixerant.

vixerant. MAGNOS ET PVSILLOS. Cujusvis staturæ: nam mortui in ea magnitudine & statura resurgent, quam habuerunt aut habituri fuerant circa annum ætatis suæ 30. aut 33. quo Christus mortuus est. Quo modo multi intelligunt, quod dicit Apostolus, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ad Ephes. 4. v. 13. Nec enim infra nec ultra juvenilem formam resurgent corpora mortuorum, inquit S. Augustinus lib 22. cap. 15. de Civ. sed in ea ætate & robore, usque ad quam Christum pervenisse hîc cognoscimus: circa enim 30. annos definierunt esse, etiam sæculi hujus doctissimi homines juventutem.

Aliqui tamen, *magnos & pusillos*, dignitate, ut principes & plebeios intelligunt. Bellar. & quidam alij, *magnos & pusillos* ætate, quando mortui fuerant; & inde probant, infantes etiam sine Baptismo mortuos, comparituros esse in judicio, & judicandos.

STANTES IN CONSPECTV THRONI. Sicut enim judicis est, sedere, ita eorum, qui judicantur, est stare. ET LIBRI APERTI SVNT. Conscientiæ judicandorum omnibus revelatæ sunt, ita ut eorum gesta, tanquam in duobus libris, legi possent, ut intelligant omnes, quàm judicia Dei, quibus præmiat bonos, & punit malos, sint justa. ET ALIVS LIBER APERTVS EST, QVI EST VITÆ. In quo prædestinati ad vitam æternam, & eorum opera descripta sunt. ET IVDICATI SVNT MORTVI: Postquàm tamen à mortuis resurrexissent. EX HIS QVÆ SCRIPTA ERANT IN LIBRIS. Deus enim in judicando dirigit se per scientiam eorum, quæ legit in istis libris. SECVNDVM OPERA IPSORVM: Bona aut mala.

13. ET DEDIT MARE MORTVOS. Reddidit ad resurrectionem cadavera hominum. QVI IN EO ERANT. Quos mare olim devoraverat, etsi jam in sua elementa resoluta essent. Undè tacitè refellit Philosophos, qui censebant, resurrectionem corporis in sua elementa resoluti, esse impossibilem. ET MORS. Dicitur mors specialiter illos interficere & devorare, qui armis, aut morbis occiduntur: hæc enim magis propriè tela & instrumenta mortis esse videntur, quam mare aut terra. ET INFERNVS. Viscera terræ quibus homines, aut terræ-motu, aut mineris subterraneis, infinitisque alijs casibus à terra hauriuntur, sicut naves, & naufragi à mari.

Duo ergo sunt elementa, aqua, & terræ infernus, quæ homines visibiliter absorbent, reliquos mors suo telo interficit, & devoratos ventre recondit. Est enim Prosopopœia, & fictio personæ mortis, quæ homines occidere soleat; undè Poëta: *Pallida mors æquo pulsat pede*

pauperum tabernas, regumque turres. Aut fortasse, ut quidam interpretantur, mors & infernus, tanquam societas latronum mutuum officium sibi præstant, interficiendis hominibus: mors occidit, infernus devorat. Undè mortem equo pallido inequitantem infernus sequitur, Apocal. 6. v. 8. ut ibi dictum est. Sed mors videtur hoc loco etiam, quos interficit, devorare; Sequitur enim, DEDERUNT MORTUOS SUOS, QUI IN IPSIS ERANT. Mortuos, quos devoraverant, revomunt ad resurrectionem.

14. ET INFERNUS ET MORS. Tanquam duo tyranni, & personæ maleficæ. MISSI SUNT, ne quemquam amplius occiderent in terra. IN STAGNUM IGNIS. Ad patrem suum diabolum, qui nobis est auctor mortis & inferni. HÆC EST MORS SECUNDA. Quâ cruciabuntur damnati à morte & inferno in stagno ignis.

Igitur mors, & infernus subterraneus mortis socius, primò homines hîc occidunt morte primâ, deinde apud inferos morte secundâ. Ideo autem mare non dicitur cum inferno & morte mitti in stagnum ignis, quia non est ei ullus locus, & officium torquendi apud inferos, sed solum occidendi super terram morte primâ.

15. ET QUI NON EST INVENTUS IN LIBRO VITÆ SCRIPTUS. In catalogo prædestinatorum ad vitam æternam. MISSUS EST IN STAGNUM IGNIS. Hinc colligitur, parvulos discedentes sine Baptismo, mittendos etiam esse in stagnum ignis, quia non sunt scripti in libro vitæ. Duo enim tantum ordines hominum hîc constituuntur, scriptorum in libro vitæ, & mittendorum in stagnum ignis. Undè etiam Bellar. lib. 6. cap. 5. de amissione gratiæ, sentit cum S. Augustino, parvulos illos revera mittendos in stagnum ignis; sed non arsuros, & cruciandos illo igne; quia inquit, vel erunt in parte superiori illius stagni extra flammam, vel licèt sint in flamma, hæc tamen non habebit vim urendi, sed tantum detinendi ipsos. Ignis enim post diem judicij, non aget, inquit, nisi ut instrumentum voluntarium divinæ justitiæ. Undè idem ignis, alios acrius, alios remissius urit. Sed D. Augustinus Parvulos illos damnandos, & igne ustulandos, licèt mitissimâ omnium damnatione, existimat. Multum enim fallit & fallitur, ait lib. 1. cap. 16. de pecc. merit. qui parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes, in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem. Judicantur autem secundum opera mala, quæ fecerunt in patre suo Adamo: sicut parvuli à Baptismo morientes judicantur secundum fidem eorum, qui ferunt eos ad Baptismum. Quam interpretationem etiam loco citato Bellarminus approbat.

CAP.

CAPVT XXI.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post revelationem status Ecclesiæ militantis capp. præcedentibus, deinde judicij universalis, & missionis impiorum in stagnum ignis: revelatur deinceps Ioanni gloria electorum, quâ fulgebunt in cœlo post judicium. Civitas, quam inhabitabunt, sub nomine novæ Ierusalem describitur, murus ejus quadratus est, & XII. fundamenta, ac totidem portas habet. Angelus arundine altitudinem, longitudinem, & latitudinem metitur. Structura muri est ex lapide Iaspide, platea civitatis aurum mundum, portæ non clauduntur die ac nocte: templum nullum habet, nec Sole aut Lunâ, ut illuminetur, indiget.

vers. 1.

ET VIDI CAELVM NOVVM. Cœlum hîc significat universam compagem corporum transparentium à superficie terræ, usque ad ultimum mundi fastigium, quam dicit se vidisse renovatam post universale judicium; nisi ab hac renovatione excipiatur cælum empyreum. ET TERRAM NOVAM. Elementum etiam terræ vidi renovatum: nam *cæli magno impetu transient, elementa vero* (id est, terra & aqua) *calore solventur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*, 2. Pet. 3. v. 10. Isto autem calore exurente utrumque terræ & aquæ elementum purgabitur. PRIMVM ENIM COELVM. Vetus cœlum, quod per qualitates, corruptibilitati corporum nostrorum convenientes, tot millibus annorum nobis servivit. ET PRIMA TERRA ABIIT. Evanuit quasi ex oculis, quia pristinas qualitates & figuram ita mutavit, ut non videatur amplius esse eadem substantia, quæ fuit. Corruptibilium etiam elementorum qualitates ardendo penitùs interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione convenient, ut videlicet mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius immutatis, ait S. Augustinus lib. 20. cap. 16. de Civit. Sic rege vilem aliquam domum introeunte, parietes aulæis, peristromatibus, & picturis solent indui, & habitatio tota dignitati inhabitantis adaptari. ET MARE IAM NON EST. Abijt quoque mare, & faciem

faciem ac qualitates illas perdidit, ut salsedinem, densitatem, exhalationum mixturam, æstum, procellas, fluctus, & agitationem, quibus serviebat hominibus, & animantibus, quæ in eo vivunt.

Sanctus Augustinus tamen loco cit. dubitat, an mare hîc non accipiatur metaphoricè, pro præsenti sæculo procelloso & turbulento; sicut locutio prophetica, inquit, proprijs verbis translata miscere solet, & sic quodammodò velare, quod dicitur. Sed non videtur magis necesse, *mare* hoc loco, quàm *cælum*, & *terram*, metaphoricè accipere.

2. ET EGO IOANNES. Nomen suum repetit, ut certiùs ei de re tanta credatur, & in spem inhabitandæ aliquando tam amœnæ civitatis erigamur. VIDI SANCTAM CIVITATEM IERVSALEM. Non illam terrestrem & veterem, sed, NOVAM, qualis non fuit ante Christi adventum, quando passim incognita erat, & cuius tantùm figura fuit illa Ierusalem vetus & terrestris. DESCENDENTEM DE CŒLO. Ut cives suos electos colligat è terra, & in cœlum assumat; hoc enim significare videtur illa imago descendentis, quæ S. Ioanni objecta fuit. A DEO. Deus enim est, qui gratiæ suæ quasi funibus eam in terram submittit, & civium impleto numero in cœlum recipit. PARATAM. Præparatam tam ædificijs, quàm omnibus commoditatibus, & ornamentis ad talium civium inhabitationem: quia enim de civitate loquitur, præparatio intelligi videtur, qualis civitati, & tabernaculo Dei cum hominibus convenire potest. SICVT SPONSAM ORNATAM VIRO SVO. Tam speciosè ornatam, quàm sponsa ornari solet viro suo, seu ad conciliandum sibi viri sui amorem, eo die, quo in domum ejus est deducenda. Tunc enim speciosissimis, quæ habet, indumentis & ornamentis se induit.

3. ET AVDIVI VOCEM MAGNAM. Solet in hac Apocalypsi magnitudo vocis, magnitudinem rei, quæ annuntiatur, significare. DE THRONO DICENTEM. Angelica vox fuit, tanquam præconis juxta thronum Dei proclamantis: hoc enim etiam sensu, vox Angeli de throno exivisse dicitur Apocal. 19. v. 5. ECCE TABERNACVLVM DEI CVM HOMINIBVS. In quo Deus & homines simul habitant.

Alludit ad tabernaculum, quod à Moyse, Dei jussu, constructum, & cælestis civitatis Beatorum figura fuit. Hæc enim civitas est tabernaculum non manu factum, nec hujus creationis, ad Hebr. 9. v. 11. Illa tamen tabernaculi pars, quæ Sanctum Sanctorum appellabatur, peculiariter cæli empyrei, ubi Sancti propriè cum Deo habitant, typus fuit. Undè Apostolus; *Non in manufacta Sancta Iesus introivit, exemplaria verorum:*

verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, ad Hebr. 9. v. 24.

ET HABITABIT CVM EIS. Sicut pater in eadem familia cum filijs suis. ET IPSI POPVLVS EIVS ERVNT. Quia singulari curâ & protectione eos gubernabit. Eorum enim fuit figura populus ille Israëliticus, *Domino peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram*, Deuter. 7. v. 6. ET IPSE DEVS CVM EIS ERIT. Non tantùm per Angelum ipsis aderit, & eos reget, sicut olim populum illum typicum in deserto, sed præsens aderit, & faciem ostendet. EORVM DEVS. Eorum, inquam, Deus, exhibendo ipsis Dei & creatoris officium, & reciprocè ab ipsis recipiendo cultum, & amorem creatori debitum; qui sensus in græco clariùs patet, græcè enim, *Et ipse Deus erit cum eis Deus eorum.*

4. ET ABSTERGET DEVS OMNEM LACHRYMAM. Nihil enim in vita illa beata amplius erit, quod tristitiam ullam adferre valeat: in hac autem vita semper aliqua lachryma dependet ex oculis populi Dei: quo enim quisque est sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior, ait S. Augustinus lib. 20. c. 17. de Civit. AB OCVLIS EORVM. Sicut matres flentium filiorum oculos abstergere solent, & imprimere osculum. ET MORS VLTRA NON ERIT. Mors naturæ non amplius illos attinget. Nam mortale tunc induet immortalitatem. NEQVE LVCTVS, quo homines solent sibi caros lugere, quos tyrannis, aut persecutio ipsis abstulit. NEQVE CLAMOR. Miserorum, & oppressorum à potentioribus. Lachrymæ, luctus, clamor, signa sunt doloris; unde sequitur: NEQVE DOLOR ERIT VLTRA. Græca vox, laborem, seu, laboriosum dolorem significat; qualis est martyrij, aut magnæ afflictionis. Vndè quidam interpretes non tam benè de dolore peccatorum interpretantur. QVIA PRIMA ABIERVNT. Primus status mundi, & vitæ mortalis cum omnibus suis miserijs, & pœnalitatibus jam transijt.

5. ECCE NOVA FACIO OMNIA. Novum hominem, novum Cælum, novam terram, innovando tam Universi habitatorem, quàm habitaculum. ET DIXIT MIHI, SCRIBE. Ut hoc etiam à posteris legatur, & spe tantorum bonorum, ad fortiter agendum, & mortalia omnia contemnenda, animentur. QVIA HÆC VERBA. Quæ jam de universorum innovatione dixi, FIDELISSIMA SVNT. Fide dignissima. ET VERA Hæc credi debent, non exponi, inquit Beda, præsertim, quia sic dicit factum esse de præterito, ut dubitare quemquam non sinat de futuro. Propter enim futuri certitudinem, solent

Prophetæ futura per præteritum, & tanquam jam facta pronuntiare.

6. ET DIXIT, MIHI FACTVM EST. Consummatum est, Universi cursus absolutus est. EGO SVM A ET Ω. Instar primæ & ultimæ litteræ Alphabeti græci, quod apud Græcos est proverbium. Unde explicat: INITIVM ET FINIS. Ego Deus sum principium, à quo per efficientiam omnia creata emanant, & finis, in quem omnia recurrunt. Deus enim est instar maris, ex quo omnia flumina rerum creatarum fluunt, & quò iterum revertuntur. EGO SITIENTI. Anhelanti, & valde desideranti. Res enim tanta, & ab homine tam indigente, ardenter desiderari postulat. DABO DE FONTE AQVÆ VITÆ. Sicut enim sum initium & fons, ex quo omnia bona fluunt; ita felicitas æterna ex me hominibus provenire debet. Fons ergo est Deus; aqua vitæ est beatitudo vitæ æternæ, qua Deus, tanquam torrente voluptatis suæ potat & inebriat Beatos. GRATIS. Quia *gratia Dei vita æterna*, ad Rom. 6. v. ult. Licèt enim Beati pretio bonorum operum quodammodo emant à Deo illam aquam vitæ, ipsum tamen pretium gratis ab eo acceperunt; nam omne bonum meritum nostrum non facit in nobis, nisi gratia, inquit S. Augustinus Epist. 105. & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua.

Deinde gratis accipiunt, quia temporalia merita præmijs æternis non possunt æquiparari, ait Aretas, juxta illud Apostoli, *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ad Rom. 8. v. 18.

Tertiò etiam gratis, quia licèt ordine executionis gloria reddatur propter merita; ordine tamen intentionis, beati ad eam electi sunt ante prævisa merita. Undè Apostolus *electionem gratiæ* appellat ad Rom. 11. v. 5.

7. QVI VICERIT. Alloquitur tanquam athletas, & positos in hoc mundo, velut in loco certaminis, contra diabolum, mundum, & carnem. POSSIDEBIT HÆC. Græcè, *Possidebit omnia*. Cælum novum, terram novam, carentiam fletus, luctus, doloris, mortis, & gratuitam aquam vitæ. ET ERO ILLI DEVS. Ostendendo ei omnipotentiam meam, & infinitas meas divitias. ET ILLE ERIT MIHI FILIVS. Divinæ consors effectus naturæ, 2. Pet. 1. v. 4. tractabitur à me, tanquam filius adoptivus, dando ei partem in hæreditate & regno meo æterno, futurus hæres Dei, cohæres Christi, ad Rom. 8. v. 17.

8. TIMIDIS AVTEM. Qui tam procul à victoria absunt, ut nequidem certare, & pugnare audeant: quales maximè sunt, qui metu amitten-

amittendorum temporalium, religionem Catholicam inter hæreticos & infideles profiteri timent. ET INCREDVLIS. Qui fidem divinis promissionibus non habent, quâ ad certandum erigi & sustentari deberent. Timidos enim jungit increduiis, ait Beda, quia ille timet experiri periculum certaminis, qui dubitat de præmio vincentis. ET EXECRATIS. Græcè, *execrabilibus*, seu abominandis: quales in omni genere libidinum Gnostici & Nicolaïtæ, tempore S. Joannis fuerunt, & tempore Antichristi, talia, & majora flagitia redibunt. ET HOMICIDIS, ET FORNICATORIBVS, ET VENEFICIS. Qualibus sceleribus nulla tempora Ecclesiæ vacant, sed Antichristi regnum maximè ijs abundabit: contra quæ periculosissima omnium tempora S. Joannes fideles hic præmunit. ET IDOLATRIS. Ac præcipuè Antichristi & imaginis ejus adoratoribus, Apocal. 13.v.15. ET OMNIBVS MENDACIBVS. Mendacio pernicioso, quale miscere se solet contractuum humanorum fraudibus. Sed illi maximè perniciosè mendaces sunt, qui doctrinas falsas adinveniunt, & in fide Christiana loqúntur mẽdacium. PARS ILLORVM. Portio hæreditatis ipsorum. ERIT IN STAGNO ARDENTI IGNE ET SVLPHVRE. Hęc enim est civitas diaboli, cum quo habitabunt, quia eum moribus imitati sunt. QVOD EST MORS SECVNDA. Prima enim est mors naturæ, quâ anima separatur à corpore, secunda inferni cruciatus. Nec enim ibi anima vivere dicenda est, quæ à vita Dei aliena erit, nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit, ait S. Augustinus lib. 19. cap. 28. Civ. quæ mors tanto durior erit, quia nunquam morietur.

9. ET VENIT VNVS DE SEPTEM ANGELIS. *Vnus*, hic, more Hebręorum, videtur sumi pro *primus*; decebat enim per principalem ex istis 7. Angelis hoc annuntiari. HABENTIBVS PHIALAS PLENAS &c. Quorum officium fuerat effundere 7. phialas &c. supra Apoc. 16. v. 1. VENI. Non gressu corporis, sed advertentiâ mentis. ET OSTENDAM TIBI. Viderat ante, sed jam vult ostendere magis distinctè, & per partes. SPONSAM VXOREM AGNI. Ecclesiam Christi triumphantem, quæ sponsa est, quia virgo & incorrupta manet, & tamen etiam uxor, quia spiritnales filios Agno parit.

Ostendit autem S. Ioanni contentum in continente, sivè Ecclesiam Beatorum non in se ipsa sed in civitate & tabernaculo, quod inhabitat. Ostendit enim ipsi murum, portas civitatis &c.

10. ET SVSTVLIT ME. Non elevatione corporis, sed IN SPIRITV. Elevatione intellectuali aut imaginariâ. IN MONTEM MAGNVM ET ALTVM. Ne objecta alia imaginationi occurrentia impedirent

liberum civitatis aſpectum, præſertim cùm tanta eſſet amplitudo civitatis, ut v. 16. patebit; Angelus autem non fallebat S Ioannem, obijciens ei ſpeciem montis, ubi mons nullus erat, quia indicabat ei, quid hoc ſignificaret, inquit, Carthuſ. ET OSTENDIT MIHI CIVITATEM S. &c. ut v. 2. explicatum eſt.

11. HABENTEM CLARITATEM DEI. Græcè, *gloriam Dei*. Glorioſam quamdam, & divinam claritatem, quâ à Deo illuminatur. ET LVMEN EIVS. Græcè, *luminare eius*, ſive, corpus fulgidum, quod vice Solis eam illuminat: non enim eget Sole, neque Lunâ, ſed lucerna ejus eſt Agnus, ut infra v. 23. dicet. SIMILE LAPIDI PRETIOSO. Non feriens & fodiens oculos, ut radij Solis, ſed blandiens, ut ſplendor pretioſi lapidis. TANQVAM LAPIDI IASPIDIS. Simile, inquam, lapidi pretioſo, qui vocatur Iaſpis: & quia non omnes jaſpides unius coloris & ſplendoris ſunt; alij enim virides, inſtar ſmaragdi, alij purpurei, alij rutilis guttis ſtellati, alij claræ lucis, ſicut cryſtallum: ideò addit, SICVT CRYSTALLVM. Græcè, *cryſtallizanti*. Qui puritate & blandimento lucis cryſtallum imitatur. Talis enim futura eſt claritas corporis Agni, & Beatorum. Et licèt multò ſplendidiora futura ſint, quàm cryſtallum (undè etiam facies Chriſti in monte Thabor dicitur reſplenduiſſe ſicut Sol) tamen comparantur luci cryſtalli, quia tanta nihilominus copia lucis non offendet aſpicientium oculos, ſicuti jam offendunt radij Solis. Deinde jucunda illa lux, & perſpicuitas cryſtalli præterea ſignificat candorem, & puritatem virtutum animi, qui ſub corporibus illis beatis latet.

12. ET HABEBAT MVRVM MAGNVM ET ALTVM. Primum, quod occurrit in civitate, eſt murus exterius ambiens. Hic autem *magnus*, & impenetrabilis molis denſitate, *& altus* ac inſuperabilis aſcenſione; talis autem murus ad cuſtodiam civium eſt ſecuriſſimus; undè æternam ſecuritatem Sanctorum ſignificat. HABENTEM PORTAS DVODECIM. Apoſtolos XII. per quos, tanquam per 12. portas, omnes fideles à principio in Eccleſiam militantem, ac deinde triumphantem intraverunt. Hi enim duodecim fidem Chriſtianam ubique gentium prædicando, primi aditum Eccleſiæ aperuerunt. Nec Paulus decimus-tertius Apoſtolus hîc numeratur, quia ipſe portam cum primis Apoſtolis non aperuit; ſed per apertam ab alijs introivit, licèt plurimos poſteà introduxerit. ET IN PORTIS. Tanquam portarios, vigiles, & cuſtodes, ANGELOS DVODECIM. Angeli enim curâ & providentiâ inviſibili, cum Apoſtolis & prædicatoribus aperiunt fidelibus portas Eccleſiæ: ſunt enim *adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi*,

missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis, ad Hebr. 1. v. ult. Malè autem Beda, Haymo, Carthuſ. & multi vetuſti codices, *Angulos*, legunt, pro, *Angelos*, ut ex græco patet. ET NOMINA INSCRIPTA. Et quædam nomina portis illis inſcripta erant. Quæ SVNT NOMINA DVODECIM TRIBVVM FILIORVM ISRAEL. Sicut enim populus Iſraëliticus fuit figura totius populi electorum; ita nomina XII. tribuum, ex quibus, populus ille componebatur, ſignificant tribus, ſeu turmas electorum, tam ex gentibus, quàm ex Judæis, in quas exercitus Sanctorum in cælo deſcriptus eſt.

Poteſt autem eſſe dubium, an ſingulis portis 12. nomina inſcripta fuerint, an ſingula tantum ſingulis. Sed Ezechiel, quem S. Joannes imitatur, hoc dubium ſolvit: apud eum enim una porta vocatur, *porta Ruben*, altera, *porta Iuda*, &c. Ezech. 48. v. 31. Undè ſingula nomina tribuum tantùm ſingulis portis inſcripta, & unaquæque porta ſuo nomine ab alijs portis diſtincta fuit.

Eſt autem veriſimile, fuiſſe nomina earumdem XII. tribuum, ex quibus collecta ſunt centum quadraginta quatuor millia ſignatorum, Apocal. 7. v. 5. nam ſignati illi ſunt electi, & incolæ hujus civitatis, cujus portæ inſcriptæ ſunt XII. tribuum electarum nominibus. Vndè ſicut tribus Dàn inter tribus ſignatas ibi non computatur Apocal. 7. ita nec hîc portam ſuam habuit, eo quod ex Dan naſciturus putetur Antichriſtus, qui typum reproborum gerit, adeoq; tribus illa ſit maledicta & reproba, nec in Eccleſia triumphante locum habeat.

Apud Ezech tamen cap. 48. v. 32. ponitur etiam porta Dan, quia ut quidam interpretantur, civitas Ezechielis figuram tantum Eccleſiæ militantis gerit, in qua etiam reprobi locũ, & honorem ſuum obtinent.

13. AB ORIENTE PORTÆ TRES. In latere muri orientali tres ſunt portæ, per quas electi ab ortu ſolis in civitatem cæleſtem intrant. Portæ iſtæ orientales civitatis apud Ezechielem ſunt porta Joſeph, Benjamin, Dan: hîc autem loco Dan, qui in civitate Cæleſti portam non habet, reponenda eſt porta Manaſſe, quia Ezechiel ſub Joſeph comprehendit Ephraim & Manaſſe. ET AB AQVILONE PORTÆ TRES. Portæ Aquilonares, ſive Septentrionales, ſunt apud Ezechielem porta Ruben, Juda, Levi. ET AB AVSTRO PORTÆ TRES. In Ezechiele portæ auſtrales, ſeu meridianæ, ſunt Simeon, Iſſachar, Zabulon. ET AB OCCASV PORTÆ TRES. Apud Ezechielem ſunt Gad, Azer, Nepthali.

Tres ergo iſtæ portæ à ſingulis mundi lateribus ſignificant quod Chriſtus ait, *Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro,*

& accumbent in regno Dei, Lucæ 13. v. 29.

14. ET MVRVS CIVITATIS HABENS FVNDAMENTA DVODECIM. Lapides fundamentales 12. unum juxta alterum dispositos, & incumbentes monti Sion, tanquam lapidum fundamentalium fundamento, quod est Christus. *Fundamentum enim* (scilicet principale) *aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*, 1. ad Cor. 3. v. 11. ET IN IPSIS DVODECIM NOMINA inscripta sunt, sicut in lapidibus fundamentalibus nomina eorum ad memoriam inscribi solent, qui primos lapides fundamentales ædificij ponunt. DVODECIM APOSTOLORVM AGNI. Hîc verò sunt ijdem fundatores, & lapides fundamentales ædificij, qui seipsos collocant in fundamentis Ecclesiæ, quæ tota est mysticum, & è lapidibus vivis ædificium: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis*, 1. Pet. 2. v. 5.

Itaque Apostoli & portæ sunt, quia doctrinâ suâ in civitatem Dei electos introducunt, & sunt fundamenta muri, quia aliorum imbecillitatem sustentant. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*, ad Ephes. 2. v. 20.

15. ET QVI LOQVEBATVR MECVM. Angelus, qui mihi ostendebat civitatem, murum, portas, &c. HABEBAT MENSVRAM ARVNDINEAM AVREAM. Græcè, *mensuram calamum aureum*. Calamus, sive arundo ista erat certa mensura geometrica 6. cubitorum & palmi, ut patet Ezech. 4. v. 5. Solebant autem tali mensurâ uti ad mensurandos agros, & res magnas, erantque qualis fere decempedalis apud Romanos. Supra vero Apocal. 11. v. 1. calamus iste dicitur similis virgæ. UT METIRETVR CIVITATEM. Aream intra muros comprehensam, ut intelligatur, quantum numerum civium capere possit. ET PORTAS EIVS. Portarum altitudinem & latitudinem, ut sciatur, an homines tantum singuli, an bini, aut terni, vel etiam cum vehiculis & impedimentis illam civitatem intrare possint. ET MVRVM. Muri circuitum, altitudinem, & crassitiem: ut intelligatur, quàm securi sint cives, quos murus ille defendit.

16. ET CIVITAS IN QVADRO POSITA EST. figuræ quadrangularis est. ET LONGITVDO EIVS TANTA EST, QVANTA ET LATITVDO. Quatuor latera istius figuræ quadrangularis sunt æqualia inter se. Tales autem quadratæ civitates sunt magis idoneæ ad defensionem, quia ex utroque angulo opposito, latera hostium ascenden-

cendentium ad ictus patent. Unde hodie ars militaris non amplius urbes & munitiones rotundas, sicuti olim, sed cornibus procurrentibus ædificat, tanquam ad repellendos hostes magis idoneas. Et de Ierosolyma terrestri à Tito Cæs. obsessa, Corn. Tacitus lib. 5. Hist. narrat: Duos colles in immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent.

Aliqui ex hoc Apocal loco nituntur probare, ultimam Cæli empyrei, sive mundi totius superficiem esse figuræ quadratæ: sed Astronomi potius conjectant, esse perfectè rotundam, quia figura rotunda capacior & simplicior est; nec ullus angulorum ibi extantium videtur esse usus, sicut in civitatibus terrestribus. Undè figura ista quadrata Cæli, & civitatis Beatorum, potius est mystica, quàm litteralis: potest autem significare Cæli Empyrei immobilitatem, quia corpus quadratum quiescit, & non volvitur, sicut corpus sphæricum quando projicitur per planum. Deinde significat stabilitatem civium illius civitatis, qui moveri, & excidere à sua felicitate nunquam possunt, ut Carthusianus contemplatur.

Et mensus est civitatem de arundine aurea. Per arundinem auream: tam pretiosam enim civitatem, cujus plateæ & domus aureæ, & muri lapides pretiosi, decebat simili etiam mensurâ mensurari. Hæc aurea mensura divinam sapientiam significat, ait Beda, quæ attingit à fine ad finem fortiter, & in illa civitate disponit omnia suaviter in numero, pondere, & mensura. Per stadia duodecim millia. Mensus est ambitum civitatis 12. stadiorum millibus: unde cum in uno milliari Ialico sint 8. stadia, circuitus civitatis continet 1500. milliaria Italica, sive 500. leucas, dando, sicut Geometræ solent, unicuique leucæ tria milliaria Italica. Nulla autem civitas in terra quingentas leucas in circuitu habet.

Cùm deinde civitas ista sit quadrata, unumquodque quadri latus ad tria millia stadiorum extenditur. Denique cum habeat 12. portas ut v. 12. dictum est, distantia inter duas quasque proximas portas, si æqualibus intervallis inter se distent, erit 1000. stadiorum.

Alcazar tamen ambitum civitatis quadruplò majorem facit: nam ista 12000. stadiorum putat tantùm esse longitudinem unius lateris quadri, non circuitus totius civitatis.

Et

Et longitudo, et altitudo, et latitudo eius æqualia sunt. Hinc patet, totam hanc civitatem esse mysticam & symbolicam: nam vera civitas, præsertim tam ampla, quàm ista describitur, non potest esse tam alta ædificijs & turribus, quàm est longa; oporteret enim turres habere tria millia stadiorum perpendiculi in altitudine. Deinde in cælo non sunt propriè turres & ædificia, sed tantùm multæ mansiones metaphoricæ, de quibus Christus, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Ioan. 14. v. 2. quæ significant varios beatitudinis & præmiorum gradus.

Alij in altitudinem civitatis imputant non tantùm ædificia, sed etiam montem, in quo civitas posita est. Sed si sic ad litteram velimus interpretari, longitudo, latitudo, & altitudo civitatis Beatorum, sive cæli empyrei, longè major est quàm 3000. aut 12000. stadiorum, cùm totus orbis terræ comparatione stellæ firmamenti, sit instar pulvisculi; & stella, respectu empyrei, sit instar nihili: undè meritò exclamat Propheta: *O Israël, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*. Baruch. 3. v. 24. Deinde altitudo Empyrei à centro terræ non est æqualis, sed duplo minor, quam longitudo & latitudo; continet enim solùm semidiametrum mundi, longitudo autem & latitudo integram diametrum.

Meliùs ergo totum interpretabimur mysticè, ut istæ dimensiones civitatis aliquid significent, quod ad cives ipsos pertinet. Longitudo igitur est æternitas extendens, latitudo est charitas dilatans, altitudo est contemplatio erigens: quæ tria hujus civitatis statum componunt, & dicuntur, *æqualia*, quia omnia æterna sunt, & fine carent.

17. Et mensus est murum eius. Non muri circuitum, sed altitudinem; nam circuitus muri est idem qui civitatis, scil. 12000. stadiorum. Centum quadraginta quatuor cubitorum. Qui numerus quadratus est ex radice 12. Nam duodecies, 12. colligunt 144. unde solidus & perfectus est, significans soliditatem, & securam protectionem, quâ cives illius civitatis à tali muro proteguntur. Mensura hominis, quæ est Angeli. Qui cubiti, sunt cubiti & mensura illius hominis, qui apparebat in forma Angeli. Unde non arundine suâ, sed cubito suo, qui erat instar cubiti humani, Angelus ille murum mensurabat.

Mysticè significatur, quod murus protectionis, quâ Deus Ecclesiam hominum electorum proteget, ejusdem erit mensuræ cum muro quo Angelos beatos protegit. Angeli enim & homines in unam civitatem

tatem miſcebuntur, eruntque homines æquales Angelis Dei, Lucæ 20. v. 36.

18. ET ERAT STRVCTVRA MVRI EIVS. A menſura & magnitudine muri, ad materiam ejus tranſgreditur. EX LAPIDE IASPIDE. Sine dubio ex illo genere jaſpidis, quod pellucet ſicut cryſtallum, ut ſupra v. 11. dixit. Murus enim ille ita protegit beatos, ut eos non obumbret, omnia enim in illa civitate pellucent, & oculis pervia ſunt; unde etiam ſequitur: IPSA VERO CIVITAS. Plateæ, & omnia ædificia, AVRVM MVNDVM. Conſtructa ex lapidibus aureis mundiſſimi auri, ſine ullius alterius metalli mixtura. Nobiliſſimi enim & puriſſimi metalli materia, in nobiliſſimæ omnium civitatis ſtructuram debuit aſſumi, ut quocumque beati cives oculos circumferunt, nihil ſit, quod eos offendat, ſed omnia ſummoperè exhilarent. Quia etiam civitas æterna eſt, conſtrui debuit ex materia incorruptibili. Cæterùm ſi ad litteram hæc de materia cæli empyrei accipiantur, nobilior, & durabilior eſt omni auro puriſſimo & obryſo. Et ne quis putaret, lateres aureos, quibus civitas conſtructa eſt, luminibus obſtare, & creare umbras, addit: SIMILE VITRO MVNDO. Aurum autem illud pellucidum eſt, ſicut cryſtallus, aut vitrum mundiſſimum. Reverà enim talem fermè imaginamur cæli materiam: auream nempè propter ſoliditatem & incorruptibilitatem. Nec tamen opacam, ſicuti eſt noſtrum aurum, ſed ſolutâ & digeſtâ opacitate pellucidam.

Myſticè autem hoc ſignificat, quod viſui & cognitioni Beatorum omnia ſint pervia in illa civitate, etiam uſque ad fundum corporum & animorum, quando placet ſuas ſibi invicem cogitationes revelare, quaſi omnia & hominum, & ædificiorum corpora ex vitro mundiſſimo eſſent conflata.

19. ET FVNDAMENTA MVRI CIVITATIS. Quæ ſupra v. 14. dixit eſſe duodecim: ſed non narraverat, ex quibus lapidibus eſſent, ſed tantùm v. 18. de ſtructura ſuperiore muri dixerat eſſe ex jaſpide. Pergit ergo jam etiam narrare, quibus lapidibus illa 12. fundamenta conſtent. OMNI LAPIDE PRETIOSO ORNATA. Multis & varijs lapidibus pretioſis collucentia, & ſplendore ſuo ornata, unumquodque ſcilicet lapide ſuo pretioſo conſtans atque ornatum. FVNDAMENTVM PRIMVM, IASPIS. An ſinguli lapides pretioſi ſingulis tantùm Apoſtolis, an unuſquiſque omnibus tribui debeat, incertum eſt. B. Viegas cum multis alijs vult, unumquemque lapidem omnibus Apoſtolis convenire, quia ordo vocationis Apoſtolorum ad Chriſtum ex Euangelio non conſtat, & ordo meritorum multo minus, nec in

ordine enumerationis Euangelistæ consentiunt.

Sed Aretas, & plures unumquemque lapidem attribuunt suo Apostolo, ordine illo fermè, quo à S. Luca recensentur, Lucæ 6. ubi Christus elegit duodecim ex omnibus suis Discipulis, ut illos lapides Ecclesiæ suæ fundamentales constitueret, hoc ordine: Petrus, Andreas, Iacobus Zebedæi, Ioannes, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Thomas, Iacobus Alphæi, Simon Zelotes, Iudas Iacobi, Iudas Iscariotes; & quia hic excidit, loco ejus substituendus est Matthias.

Primus ergo lapis fundamentalis est Petrus, per jaspidem designatus, vir totus divinus, & Deo similis, qui in throno suo sedens coloris jaspidis apparuit, Apocal. 4. v. 3. Iaspis enim ut plurimum viret, estque symbolum semper virentis æternitatis. Indè fortasse Nero, qui Divinitatem affectabat, effigiem thoracatam ex jaspide sibi formari jussit, quam se vidisse narrat Plinius. Quidam etiam jaspis pellucet instar crystalli, ut supra v. 11. dictum fuit; quod candori S. Petri convenit. Fuit enim homo minimè duplex & fucatus, sed simplex, & totus pellucidus.

Notandum vero est, quod ijdem 12. lapides, qui hîc tribuuntur fundamentis Ecclesiæ, jussi fuerint inseri Rationali summi Pontificis, Exod. 28. v. 17. & XII. tribuum Synagogæ Patriarchas repræsentasse, veluti hîc XII. Apostolos, Ecclesiæ Christi Patriarchas. Novem verò ex illis ornatum fuisse paludamentum Regis Tyri, qui mysticè significant naturæ & gratiæ dotes, quibus in cælo ornatus fuit Lucifer, cujus typum rex ille gessit, Ezech. 28. v. 13.

Secundum, Sapphirus. Lapis est cærulei coloris, aureis guttis stellatus, cælo sereno similis, & gratissimi aspectus, cujus in medicina magnus usus: nam è collo gestatus cor exhilarat; pestem, febrium ardorem, & libidinis æstum abigit: undè Sacerdotibus, & ijs, qui castitatem voverunt, censetur utilissimus, inquit Ansel. Boëtius lib. 2. cap. 43. de Gemmis.

Quæ omnes lapidis Sapphiri proprietates in sublimis & cælestis vitæ ac castimoniæ Apostolo Andrea fuisse, facilè nobis possumus persuadere, licèt nullibi virtutes ejus descriptas in particulari habeamus. Certè tamen castimoniâ superasse fratrem suum Petrum, inde suspicari possumus, quod uxore caruerit. De nullius quippe Apostoli uxore, præterquam Petri, quidquam traditur.

Tertium, Chalcedonius. Lapis iste à Plinio inter genera rubinorum ponitur, pallidior carbunculo, sub tecto purpureus, sub dio flammeus. In Rationali tamen Aaronis nomen Carbunculi habet,

Exo.

Exo. 28. v. 18. Vocem clarificat, tristitiam & melancholiam pellit. Nec desunt auctores vani, qui gestanti victoriam promittant, inquit Boëtius: qui etiam Chalcedonios quosdam, sed pretij vilioris, in Belgio circa Bruxellam & Lovanium, in agro Heverlæensi se reperisse narrat. Præcipuus hodie eorum usus ad sigilla, quia cera ipsis non adhæret.

Quas proprietates quisque pro ingenio suo, ad virtutes S. Jacobi Majoris, qui tertius est inter Apostolos, referre potest. Certè fervor ejus, instar chalcedonij, ac carbunculi divinâ luce accensi, patuit inde, quod primus Apostolorum in exteras regiones, & in Hispaniam usque statim à morte Christi, ad prædicandum lætissimum mundo nuntium, excurrerit, & tenebras ac tristitiã, in quibus gens illa sedebat, dispulerit.

QUARTUM, SMARAGDUS. Hic lapis prata, & omnia terræ virentia gratissimo virore superat, adeò, ut etiam vicinum aërem viridi luce perfundat, ideoque visum mirum in modum recreat. Cum verò omnes lapides pretiosi, si ab hominibus spurcis & libidinosis gestentur, sordes contrahant, & splendorem amittant; Smaragdus, si gestetur ab eo, qui rei venereæ operam dat, in partes dissilit, quasi fœditatem rei indignatus.

Undè patet, smaragdi virtutes, virgini Apostolo Joanni, & qui Christo Domino, quod Smaragdus inter gemmas, id est, jucundissimus fuit, rectè convenire. Prædicatio quoque illa ejus charitate semper fulgens & virens erat, instar gratissimi viroris, quo auditores aspergebat.

20. QUINTUM, SARDONYX. Lapis ex sardio & onyche quasi compositus: sardius enim ruber est, & onyx pellucidus, ut unguis humanus, per quem sardius, veluti caro rubra transflucet.

Undè quidam recentiores ideò S. Philippo inter Apostolos quinto hunc lapidem appropriari dicunt, quia videtur fuisse omnium Apostolorum maximè simplex, & similis quodammodo sardonychi, & carni per candorem unguis transflucenti, quia animi interiora in superficie quasi gereret, sicuti homines minimè fucati solent. Hoc autem colligunt, ex simplici, inquiunt, interrogatione, quâ Christum interpellat, Joan. 14. v. 8. Et propter eandem ingenij simplicitatem, Cyrillus existimat, quòd Christus eum potissimùm inter omnes Apostolos interrogaverit, *Undè ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6. v. 5

Sed hoc non est lapidem sardonychem in laudem S. Philippi, sed potiùs in contemptum vertere. Bedam potiùs ergo sequamur, qui quia lapis iste in imo rubet, & candet in summo, ait significare corporis

passione rubicundum, & spiritus puritate candidum. Aut certè ad colorum varietatem, & elegantiam colores iridis imitantem, quæ dat præcipuam huic lapidi æstimationem, respici dicamus. Ut sicut sardonix istâ colorum amœnissimâ varietate est admirabilis; ita Apostolus Philippus jucundissimâ virtutum divinarum humanarumque mixturâ, omnium animos rapuerit.

Certè vasa illa & pocula myrrhina, tam celebrata olim aqud Romanos, ex sardonyche fuisse facta, ex fragminibus, quæ vidisse se dicit, iridis colore variegata, conjectat Ansel. Boëtius; longè elegantiora & pretiosiora, quàm Porcellana quæ hodie ex China pro Myrrhinis adferuntur, igne tantùm ex terra pingui & subtili excocta.

Quod verò S. Philippum fuisse ingenio tardo & simplici, ex illa interrogatione Christi, Ioan. 6. v. 5. colligit Cyrillus, res est incerta: nam alij indè peritiam majorem œconomiæ in S. Philippo potiùs colligunt; quasi Christus eum interrogaverit, ut rei familiaris peritus testaretur, quanta pecunia necessaria esset, ut panes pro tot hominum millibus emerentur, & ut indè miraculi magnitudo, quod patraturus erat, manifestius appareret.

Sextum, Sardius. Hic lapis olim apud Hebræos in maximo honore fuit, quia primus erat inter 12. gemmas, in Rationali summi Pontificis ante pectus pendentes. Colore ruber est, nec totus diaphanus, sed semiopacus. Admiranda ejus virtus in reprimendo sanguinis fluxu. Acuere etiam ingenium, & mala somnia dispellere perhibetur. Sanguineo colore Martyrum gloriam repræsentat, ait Beda: undè S. Bartholomæo meritò peculiaris, cujus inter omnes Apostolos martyrium maximè cruentum & crudele fuit.

Septimum, Chrysolitus. Ab auri colore sic vocatus; ita enim aureo colore fulget, ut scintillas spargere videatur. Unde illi hoc lapide figurantur, ait Beda, qui intellectu supernæ sapientiæ fulgentes, verba exhortationis in proximos, vel etiam miraculorum signa, quasi scintillas ignis effundunt. Quæ proprietas Matthæo Apostolo rectè convenit, cujus Euangelium toto orbe rutilat & scintillat.

Chrysolitus quoque coleram & libidinis æstum reprimit, & linguæ suppositus, febricitantium sitim extinguit, ait Boëtius: quæ omnia ad animorum virtutes, quisque meditando facilè applicare potest.

Octavum, Beryllus. Aquæ marinæ dilutæ virentis colorem hæc gemma habet. In India nascitur. Mirâ virtute oculorum vulnera,

nera, & contusiones sanat. Ingenio prodesse, & conjugatos invicem reconciliare dicitur. Solent berylli in figuram sexangulam poliendo figurari, ut angulorum repercussu fulgor Solis acuatur; quo significantur homines, ingenio quidem sagaces, sed supernæ gratiæ lumine ampliùs refulgentes, ut Beda interpretatur: sed non est, inquit, humana vel divina sapientia perfecti fulgoris, nisi operum quoque consummatio addatur, quæ numero senario figuræ sexangularis significatur, quo mundi opus consummatum fuit.

Beryllus S. Thomæ Indorum Apostolo accommodatur, qui humanâ divinâque sapientiâ, & operum consummatione, tanquam beryllus sexangularis, inter barbaros illos radiavit.

Nonvm, Topazivs. Gemmam hanc in genere virentium collocat Plinius. Mole inter omnes est maxima, adeò, ut quandoque statuæ etiam ex ea fiant. Collo puerorum pro annuleto, contra timores nocturnos & terriculamenta, contra phrenesin, & lunaticos paroxysmos gestatur.

Beda verò duos habere colores dicit, unum auri purissimi, alterum ætherea luce refulgentem, & Solis fulgore repercussam omnium gemmarum superare claritates: Regibus olim maximè in pretio & admiratione fuisse; symbolum esse vitæ contemplativæ. Hanc enim vitam Reges sancti, qui supra corpus & animam suam regnant, maximè admirantur & diligunt, tanto ardentiùs hujus cælestis vitæ dulcedinem animo complectentes, quanto frequentiùs supernæ gratiæ splendore fuerint repercussi.

Habent etiam sancti viri, inquit, aureum ex internæ flamma charitatis colorem, habent æthereum ex supernæ contemplatione dulcedinis fulgorem: & quia octavo loco positus est beryllus, qui sexangulari prismate refulgens, vitæ activæ est symbolum, ideo rectè, ait Beda, nono loco topazius speculativæ suavitatis gemma collocatur, quia à perfectæ beatitudinis denario, uno tantùm mortis gradu abest. Ad quem summo desiderio Propheta suspirans Psam. 118. aiebat: *Dilexi mandata tua super aurum & topazium*, id est, Super omnem probatæ actionis claritatem, & super omnem, quæ in hoc sæculo fieri potest, contemplativi gradus sublimitatem, dulcissimo mandatorum tuorum delectabar amore, quorum primum & maximum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute*: quod non nisi in illo cælestis regni culmine ad integrum perfici posse, certissimum est. Ita Beda, sensu anagogico significationem topazij pulchrè explicans. Quæ in Iacobum Alphæi, sive minorem, inter Apostolos ordine nonum

optimè quadrant: qui ſublimiſſimæ contemplationis, & ab omni rerum terrenarum affectu remotiſſimus fuit. In utero matris, inſtar Ioannis Baptiſtæ, ſanctificatus, carnem nunquam comedit, vinum aut ſiceram nunquam bibit, & tantæ ſanctitatis ac venerationis, etiam apud Iudæos, fuit, ut ei ingreſſum Sancti Sanctorum cum ſummo Pontifice permitterent, & cujus neci everſionem Ieroſolymæ ſub Tito imputaverint, ut ex Egeſippo & Ioſepho narrat S. Hieronymus.

Decimvm, Chrysoprasvs. A viredine porri, cum aurei coloris mixtura, nomen habet: quo ſignificantur illi, inquit Beda, qui æternæ patriæ viriditatem, perfectæ charitatis fulgore promerentur.

Hæc gemma Simonem Chananæum deſignat, etſi quidam Iudam Iacobi, ante Simonem collocent decimo loco.

Vndecimvm, Hyacinthvs. Sic vocatus à colore hyacinthi floris, quem æmulatur: cærulei enim coloris eſt cum violacei mixtura. In Rationali ſummi Pontificis Exod. 28. v. 19. *Ligurius*, interprete S. Hieronymo, vocatur, à coloris jucunditate. Hic lapis cum facie cæli mutatur, ſereno perſpicuus & gratus, nubilo tenebreſcit. Undè putatur ſignificare viros ſpirituales, qui omnibus omnia facti, prout cælum juſſerit, inter perfectos perfecta & ſublimia, inter infirmos humilia loquuntur, dicuntque cum S. Paulo, *ſive mente excedimus, Deo; ſive ſobrij ſumus, vobis*, 2. ad Cor. 5. v. 13.

Hâc gemmâ figuratur Iudas Iacobi, Apoſtolorum XI. auctor ultimæ epiſtolæ inter 7. Canonicas, in qua oſtendit ſe benignum & hilarem erga bonos, triſtem & terribilem erga improbos.

Dvodecimvm, Amethystvs. Violacei, aut ſubpurpurei vini colorem habet iſte lapis, ſivè, ut Iſidorus & Beda aiunt, cum roſæ nitore leves quaſdam flammulas fundit: flammulæ autem rerum cæleſtium amorem, roſeus nitor humilem Sanctorum verecundiam, pretioſamque mortem, ait Beda, ſignificat, quorum mens inſtar flammæ in cælum erigitur, etiam quando exteriùs perpeti abjecta cernuntur. Vocatur græcè hic lapis, *amethyſtus*, id eſt, non ebrioſus, quia umbilico appoſitus, putatur ebrietatem diſcutere.

Hoc lapide S. Matthias Apoſtolorum ultimus notatur.

Licet autem omnium lapidum virtutes omnibus Apoſtolis conveniant; aliquid tamen peculiare fuit, quod in ſingulis emineret, quia *alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, &c.* 1. Cor. 12. v. 8. & hoc ſenſu de quolibet Sancto Confeſſore Pontifice ex Eccli. 44. v. 20. Eccleſia canit, *Non eſt inventus ſimilis illi.*

21. Et dvodecim portae. De quibus mentio facta antè v. 12.

Dvo-

DVODECIM MARGARITAE SVNT PER SINGVLAS. Singulatim, singulæ videlicet ex singulis; mox enim se explicat: ET SINGVLAE PORTAE ERANT EX SINGVLIS MARGARITIS. Cùm enim Christus sit pretiosa illa margarita, inquit Beda, quam sapiens negotiator emit, venditis omnibus, quæ habuit, Matt. 13. v. 46. suos etiam Apostolos, per quos tanquam per portas, reliqui cælestem civitatem intrant, communicato suo fulgore & pretio, margaritas, & sibi similes esse fecit: sicut etiam, quia ipse *erat lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, iisdem Apostolis dedit esse lucem mundi, *Vos estis lux mundi*, &c. Matth. 5. v. 14.

Margaritas autem, sive uniones eos vocat, quia sicuti margaritæ in marinis conchis ex purissimo cæli rore, ac cælesti lumine excoctæ, in maximo pretio apud homines sunt: ita Apostoli, & Apostolici viri rore, & lumine gratiæ cælestis à Spiritu S. conformati, homines quidam divini, & mundo pretiosissimi esse debent. Si enim unica margarita parvi ponderis, ex auricula reginæ Ægypti Cleopatræ dependens, quam in cœna M. Antonij absorbuit, æstimata fuerit centies sestertium, id est, I. Lipsij calculo, ducentis quinquaginta millibus Philippicorum; quanti pretij erunt ingentes ex singulis margaritis tam magnæ civitatis portæ?

ET PLATEA CIVITATIS. Quælibet platea, non tantùm forum civitatis, vt interpretatur Beza. Sicut enim tota civitas dicitur aurum mundum, suprà v. 18. ita omnes quoque plateæ debent esse similes ædificijs. AVRVM MVNDVM. Purissimum & excoctissimum ab omni scoriâ, & alterius metalli mixturâ.

Aurum hoc mundum platearum, charitatem corda civium civitatis ut plateas dilatantem, & in se invicem recurrentem significat: nam affectus Beatorum, dum quisque felicitati altericongaudet, quodammado in se invicem, instar platearum, recurrunt.

TANQVAM VITRVM PERLVCIDVM. Aurum istud ita purificatum est, ut nequidem opacitatem auro naturalem retineat: quod charitatis summam perfectionem & puritatem significat, quę nihil invidię, æmulationis, aut sinistri affectus ullam vel minimam umbram permixtam habeat.

Beda hoc ad Ecclesiam militantem accommodat, in qua multi, velut plateæ, vitam inferiorem & latiorem ducunt in sæculo, qui tamen summis cincti virtutibus, puritate mentis, ac radio operis, ut aurum vitrumque fulgent.

22. ET TEMPLVM NON VIDI IN EA. Non enim Ecclesia triumphans indiget templo materiali, sicut Ecclesia militans, quæ ad sacrificia,

ficia, ad Sacramentorum administrationem, ad orationem, Deique laudem decantandam, in templa materialia, extra distractiones, & sæculi turbas, recipere se aliquando debet: ibi verò nec sacrificium propriè dictum, nec Sacramentorum administratio ulla amplius erit; Dei tamen laudes in sæculum sæculi decantabunt, sed ad istum finem nullo etiam templo indigebunt. DOMINVS ENIM DEVS OMNIPOTENS TEMPLVM ILLIVS EST. Officio templi in ea civitate fungitur, cives ipsius circumfuso Divinitatis lumine ambiendo, & contemplatione profundissimâ, sine ulla distractione, eos in se attrahendo, ut in ipso quiescant, & sacrificia laudis ibi sempiterno tempore illi offerant. ET AGNVS. Qui tanquam Deus idem templum cum Patre & Spiritu S. est; ut homo autem, tanquam præcipuum præmij accidentalis objectum, ait Carthus. quod Beati perpetuò intuentur, ut non sit necesse aliud templum intrare, ut se circa ipsum recolligant.

Hæc autem non pugnant cum eo, quod Apoc. 5. v. 5. dicatur apertum fuisse templum Tabernaculi in cælo: & Apo. 7. v. 15. SS. Martyres amicti stolis albis dicantur ante thronum Dei, in templo ejus servire die ac nocte: Unde falsum videri posset, quod nullum sit templum in cælo. Sed utrumque verum est: nam S. Joannes illis locis vidit cælum sub quadam forma templi Salomonis cum altari &c. quia templum Salomonis typus fuit cæli. Sed hic non vidit templum aliquod distinctum à toto cælo, in quod Beati ad sacrificia & orationes secedant, ut Deo attentiùs vacent, qualia templa hîc videmus in civitatibus Ecclesiæ militantis. Talibus autem non indiget Ecclesia triumphans, cùm Deum clarè ubique ante oculos videat, & in ipso attentissimè recollecta sit, adeoque totum cælum instar templi unius sit.

23. ET CIVITAS NON EGET SOLE. Ad habendum diem. NEQVE LVNA. Ad illuminandam noctem, quia nox ibi non erit, ut dicet v. 25. UT LVCEANT IN EA. Non enim syderibus hujus inferioris mundi patria illa supercælestis utitur. NAM CLARITAS DEI. Græcè, *gloria Dei*. Lux divinæ essentiæ increata. ILLVMINAVIT EAM. Lumine gloriæ aspergendo mentes Beatorum. ET LVCERNA EIVS. Tanquam luminare minus, corporeis etiam oculis Beatorum accommodatum. EST AGNVS. Per cujus Humanitatem, tanquam per crystallum, lux increata intùs inclusa, lumen creatum gloriosi corporis in oculos Beatorum trajicit, & cælestem Empyrei auram lumine suo implet.

Vocat ergo Christi Humanitatem, *lucernam*, quia instar lunæ erit, quæ in inferiori mundo est lucerna noctis; licet illa Humanitas in cælo, ubi nox non est, officio lucernæ nocturnæ non fungatur, sed

simul

simul cum ipso sole videatur: velut etiam in hoc mundo luna plena, aut multo lumine turgida, de die cum sole videri potest.

24. ET AMBVLABVNT GENTES. Quidam græci codices addunt, *Quæ salva fuerint.* Loquitur enim de solis ad salutem æternam prædestinatis, qui perseveranter usque ad ingressum civitatis ambulant. IN LVMINE EIVS. Ad lumen illius civitatis, quod jam, velut à longè, per fidem cognoscunt & vident, in illa civitate, tanquam in Pharo quadam, accensum, ut iter hujus vitæ eò dirigant. Alludit ad illud Prophetæ, *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore vultus tui,* Isa 6. v. 3. ET REGES TERRÆ. Non tantum vulgus hominum. AFFERENT GLORIAM SVAM ET HONOREM IN ILLAM. Opes & potentiam, quæ gloriæ & honoris ipsorum materia sunt, adferent in Cælestem Jerusalem, quando propter regnum Cælorum, se, & omnia sua jugo fidei Christianæ submittent, & libenter expendent, ut jus illius beatæ civitatis emant.

Undè quia per Ecclesiam militantem ad illam triumphantem transire debent, Isaias similia de Ecclesia militante quæ Joannes hîc de triumphante, narrat; *Erunt reges nutritij tui, & regina nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te; & pulverem pedum tuorum lingent,* Isa. 49. v. 23. Quod videmus jam fieri in Ecclesia militante, quando Reges & principes divitias suas in Ecclesiam & Ecclesiæ Ministros conferunt, & quando Pontifices & Prælatos Ecclesiæ venerantur & honorant.

25. ET PORTÆ EIVS NON CLAVDENTVR. Nullus enim hostium metus ibi erit, propter quos civitatum portæ claudi solent. Deinde omni tempore aliqui cives electi ab omni parte mundi civitatem ingredi debent, adeoque portæ semper patere debent. PER DIEM. Semper, quia semper ibi est dies: undè mox addit, cur noctis non faciat mentionem. NOX ENIM NON ERIT ILLIC. Nam claritas Dei, & lucerna Agni diem perpetuum facient. Undè non ampliùs ibi dicitur, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem,* Matth. 26. v. 41. sed, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus,* Psal. 45.

26. ET AFFERENT GLORIAM ET HONOREM GENTIVM IN ILLAM. Nec tantum reges, ut v. 24. dixit, sed etiam, quidquid dignitate, divitijs, ingenio, doctrina inter gentes gloriosum erit, omnia illa, se, & sua ad civitatem illam conferent, eo modo, quo v. 24. explicatum est.

27. NON INTRABIT IN EAM ALIQVOD COINQVINATVM. Græcè, *omne commune:* Hebræi autem vocant, *commune,* quod ita est in

communi & promiscuo usu gentilium, ut tali populo Dei, quales Judæi erant, nefas esset illud tangere. Hinc factum est, ut, *commune*, usurpent pro immundo & coinquinato, ut patet Act. 10. v. 14. & alibi.

Quidam textus græci legunt, *omne communicans*, seu, *coinquinans*, respicientes fortè ad civitatis illius munditiam, cujus plateæ sunt aurum mundum, ut proinde nemo sordidis pedibus eam intrare debeat, ne communicet, sive coinquinet pavimentum.

AVT ABOMINATIONEM FACIENS. Quales erant execrabiles libidines & flagitia, Simonianorum & Nicolaïtarum, quorum hæreses tempore S. Joannis in Asia regnabant. ET MENDACIVM. Quod generaliter pro omni specie peccati, sicut, *Veritas*, pro omni virtute in Scriptura sæpè accipi solet: quo sensu dicitur, *omnis homo mendax*, id est, peccans, ut S. Augustinus lib. contra mendacium cap. 20 explicat. Nam omnis peccans errat, & à veritate discordat, dum practicè judicat, aliquid diligendum esse, quod non est diligendum.

Loquitur autem S. Joannes de inquinatis, abominabilibus, & mendacibus, propter gravia scelera, qui nullum jus ad introitum cælestis civitatis, sed partem in stagno ignis & sulphuris habent, ut dixit v. 8. Justi tamen, qui jus intrandi habent, si maculis venialibus aspersi sint, eas abstergere debent, antequam intrent.

NISI QVI SCRIPTI SVNT. Sed tantùm illi, qui scripti sunt. Particula enim, *nisi*, non significat hîc exceptionem, sed valet hîc idem, ac, sed tantum, quo modo Hebræi sæpè usurpant, ut Joan. 17. v. 12. Matth. 5. v. 13. 4. Reg. 5. v. 17. &c. IN LIBRO VITÆ AGNI. Illi autem sunt soli prædestinati ad vitam æternam, quam consecuturi sunt per merita Agni in cruce pro ipsis immolati.



CAPVT

CAPVT XXII.

SYNOPSIS CAPITIS.

Postquam architecturam civitatis descripsit, nunc felicitatem civium, & delicias, quibus pascuntur, narrat. Deinde, quinam sint intra civitatem recipiendi, quinam excludendi. Denique librum suum tandem concludit, & dira comminatur illi, qui addere aliquid ad verba Prophetiæ hujus ausus fuerit.

vers. 1.

ET OSTENDIT MIHI. Idem ille Angelus. FLVVIVM AQVÆ VITÆ. Abundantiam cælestium & perennium voluptatum, quibus perpetuò fruuntur cives beatæ civitatis, juxta illud: *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Psal. 45.

Richardus, Carthus. & multi Latini cum Areta græco legunt, *Aqua viva*, nam Hebræi, aquam vivam, solent, aquam vitæ, appellare. Aqua autem viva est, quæ ex fonte perenniter fluit; quales non sunt torrentes, vel aquæ ex imbribus collectitiæ. Hinc, quia aquæ vivæ solent alijs esse limpidiores, sequitur: SPLENDIDVM TANQVAM CRYSTALLVM. Quod limpidissimum Beatorum gaudium, & nullius vel levissimæ tristitiæ nubeculâ offuscatum significat. PROCEDENTEM DE SEDE DEI ET AGNI. Hoc est quod regius vates dicit, *Apud te est fons vitæ*, Psal. 35. Voluptas enim Beatorum à contemplatione Dei in throno suo sedentis, & Agni à dextris ejus assidentis manat: ex contemplatione etiam Humanitatis Agni, primarium gaudium accidentale fluit: & denique, quidquid ibi est, beatificæ visionis, amoris & gaudij, totum ex fonte meritorum Agni Hominis emanavit.

2. IN MEDIO PLATEÆ EIVS. Cujusvis plateæ civitatis: non enim in medio unius tantùm plateæ, sed omnium platearum, per quarum latitudinem mediam, tanquam per alveos suos, fluvius in varios ramos dispersus fluit; veluti fluida crystallus, super stabilem & auream crystallum, quia plateæ civitatis aurum mundum sunt, tanquam vitrum perlucidum, supra Apocol. 21. v. 21.

Quid autem jucundius beatis illis civibus semper sitientibus, quàm crystallinas aquas, per pavimentum aureum diaphanum instar crystalli, fluentes, in medijs plateis habere, undè semper bibere, & nunquam ad nauseam satiari possint?

Et ex vtraqve parte flvminis. In utraque ripa, ut tam unius, quam alterius ripæ accolæ, præter jucundissimum aquæ crystallinæ potum, etiam fructus ad delectandam famem paratos habeant. Lignvm vitæ. Arbores multæ erant fructus vitæ ferentes. *Lignum*, enim hîc, more hebraico, pro arbore, & collectivè, pro arboribus multis accipitur. Undè Ezech. 47. v. 7. dicitur, *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.* Hæc autem visio apocalyptica similis est visioni Ezechielis, nisi quod iste de torrente gratiæ, qui per plateas Ecclesiæ militantis currit; S. Ioannes verò de flumine voluptatis Ecclesiæ triumphantis loquatur.

Quandoquidem ergo arbores vitæ tam in medio platearum, quàm in utraque ripa hîc plantatæ sint, triplex in singulis plateis est earum ordo; cùm tamen in Paradiso terrestri, ad quem S. Ioannes hîc alludit, tantùm esset unica arbor vitæ in medio Paradisi, Genes. 3. v. 3.

Multitudo autem ista arborum vitæ in Paradiso cælesti, majorem longè cælestium voluptatum ibi futuram abundantiam significat: & quia arbores istæ nobiliori, & crystallino flumine per alveum aureum fluente irrigantur, fructus arborum longè aliam immortalitatem edentibus illos largientur, quàm arbor illa vitæ paradisi terrestris, irrigata fluvio, qui egrediebatur è loco voluptatis per terrenum alveum, ad irrigandum paradisum, Gen. 2. v. 10.

Afferens frvctvs. Non unum aut alterum singulis annis, ut arbores terrestres solent, quæ mensibus Vernis florent, & deinde educant fructus suos, donec tandem in Autumno ad maturitatem perducant; sed dvodecim: quod magis distinctè explicat. Per menses singvlos reddens frvctvm svvm. Ita ut duodecies in anno floreat, & fructus maturos reddat per menses singulos.

Quod iterùm abundantiam cælestium deliciarum magis auget, & Beatorum delectationem semper esse recentem significat, quandoquidem singulis mensibus novos fructus ligni vitæ edant. Imò ne vel tantillum, per tempus florum, debeant fructuum maturitatem in fine mensis expectare, sed omni die anni recentes maturos fructus valeant ex arbore decerpere; non omnes arbores florent simul, sed cùm aliæ sunt in flore, aliæ jàm fructus maturos habent, vt Homerus de regis Alcinoi pomarijs fabulatur. Non omnes etiam arbores ejusdem speciei fructus ferunt: nam Ezech. 47. v. 12. ad quem S. Ioannes respicit, dicit in ripis ejus ex utraque parte oriturum omne lignum pomiferum. Hæc autem pomorum varietas significat varietatem delectationum de varijs objectis creatis quæ Beati in Verbo vident. Et

folia

FOLIA LIGNI. Non tantùm fructus illarum arborum sunt excellentissimi, & tribuunt, aluntque vitam æternam Beatorum, sed etiam folia AD SANITATEM. Nam ab æstu nimio protegunt, & inducunt temperiem, quâ sanitas conservatur. Hoc autem gaudium quoddam accidentale Beatorum significare videtur, sicut fructus arborum gaudium essentiale significant. GENTIVM. Beatorum, quorum maxima turba est ex gentibus, etsi etiam inter eos sint centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël, Apocal. 7. v.4.

Carthusianus, *folia ligni*, interpretatur esse verba suavissima & consolatoria, quibus Christus electos suos in patria alloquitur, dum præcingens se, facit illos discumbere, & transiens ministrat illis, Lucæ 12. v.37. Folia verò ligni vitæ in Ecclesia militante apud Ezech.47.v.12. dicuntur esse ad medicinam, quia hîc sunt morbi, quibus mederi oportet, sanitas verò sine morbo in civitate Beatorum. Undè folia ad medicinam intelliguntur esse verba Sacramentorum, per quæ gratia medicinalis nobis infunditur. Deinde verba divinorum præceptorum, quæ si gratiâ auxiliante impleantur, ait Richar. justificationem operantur animarum.

Beda deniq; folia ista interpretatur cantum Beatorũ, quo in laudibus Dei seipsos exhilarant; per folia enim non ineptè lingua & verba, cantusq; hominis significantur, quia in ore ventilantur, sicut folia in arbore.

3. ET OMNE MALEDICTVM. Peccatum, quod hominem maledicto obnoxium facit. NON ERIT AMPLIVS. Sicuti fuit anteà, quando beati illi cives vitam mortalem hîc ducebant. SED SEDES DEI ET AGNI. Tanquam regis in throno suo ibi residentis. IN ILLA ERVNT. Tanquam in metropoli sui regni. ET SERVI EIVS SERVIENT ILLI. Sicut in urbe, ubi est sedes regni, subditi, tanquam in oculis sui regis versantes, solent diligentius præcepta ejus, & beneplacita observare. Servitus autem ista, quia ad præmium, non amplius ad meritum spectat, sine labore exercetur: & Deo sic servire, inquit Carthus. summa creaturæ nobilitas est, & perfectè regnare.

4. ET VIDEBVNT FACIEM EIVS. Essentiam ejus clarè faciè ad faciem, & omne, quod jam credunt, videbunt: quæ est beatitudo essentialis, & fons, unde cætera omnia bona ipsis proveniunt. Videbunt quoque oculis etiam corporeis humanam Agni faciem, & ineffabili lætitiâ exultabunt videre naturam suam ad illam unionem hypostaticam elevatam, & cum Deo unitam esse, & ex ea tam incredibilia bona in genus humanum promanasse.

Quis autem cogitare potest mirabilia, quæ in illa facie Divinitatis, & in-

& in fundo ejus videbuntur, ubi omnium rerum divinarum humanarumque rationes & ideæ impressæ sunt: ubi fons omnium delectationum & deliciarum creatarum, quæ hominem in hoc mundo ita interdum afficiunt, ut extra se rapiant. Voluptas enim in suo illo fonte degustata, & plenis faucibus à Beatis epota, divinius inebriat, & longè aliter ineffabili quadam jucunditate mentem perfundit, quàm ulla imaginatio, aut intellectus creatus comprehendere possit. Unde meritò Apostolus post Isaiam exclamat, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*, 1. Cor. 2. v. 9. Hoc autem per ebrietatem explicat regius Psaltes: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psal. 35. Sed ebrietas illa omnium ebrietatum voluptates in infinitum excedit, & quod mirum est, nullo fastidio (quod ebrietates hujus mundi solent) animam semper inhiantem replet.

ET NOMEN EIVS, Dei & Agni: vocabuntur enim filij Dei, & filij Agni, ait Richardus. IN FRONTIBVS EORVM. Palam, ita ut omnes hoc sciant, & quasi in frontibus eorum scriptum legerent. Omnia enim opera, & omnes tituli, propter quos ad dignitatem filiorum Dei & Agni evecti sunt, ab omnibus cælestibus cognoscentur.

5. ET NOX VLTRA NON ERIT. Quia lux, quâ dies ibi efficitur, inde non abit, ut nox succedere diei possit; undè ET NON EGEBVNT LVMINE LVCERNÆ. Nam lucernarum usus tantùm est in nocte & tenebris. NEQVE LVMINE SOLIS. Nam licet perpetuus ibi dies sit futurus, non tamen Sol, qui mundo inferiori ministrat, illorum diem efficiet.

Allegoricè, Beati non egebunt lucernâ veteris legis, nec Sole Euangelicæ lucis, quia omne lumen fidei obscurum est, & ad præsentiam majoris luminis evanescit.

QVONIAM DOMINVS DEVS. Christus Deus & homo: nomen enim, *Dominus*, in novo Testam. plerumque Christo peculiariter tribui solet. ILLVMINABIT ILLOS. Tam spirituali illuminatione per lumen gloriæ, quàm corporali per lucernam Agni, ut Apoc. 21. v. 23. dictum fuit. ET REGNABVNT IN SÆCVLA SÆCVLORVM. Cum capite & rege suo Christo, tanquam hæredes Dei, & cohæredes Christi. Regnare enim creaturæ rationalis, est diligere, & servire perfectè creatori suo.

6. ET DIXIT MIHI. Ne quisquam fortè dubitaret de tam incredibilibus divitijs, & delitijs cælestis illius civitatis. HÆC VERBA.

Omnia,

Omnia, quæ jam tibi narravi. FIDELISSIMA SUNT. Quibus meritò fidem adhibere oportet. ET VERA. Et sine ullo mendacio implenda. ET DOMINUS DEUS SPIRITUUM PROPHETARUM. Christus Deus homo, qui Prophetis inspirat spiritus illos, quibus prophetant. MISIT ANGELUM SUUM. Me videlicet: est enim Angelus, qui loquitur. OSTENDERE, non tantùm tibi, Ioannes, sed SERVIS SUIS. Quibus S. Ioannes narraturus erat. Unde aliquoties supra jussus est hæc scribere, ut notitia transiret ad posteritatem, Apocal. 19. v. 9. Apocal. 21. v. 5. &c. QUÆ OPORTET FIERI CITO. Secundum mensuram, quâ Deus in dimetiendis rerum durationibus utitur, quæ est æternitas. Unde quod post aliquot annorum millia futurum est, citò fiet, quia omnia tempora ad illam mensuram æternitatis, tanquam punctum indivisibile ad longitudinem infinitam, se habent. Und *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit,* Psalm. 89.

7. ET ECCE VENIO VELOCITER. Ego, quem dixisti misisse Angelum suum, jam jam venio citò ad judicium universale. Ex abrupto, & more prophetico mutat personam, & Christum loquentem inducit. Undè hîc subaudiuntur verba illa solemnia Prophetarum, *Hæc dicit Dominus*, quando Deum loquentem inducunt. BEATUS. Hîc in spe, postea reipsa, quando beatæ illius civitatis civis fuerit. QUI CUSTODIT. Fide, quæ per dilectionem operatur. VERBA PROPHETIÆ LIBRI HUIUS. Præcepta & consilia, quæ frequenter toto hoc libro intermiscentur. Vide, quæ Apoc. 1. v. 3. diximus.

8. ET EGO IOANNES. Sum ille, Christi scilicet Apostolus & Euangelista, ne quis fortè fidem adhibere dubitet. QUI AUDIVI. Loquente intùs mihi Angelo. ET VIDI HÆC. In imaginibus, quas Angelus imaginationi & menti meæ objecit. Testimonio suo veritatem à se scriptam confirmat, sicut etiam in fine Euangelij sui Ioan. ult. v. 24. simile testimonium interponit. ET POSTQUAM AUDISSEM ET VIDISSEM. Præ lætitia tantorum bonorum, nobis in cælis promissorum, in extasin quasi raptus. CECIDI, UT ADORAREM. Non cultu latriæ, ut Deum, sed duliæ, ut Dei amicum. Sciebat enim S. Ioannes, Angelum non esse Deum: nec hic Angelus gerebat personam Dei, sicut Angeli illi, qui permiserunt se adorari in veteri Testamento, ut Gen. 18. v. 2. & alibi. ANTE PEDES ANGELI. Mos enim vetustus adorantium ast, ad genua & pedes se prosternere, 4. Reg. 4. v. 37. & aliàs sæpè.

9. ET DIXIT MIHI, VIDE NE FECERIS. Probibet iterum se adora-

adorari, propter rationes, quas prima vice Apocal. 19. v. 10. retulimus. CONSERVUS ENIM TUUS SUM. Non autem decet conservum à conservo sic honorari. ET FRATRUM TUORUM PROPHETARUM. Prophetæ autem in principio Ecclesiæ multi erant, quia donum Prophetiæ tunc erat inter prima illa charismata Spiritus sancti. ET BONORUM, QUI SERVANT VERBA &c. Omnes enim isti sunt servi Dei, cui ego etiam servio, ac proinde illorum omnium conservus sum. DEUM ADORA. Si vis adorare, exerce potius actum nobilioris latriæ erga Deum.

10. NE SIGNAVERIS VERBA PROPHETIÆ LIBRI HUJUS. Noli sigillare, & claudere hunc librum, sicut fieri solet quando à nemine debet legi. Nam licèt liber iste sua obscuritate satis signatus, & clausus videri possit, multa tamen satis intelligibilia, maxime quando sunt præcepta morum, continet. Deinde S. Joannes multa obscura dicitur vivâ voce suis discipulis fuisse interpretatus. Undè Beda ex S. Dionysio Alexandrino narrat, quod cum quædam hæreses, S. Joanne adhuc vivente, ex Apocalypsis ejus obscuritate natæ essent, eas redarguerit, & Prophetiæ suæ sensum, ab omni nubilo carnalis intelligentiæ purgatum, ad æterna & cælestia promissa transtulerit. Quod de hæresi Millenariorum maxime intelligendum videtur. TEMPUS ENIM PROPE EST. Tempus, quo illa fieri incipient, in proximo est, & proinde liber apertus maneat, ut omnes legere possint: quia prænovisse calamitates Ecclesiæ obventuras, & præmia reposita ijs, qui viriliter eas acceperint, supplicia ijs, qui succubuerint, utile est ad animandos Christi fideles.

11. QUI NOCET. Qui alteri injuriam infert, ut verbum græcum significat. NOCEAT ADHUC. Festinet adhuc nocere, quia tempus judicij non procul abest. Est ergo ironia; qualis, cum pater dicit puero peccanti: Fac, fac adhuc hoc, virga parata est. Unde phrasis ista, *Noceat adhuc*, non significat, Deum velle peccatum, sed permittere, & minari potius, si fiat. ET QUI IN SORDIBUS EST. In flagitijs, & spurcitijs, quibus non proximo suo per injuriam, sed sibi ipsi nocet. SORDESCAT ADHUC. Permitto, ut pergat in nequitijs suis tempore illo modico, quod intercurrit, usque ad adventum Judicis: sed væ illi. ET QUI JUSTUS EST. Qui in proximum suum exercet justitiam, non auferens ei, sed reddens quod suum est. JUSTIFICETUR ADHUC. Crescat in illa justitiæ virtute. ET SANCTUS SANCTIFICETUR ADHUC. Qui à magnis sordibus purus est, purificetur in dies magis, quia merces est in propinquo.

Justum

Justum opponit nocenti, & sanctum sordido. Cùm dicit, *justificetur*, & *sanctificetur*, non est ampliùs ironia, sicut ante, sed adhortatio, quia materiæ diversitas illam diversitatem sensus postulat: sicut etiam in hac sententia Christi, *Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam*, Matth. 12. v. 33. prout S. Augustinus eam interpretari solet.

12. ECCE VENIO CITO, ad Iudicium: & hinc patet, quo sensu statim ante dixerit, *noceat adhuc*, &c. nempè ironicè, & comminatoriè, non imperativè. ET MERCES MEA MECVM EST. Quam in omnipotentia mea, tanquam in manu gesto. REDDERE VNICVIQVE SECVNDVM OPERA SVA. Nocentibus & sordidis mortem, justis & sanctis vitam æternam.

13. EGO SVM A ET Ω. Quod Apoc. 1. v. 8. & apoc. 21. v. 6. explicatum est: & S. Ioannes seipsum etiam explicat, PRIMVS ET NOVISSIMVS. Causa prima efficiens, & ultima finalis: unde se adhuc magis disertè exponens: PRINCIPIVM ET FINIS. Uti enim omnia flumina è mari exeunt, & in illud revertuntur, ita omne ens creatum à Deo efficienter emanat, & finaliter in ipsum recurrit: *Vniversa enim propter semetipsum operatus est Dominus*, Prov. 16. v. 4.

14. BEATI, QVI LAVANT STOLAS SVAS. Mores, & conversationem hujus vitæ, quibus homo, tanquam stolâ, seu tunicâ quâdam vestitur. IN SANGVINE AGNI. Per gratiam ex merito sanguinis Agni manantem: hâc enim solâ gratiâ maculæ morum, & conversationis humanæ ablui possunt. Vide, quæ de eadem sententia diximus Apocal. 7. v. 14.

Græci tamen hodie legunt, *Beati, qui faciunt mandata ejus*: quod tamen in idem quoad sensum redit; qui enim faciunt mandata Dei, lavant, & dealbant per bona opera stolas suas in sanguine Agni.

UT SIT POTESTAS EORVM. Vt habeant potestatem & jus. IN LIGNO VITÆ. In lignum vitæ, seu, comedendi de fructu arboris vitæ, quæ est plantata in medio, & ex utraque parte fluminis civitatis cælestis, ut v. 2. narratum est. ET PER PORTAS. Per quas nihil coinquinatum, & stolâ maculosâ indutum, intrat, ut Apoc. 21. v. ult. dixit: INTRENT IN CIVITATEM. Ut ibi fructum ligni vitæ comedant, & cæli delicijs perfruantur.

15. FORIS CANES. Extra civitatem verò erunt infideles, qui adversus Ecclesiam electorum latrant, & sanctos mordent. ET VENEFICI. Magi, arte diabolicâ venena miscentes, quales tempore S. Ioannis Ephesi, ubi ipse residere solebat, & in tota Asia minore plurimi erant, ut ex Act. 19. v. 19. colligi potest. Philosophia enim naturalis

Ephesi, & in reliqua Asia tunc florebat, plantata olim à Philosopho Anaxagora. Magiæ autem naturali, ut sæpè solet, magia diabolica se miscuerat. ET IMPUDICI. Græcè, *fornicatores*: sed interpres vertit, *impudici*, ut significaret, sub fornicatione, omne genus carnalis impudicitiæ in Scriptura solere comprehendi. ET HOMICIDÆ, ET IDOLIS SERVIENTES. Enumeratis his, tanquam præcipuis peccatorum regnantium speciebus, addit: ET OMNIS, QUI AMAT ET FACIT MENDACIUM: Et denique quisquis grave aliquod scelus in quacumque materia patrat. Videtur enim hic, ut alibi non rarò, *mendacium*, accipi generaliter, pro quocumque opere malo: sicut *Veritas*, sæpè in Scriptura accipi solet pro quocumque opere bono, ut Apoc. 21. v. ult. iterùm diximus.

16. EGO IESUS MISI ANGELUM MEUM. Unde significat, inquit Aretas, se esse Regem Angelorum. Iterùm, more prophetico, personam subitò mutat, & Christum loquentem introducit, ut supra v. 7. TESTIFICARI VOBIS HÆC IN ECCLESIIS. Ut notitia eorum, quæ de præmijs bonorum, & de pœnis malorum Angelus narravit, à S. Ioanne scribente ad Ecclesiarum Prælatos, & deinde ad totum populum christianum perveniret. EGO SUM RADIX. Ramus, qui de radice germinat, inquit Aretas: nam Hebræi, per metonymiam ramum vocant radicem, nomen causæ tribuentes effectui. Undè, ut hoc indicet S. Ioannes, addit: ET GENUS DAVID. Progenies, sive filius Davidis, & ramus ex illa radice. Ego sum Messias, inquit, ex semine Davidis mundo promissus.

Beda tamen vult, Christum vocare se *radicem*; quia est factor Davidis secundum Divinitatem; *genus*, autem, quatenus ex semine ejus factus secundùm carnem. Vide quæ Apocal. 5. v. 5. dicta sunt.

STELLA SPLENDIDA. Illuminans ignorantiæ noctem, & omnem hominem venientem in hunc mundum. ET MATUTINA. Quam Græci, *Bosphorum*, Latini Luciferum appellant, quia mane annuntiat diem, & mox oriturum Solem. Undè Christo nomen istud aptè convenit, qui lumine fidei obscuriori præcurrit, & annuntiat nobis clarissimum beatæ æternitatis diem. Potest & alio sensu dici Lucifer, & stella matutina, sicut Apoc. 2. v. 28. explicavimus.

17. ET SPIRITUS sanctus, ET SPONSA. S. Ecclesia Christi sponsa. DICUNT. Orant, & desiderant; Spiritus quidem per occulti desiderij in cordibus fidelium inspirationem, *Sponsa* per publicas Pastorum Ecclesiæ orationes, quæ quotidie orat, *Adveniat regnum tuum.* VENI. Ad judicium extremum & universale, ut electus fiat plena retri-

retributio meritorum, & compleatur regnum tuum. ET QVI AVDIT. Et populus, qui audit orationes Pastorum Ecclesiæ, idem etiam oret, ac desiderium suum conjungens, DICAT: VENI; atque ita universa Ecclesia à maximo ad minimum, ultimum Christi adventum desideret. ET QVI SITIT. Aquam vitæ, seu fontis salientis in vitam æternam. VENIAT, quasi mihi obviam per fidem charitate animatam. ET QVI VVLT. Cujus voluntas ex siti illa per desiderium efficax anhelat ad bibendum. Nec hoc adversatur Apostolo, quando dicit: *Non est volentis, nec currentis*, ad Rom. 9. v. 16. quia tantùm significat, quod ipsa voluntas veniendi donetur à Deo, neque ad gratiam sine alia gratia curratur, ut S. Augustinus loquitur. ACCIPIAT AQVAM VITÆ. Gratiam, cujus potus tribuat bibenti vitæ immortalitatem. GRATIS. Nullis præcedentibus meritis, inquit Beda, quia ipsum velle Dei donum est.

18. CONTESTOR ENIM. Protestor, & testificor. Aretæ & Ariæ Codices græci, *Contestor ego*: Angelus à Domino missus testificatus est supra v. 16. ego jam, quod sequitur, contestor. Quæ lectio verior videtur, quia per particulam, *enim*, nullius rei causa redditur. OMNI AVDIENTI VERBA PROPHETIÆ LIBRI HVIVS. Cujuscumque gradus & auctoritatis sit in Ecclesia. SI QVIS APPOSVERIT AD HÆC. Admiscendo, tanquam partem, Textui sacro, quod Scripturæ S. pars non est, mentiendo verba hominum esse verba Spiritus Sancti.

Hoc ergo dictum est, non contra eos, qui bonâ & simplici intentione verba Apocalypsis commentarijs appositis interpretantur, sed contra Scripturarum falsatores, ut Beda, & veteres passim intelligunt: nam statim ab initio Ecclesiæ, hæretici, addendo vel auferendo, Scripturas sacras pervertere, & ad suas hæreses accommodare cœperunt.

Ineptè ergo Sectarij ex hoc loco damnant Ecclesiasticas traditiones, quasi S. Ioannes velit, nihil credendum esse, nisi sit in Scriptura S. à Spiritu S. dictatum. Cùm enim S. Ioannes de sola sua Apocalypsi loquatur, prohiberet etiam alias Scripturas S. apponi & credi, supra id, quod in Apocalypsi sua expresserat.

APPONET DEVS SVPER ILLVM. Imponet & infliget illi Deus: PLAGAS SCRIPTAS IN LIBRO ISTO. Non quidem omnes omnino, sed illas, quæ æternæ sunt, & omnium terribilissimæ, ut cum bestia, & bestiæ sequacibus crucietur igne & sulphure, Apoc. 14. v. 10. &c.

19. ET SI QVIS DIMINVERIT &c. Auferendo verba, & mutilando hujus Prophetiæ textum. Scriptura enim duobus modis,

addendo scilicet, vel auferendo falsificatur. Imitatur autem S. Ioannes Moysen, *Non addetis ad verbum hoc, nec auferetis &c.* Deut. 4. v. 2. AVFERET DEVS PARTEM EIVS DE LIBRO VITÆ. Delebit nomen ejus de libro vitæ, & consequenter auferet ab ipso jus, quod per gratiam habebat ad partem hæreditatis vitæ æternæ. Duobus autem modis scribitur aliquis in libro vitæ, scilicet per prædestinationem divinam, vel per gratiam: inscripti per gratiam deleri possunt, non qui per prædestinationem inscribuntur, ut docet D. Thom. 1. p. q. 24. art. 3. ET DE CIVITATE SANCTA. Et auferet etiam partem, & jus, quod habebat, ut fieret civis cælestis Ierusalem. ET DE HIS, QVÆ SCRIPTA SVNT IN LIBRO ISTO. Et partem ejus auferet de præmijs Beatorum, quæ scripta sunt duobus potissimùm ultimis capitibus hujus Apocalypsis.

20. DICIT, QVI TESTIMONIVM PERHIBET ISTORVM. Dicit Christus Veritas ipsa, qui per Angelum suum testificatus est omnia, quæ scripta sunt in hoc libro, ut supra v. 16. ETIAM (græcè, ναί.) VENIO CITO. Sanè non diu morabor, sed brevì ad judicium venturus sum. Et Christo hoc promittenti respondet Ioannes, AMEN. O ita fiat. VENI DOMINE IESV. Non quasi S. Ioannes in decrepita iam & extrema senectute speraverit ante mortem videre adventum Christi ad judicium universale, sed quia mori brevi sperabat, & videre Iudicem in judicio particulari, per quod quodammodo inchoatur judicium universale; cùm judicium universale non sit, nisi generalis, & solemnis quædam omnium judiciorum particularium recapitulatio.

21. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Gratiam tam sanctificantem, quàm auxilium illud gratiæ Christi ad singulos actus bonos necessarium iis apprecatur. CVM OMNIBVS VOBIS AMEN. Alloquitur septem illos Ecclesiarum Asiæ Episcopos, quorum virtutes laudat, & vitia taxat tribus primis Apocalypsis capitibus. Illis enim proximè, & per ipsos toti Ecclesiæ hunc Apocalypsis librum, tanquam epistolam mittit. Imitatur autem S. Paulum, qui simili gratiæ apprecationis clausulâ omnes epistolas suas, & iisdem omninò verbis epistolam secundam ad Thessalonicenses claudit.

INDEX

INDEX.

Numerus prior denotat Caput Apocalypseos; alter versum ejusdem Capitis; §. Paragraphum versus.

A

Con-

Evan-

Propheta

Q Qua-

FINIS.

